





Der Königl. öffentlichen Bibliothek in Dresden  
durch letztwillige Verfügung  
geschenkt  
von  
Dr. theol. et phil. Max Krenkel  
gest. am 10. Februar 1901 in Dresden.



FESTA CHRISTIANORVM.

Hoc est,

DE ORIGINE, PROGRESSV,  
CEREMONIIS ET RITIBVS  
FESTORVM DIERV M CHRISTIANORVM  
LIBER VNVS.

*IN QVO OSTENDITVR EX PROBATAIS  
Authoribus, veram primitiuam Ecclesiam paucissima habuisse  
Festa, progressu autem temporis prodigiöse a supersticiosi homi-  
nibus numerum eorum accumulatum, & multiplices in obser-  
uatione illorum errores introductos esse: adeoq; a vera antiqui-  
tatis veneranda simplicitate ac vestigijs Ecclesiam hac etiam  
in parte longissimè recessisse.*

EDITIO SECVNDA,

Emendata, aucta & plurimùm locupletata, vt Catalogus  
Præfationem proximè sequens indicabit.

ACCESERVNT HIS

*Responsiones ad Rob. Bellarmini argumenta pro idolatria Romana: Item, Defensio  
argumentorum contra corporis Christi festum, & Confutatio sophismatum  
Iacobi Gretscheri Iesuitici Monachi pro eiusdem festi  
horribili idolomania.*

RODOLPHO HOSPINIANO  
TIGVRINO AVCTORE.



Tiguri apud Ioh. Rodolphum VVolphium.

MDCXII,



1722

CHRISTOPH WOLFF  
MATHEMATIKALISCHES  
INSTITUT

CHRISTOPH WOLFF  
MATHEMATIKALISCHES  
INSTITUT



# PRVDENTISSIMIS

AMPLISSIMISQVE VIRIS, CONSVLIBVS

TOTIQVE SENATVI IN CLYTÆ VRBIS VITO DV RANÆ,

*Dominis suis plurimum obseruandis, S.*

**H** ESTORVM dierum obseruationem, Amplifs. viri, antiquissimum simul & diuinum institutū esse, ex verbo Dei haud obscure colligi, & rationibus ponderis non exigui facile probari posse arbitror. Quum enim Dominus in Decalogo non simpliciter dicat, Sanctifica Sabbathū: sed, Memento diei Sabbathi, vt sanctifices ipsum, eo vtiq; significat, vetustissimam esse diei Sabbathi institutionem: quod mox in eodem præcepto apertius & significantius exprimit, inquiens: Sex diebus fecit Iehoua cælum & terram, mare & quæcunque in eis sunt: & requieuit die septimo. Idcirco benedixit Iehoua diei Sabbathi, & sanctificauit eum. Quibus verbis aperte significat, in ipsa mundi origine, absoluto sex dierum spatio creationis opere, septimo die Sabbathum à Deo institutum fuisse. Deinde, quum certum sit, Patres illos primos à condito mundo, coetus sacros & sacrificia habuisse, dubium nemini esse debet, ipsos quoq; certa tempora, & constitutos dies, quibus conuenirent, habuisse. Quem autem diem potius elegissent, quàm eum ipsum, quem sanctificatum esse à Deo sciebant? Neque enim credendum est, ignorasse eos hanc Dei sanctificationem, quum historia conditi mundi eis notissima fuerit, & Deus familiares sermones cum primis illis hominibus contulerit. In historia quoque Diluuij columbæ ex arca emissæ septenario dierum interuallo Sabbathi ratione videntur. Adhæc in deserto, antequàm ad montem Sina peruenissent Israelitæ, Sabbathum eos obseruasse, ex Mannæ historia manifestissime colligitur, quæ Exod. 16. cap. descripta habetur, vbi sic loquitur Deus: Videte quòd Iehoua vobis posuerit Sabbathum, idcirco dat vobis die sexto panem duorum dierum: maneat igitur quisque apud se, & non egrediatur vllus de loco suo in die septimo: & addit ibidem Moses: quieuisse populum die septimo, & abstinuisse à collectione Mannæ. Quæ etiam causa est quòd Hebræi dicunt, Sabbathum esse fundamentum reliquorum præceptorum, quòd ante alia præcepta omnia hoc datum sit. Post exitum verò ex Aegypto, publice & magna quidem cum solennitate in deserto ad montem Sina, Sabbathum hoc à Deo, inter prodigia maxima & stupenda, in concione omnium frequentissima hominum & angelorum, repetitum & mandatum: lexq; illa, sicut & aliæ nouem, in lapideas tabulas, non Mosis, quantumuis sanctissimi prophetae, vel alicuius angeli excellentissimi, sed ipsius Dei



P R A E F A T I O.

manu scripta est. Et vix est alia in tota sacra scriptura, quae saepius repetatur, frequentius vrgeatur, ac diligentius inculcetur hac ipsa lege. Constituta autem Republica Israëlitica, & extructo Tabernaculo, praeter hoc Sabbathum hebdomadariū, quo solo vti fuerant annis circiter 2455. anniuersarias seu annuas tres praecipue solennitates, Pascha, Pentecosten & Tabernaculorum, iubente Deo, celebrarunt. Instituit verò hæc festa populo suo Dominus propter otium & quietem, vt in ijs cessarent ab omnibus operibus seruilibus: non equidem per se, quòd is tantoperè delectetur eo, si quis omnem ætatem otiosam & quietam ab opere & labore traducat: sed partim vt corporum nostrorum vires, laboribus fatigatæ & exhaustæ, reficiantur. Deus enim non solum corpora creauit, sed ea quoque pro sua misericordia conseruat, eorumq; curam habet: vnde & Plato libro 2. de Legibus, Dñ, inquit, genus humanum laboribus naturâ pressum miserati, remissionem laborum ipsis statuerunt solennia festa: partim verò propter suum cultum, vt in hoc sacro otio vacarent homines lectioni & interpretationi scripturæ sacrae, adeoq; etiam diligenti eius auscultationi, precibus publicis & priuatis, Sacramentorum celebrationi & beneficentiæ, vt ex Nehem. 8. cap. clarè intelligitur: tum etiam, vt in memoriam tunc reuocarent ingentia beneficia toti humano generi creatione mundi, Iudaico verò populo liberatione Aegyptiaca, sustentatione in deserto, & promulgatione Legis peculiariter exhibita, vtq; rerum futurarum etiam, praecipue autem venturi Messiae, cuius typi & vmbrae erant, recordarentur. Ea quoq; ad certa tempora, & certas temporum circumstantias ita strictè & præcisè alligauit Deus, vt ad mortem peccassent, si aut intermississent, aut alijs diebus & temporibus celebrassent, adeoque hæc temporum obseruatio non libera, aut in hominum arbitrio posita, sed ex præcepto Dei præcisè erat necessaria. Sic denique sanctè ac religiosè hæc festa obseruari voluit, vt in Sabbatho vel ligna colligentem lapidibus obruere iusserit, & de prophanatione Sabbathorum per Prophetas saepissimè grauitè admodum conquestus sit. Quæ quum ita sint, mirandum non est festos hos dies, & sacrum in eis otium, Dei autoritate institutum, & iam inde à mundi origine religiosissimè sanctissimèq; vsurpatum, ab ipso quoq; filio Dei Domino ac Seruatore nostro Iesu Christo in assumpta humanitate in terris obseruatum fuisse. Nam & Sabbatho docuit, & aliorum concionibus interfuit. Ad diem quoq; festum Paschæ Hierosolymam eum ascendisse Euangelica histoia testatur. Fecit hoc non tam vt adimpleret legem, quàm vt festos dies, cœtibus sacris destinatos, suo exemplo comprobaret, & eos etiam in nouo Testamento à fidelibus suis obseruari debere demonstraret. Non quòd festa Mosaica in Christi Ecclesia locum amplius habere debeant: nam quia, sicut diximus, vel in memoriam re-

uoca-



PRÆFATIO.

ūocabant beneficia Israëlitis peculiariter exhibita, vel typi & vmbrae  
 fuerunt Messiae & redemptionis humani generis: ideo liberavit ab eis  
 nouum suum populum, & abrogauit festa legalia, cum suis ceremo-  
 nijs, & præcisa ac seruili illa temporum obseruatione, in Cruce morte  
 sua filius Dei Iesus Christus: quod ipse etiam attestatus est in Cruce  
 clamans, Consummatum est, nimirum, quod de nostræ redemptionis  
 negotio Deus ab æterno constituerat, & quæ iam inde ab origine  
 mundi multis ac varijs ceremonijs adumbrata, promissa etiam, & à  
 Prophetis prædicta fuerant, & quorum exequutorem ipsum esse o-  
 portuit: hæc, inquam, omnia vnica hac voce testatur impleta, & quæ-  
 cunque tantum ad tempus *συντελεσθέντες* instituta fuerunt, abrogata esse.  
 Docet hoc etiam Paulus, qui Coloss 2. cap. dicit, Festa veteris Testa-  
 menti fuisse vmbra futurorum, corpus autem Christi: quod perinde  
 est ac si dixisset, Festa illa Mosaica fuisse adumbrationes Christi, & re-  
 rum quæ per illum perfici debuerint: quia verò Christus corpus illa-  
 rum adumbrationum exhibitus sit, & omnia adimplerit, cessasse vmb-  
 ras: vnde eodem loco vult, ne quis posthac fideles noui Testamenti  
 iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi. Et ad Galatas scribit,  
 se timere, ne frustra laborarit inter eos, quum dies ad veterum morem  
 & consuetudinem obseruent, & menses & annos. Sed hoc tantum  
 vult exemplo suo nos docere Seruator noster, vt habeamus certos  
 dies cœtibus sacris, ac religionis exercitiis destinatos & consecratos,  
 eosq; religiosissimè sanctissimèq; colamus & obseruemus. Requirit  
 hoc etiam à nobis Deus præcepto quarto Decalogi, in quo iubet nos  
 feriari ab omnibus operibus externis & corporalibus, tum vt vacem-  
 mus Deo, rebusq; diuinis, & vt conueniamus ad audiendum verbum  
 Dei, ad precès & vsum Sacramentorum, tum etiam, vt quies conceda-  
 tur seruis & operarijs. Hæc lex non sublata est per Christum, quemad-  
 modum nec reliquæ Decalogi leges, vt quæ non per Mosem, sed per  
 ipsum filium Dei, angelum fœderis promulgatæ, digito etiam Dei ta-  
 bulis lapideis scriptæ, in Arcam, quæ typus Christi fuit, impositæ, de-  
 nique ab ipso Christo & Apostolis illustratæ & confirmatæ fuerunt.  
 Vnde D. Irenæus etiam contra Hæreses lib. 4. cap. 31. Decalogum à  
 cæteris legibus sic distinguit, vt illum dicat esse amicitia cum Deo, &  
 concordia cum proximo, & vitæ: reliqua verò præcepta, statuta & iu-  
 dicia esse seruitutis & signi. Seruitus autem veteris Testamenti eiusq;  
 ceremonie & signa sublata quidem sunt, amicitia verò cum Deo, & con-  
 cordia cum proximo, seu dilectio fraterna & Christiana nequaquam.  
 Verissimè igitur Philo Iudæus, in libro Biblicarum Antiquitatum, De-  
 calogum vocat legem Testamenti sempiterni, & præcepta æterna,  
 quæ non transeant. Proinde Petrobrusianorum sententia locum nul-  
 lum inter Christianos habere debet, qua docuerunt, festa prorsus nul-



la in Christi Ecclesia esse debere. Dies verò illi cœtibus sacris consecra-  
 ti, eorumq; determinationes debent esse liberæ, adeoq; non sic in No-  
 uo, vt in Veteri Testamento obligant in conscientia, sed tantum scan-  
 dali & contemptus ratione: nec etiam ita certis temporibus sunt affixi  
 & alligati, vt si ex vsu Ecclesiæ esset, ipsaq; necessitas postularet, non li-  
 ceat mutare, & in alios commodiores dies transferre: proindeq; dies  
 isti determinati ad feriandum non debent etiam, in & per se considera-  
 ti reliquis diebus haberi sanctiores & sacratiores, sed solum tanquam  
 determinati & instituti disciplinæ, politiæ & ordinis gratia, secundum  
 quem omnia in Ecclesia fieri debere Paulus monet, & propterea cum  
 hac determinatione consistat æqualitas dierum, Docet hoc manifestè  
 D. Hieronymus in epistolam ad Galatas: Ne inordinata, inquit, con-  
 gregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies ali-  
 qui constituti sunt, vt in vnum pariter omnes veniremus. NON QVO  
 CELEBRIOR SIT DIES ILLA qua conuenimus: sed quo, quacunq;  
 die conueniendum sit, ex conspectu mutuo lætitia maior oriatur, &c.  
 Quamobrem etiam de Apostolis legimus, eos quidem ad cœtus sa-  
 cros determinatis diebus venisse, & in ijs docuisse: illam verò determi-  
 nationem nulla lege sanxisse, sed liberam reliquisse, Socrates in Eccle-  
 siastica historia clarissimè docet, Nusquã, inquit, apostolus, nec ipsa  
 Euangelia iugum seruitutis illis imponunt, qui ad prædicationem ac-  
 cedunt, sed Paschatis festum, & alios dies festos ipsi homines suis qui-  
 que locis propter remissionem laborum, & memoriam salutiferæ pas-  
 sionis, SICVTI VOLVERUNT, ex consuetudine quadã celebrarunt.  
 Neq; Seruator aut Apostoli hoc nobis lege aliqua obseruandum esse  
 mandarunt, neque pœnam nobis aut supplicium Euangelia vel Apo-  
 stoli, sicut Iudæis lex Moïsi, comminatur. Et mox: Erat igitur, ait, sco-  
 pus Apostolis, non de festis diebus leges ferre, sed rectam vitam ac pie-  
 ratem inducere. Etsi verò Christus & Apostoli institutionem & deter-  
 minationem festorum dierum arbitrio & iudicio cuiusq; Ecclesiæ libe-  
 ram reliquerint, tamen ad trecentesimum vsq; à nato in carne filio Dei  
 annum, dies festos ac solennes paucissimos habuerunt primi illi Chri-  
 stiani, nimirum Dominicam diem, Pascha, Ascensionem, Pentecosten  
 & Natalem Domini. Nam quia Christus aduentu & morte sua libera-  
 uit Ecclesiam Noui Testamenti à iugo ceremoniarum Veteris, nolue-  
 runt ñ qui Apostolos proximè sequuti sunt Doctores, & Ecclesiarum  
 rectores aliud rursus fideiũ cervicibus imponere, sed in id potius om-  
 ni opera, studio ac diligentia incubuerunt, vt otiũ illud festorũ auditu  
 verbi Dei, memoria beneficiorum à Christo humano generi exhibitõ-  
 rum, precibus, eleemosynis, & Sacramentorum administratione, qua-  
 rum rerum causa datum & institutum est, consumeretur. Fuisse autem  
 hæc primorum Christianorum exercitia in suis illis paucissimis festis,  
 ex lu-



PRÆFATIO.

ex Iustini antiquissimi martyris Apologia secunda intelligitur : Omnes, ait, urbani & rustici ex agris in vnum congregantur, & primò leguntur scripta Prophetica & Apostolica. Secundò, Præses orationem habet & exhortationem, vt bona quæ lecta sunt imitemur. Tertio, cœtus omnis surgit ad preces. Quarto, celebratur communio Eucharistiæ. Quintò, conferuntur elemosynæ ad sustentationem pauperum, pupillorum, ægrotantium exulum, &c. Hanc libertatem, quam Christus sanguine suo acquisiuit Ecclesiæ suæ, & simplicitatem venerandæ antiquitatis posteros firmiter retinere & conseruare decebat : sed dici non potest, quàm longè progressu temporis ab hac regia via deflexerint. Nam primò, festa instituere cœperunt in honorem, non solum Sanctorum, sed vel opinione saltem talium. Scribit enim Sulpitius tempore Martini accidisse, vt nonnulli pro martyre quendam festo die coluerint, de quo tandem compererint, quòd latro fuerit, & ob sua scelera extremi supplicij pœnas soluerit. Deinde, crescente numero Diuorum, Diuarumq; creuit etiam numerus festorum, quæ calamitosioribus deterrioribusq; subinde succedentibus seculis, faceq; mundi, ita prodigiosè accumularunt, vt non solum Iudæorum conditio sub lege tolerabilior fuerit, quàm Christianorum nouissimis his seculis sub Euangelio, sed etiam Christi eiusq; festorum nulla vel parua admodum ratio sit habita amplius, Sancti verò cum suis ferijs soli imperium in Ecclesia obtinuerint Tertio, dies hos festos VERE alijs esse sanctiores & sacratiores docuerunt, ob typum nimirum, mysterium, vmbra & figuram : necesse sublatam, sed mutatam tantum in Nouo Testamento significationem & discretionem dierum, quæ fuit in Veteri Testamento Iesuitas hodie palàm docere non püdet. Hac autem ratione Iudaismum in Christi Ecclesiam manifestè reducunt, colorem quidem aliquem inducendo, mysterij scilicet & piæ significationis nomine, partamen iugum religionis & obseruationis ceruicibus fidelium imponendo. Quarto, obseruationi festorum, sicut etiam aliarum ceremoniarum, adscriperunt cultum & meritum, qui comes est numerosarum ceremoniarum: nam illarum splendore & pompa mentes hominum misericè capiuntur & fascinantur, ac mox ista persuasione imbuuntur, quòd earum obseruatione Dei gratiam, fauorem, & per consequens remissionem peccatorum ac vitam æternam promereantur. Vltimò, hos dies festos ritibus & ceremonijs quibusdam non solum ridiculis, ineptis & superstitiosis, sed etiam profanis & palàm impijs celebrauit posteritas, quas partim ex Iudaismo, partim ex Gentilismo mutuata est. Quum enim ex Iudæis & Gentibus simul ad Christianam religionem Paulatim homines conuerterentur, multa quisq; ex pristino errore, cui assueuerat, retinuit, quæ deinde ipso vsu paulatim confirmata, vel paululum immutata, & minus rectè ad alios fines translata sunt.



PRÆPATIO

Vel si Ethnicorum festa à Christianis in suas conuerterentur solennitates, quod sæpè factitatum legimus, nomen solùm mutatum fuit, ritus verò, ceremoniæ & superstitiones eædem manserunt. Hoc autem sic fieri voluit Gregorius Magnus Romanus Pontifex, qui lib. 9. cap. 71. præcipit, festa Paganorum sensim in Christiana esse commutanda, & quædam ad similitudinem eorum facienda. Rationem hanc reddit Beatus Rhenanus in suis ad Tertulliani librum de Corona militis Annotationibus, Opus fuisse olim multa Christianis indulgere, quod senes plerunq; ad nostram religionem conuersi fuerint, ideoq; haud facile adduci potuerint, vt semel receptam consuetudinem abijcerent. Que tamen ratio, si eam ad verbi Dei regulam examinauerimus, valde infirma est. Paulus enim docet 2. Cor. 6. nullum consortium esse iustitiæ cum iniustitia, luci cum tenebris, Christo cum Belial, nullam partem fideli esse cum infideli: non posse conuenire templo Dei cum simulachris. Ergone conueniet Ecclesiæ Christi cum impijsissimorum Gentilium ritibus ac ceremonijs impurissimis? Respondet etiam ad hanc rationem Tertullianus, qui in Apologetico cap. 42 Quis hoc, inquit, sustinere aut defendere potest? ludæis dies suos festos exprobrat spiritus sanctus: Sabbatha, ait, vestra, & neomenias, & ceremonias odit anima mea: nobis, quibus Sabbatha extranea sunt, & neomeniæ, & feriæ aliquando à Deo dilectæ, Saturnalia, Ianuariæ, & Brumæ, & Matronales frequentantur, munera commeant, strenæ consonant, lusus, conuiuia constrepant. O melior fides nationum in suam sectam, quæ nullam solennitatem Christianorum sibi vendicat, non Dominicū diem, non Pentecosten etiam si nossent, nobiscum communicassent, ne Christiani viderentur. Nos, ne Ethnici pronuntiemur, non veremur. Vtitur argumento à minore ad maius: ac si diceret, Si Deus ludæorum festa propter illorum abusum odit, quæ tamen ab eo præcepta & instituta fuerunt, quantò magis odio habet Ethnicorum festa & ritus à diabolo ad Dei contumeliam excogitatos? Deinde, si hæc ipsa ludæorum festa, quæ olim Deo grata fuerunt, nunc Christianis obominatio esse debent, quantò magis ijdem alieni esse debent ab Ethnicorum festis, quæ Deo non modò nunquam grata, sed semper inuisa fuerunt? Deniq; si Ethnici tam strenui sunt religionis suæ cultores, vt nullam Christianorum festiuitatem, vel ritum aliquem obseruent, tantum ne Christiani esse videantur, quæ ergo hæc est amentia atq; perfidia, quòd Christiani Ethnicorum festa colunt, eorumq; ritibus & ceremonijs vtuntur? Ex hoc igitur, hoc inquam fonte manarunt in Christianam religionem non modò superstitiones multæ ac variæ, sed etiam ritus profani & impij Bacchanalium, Stultalium, Lupercalium, Vinalium & similibus festorum Ethnicorum, quibus etiam nūm hodie ita sedulò vtuntur homines, ac si lege aliqua ita fieri oporteat. Intelligitis, opinor,

nor,



PRÆFATIO

nōr, pro vestrā prudentiā, Viri Amplissimi, ex his quæ hucusq̄ à me dicta sunt, festorum dierum religionem antiquissimam simul & sanctissimam esse, & propterea quoq̄ in Ecclesia Christi retinendam. Intelligitis etiam, quā procul in hoc vno festorum negotio posteræ ætates à primitivæ Ecclesiæ simplici quidem illa, sed tamen absolutissima perfectissimaq̄ forma recesserint. De his verò, quæ paucissimis hic attigi verbis, in hoc toto libro, quem vobis offerimus, pluribus ago. Et primò quidem contra Petrobrusianorum errorem probo, festa ex Christi Ecclesia non esse sublata, sed semper debere esse statos & certos diēs, quibus tota Ecclesia ad religionis exercitium congregetur, non obstantibus quotidianis cœtibus & concionibus. Deinde libertatem Christianam circa festa, quam æternus Dei filius sanguine suo nobis acquisiuit, evidentissimis testimonijs Verbi Dei & SS. Patrum veteris Ecclesiæ, rationibusq̄ firmissimis assero. Tertiò, non in creaturarum mortuarum, quantumvis sanctissimarum, sed in solius Dei honorem festa instituenda, in hisq̄ Deum vnicum colendum & inuocandum esse probo. Rationes autem, quibus in his & alijs similibus contrariam sententiā tueri ac defendere conatur ROBERTVS BELLARMINVS Iesuita in primo tomo Disputationum suarum, pro ea quam mihi Deus dedit gratia, refuto. Tum ostendo, non ex nostrorum, sed Pontificiorum historijs ac scriptis, originem, progressum, accumulationem, ceremonias & ritus, non tantum Solennitatum, quas Generalia festa vocant, quod generatim in omnibus Ecclesijs pontificijs celebrantur, sed etiam Particularium festorum, quæ solùm ab vna coluntur Ecclesia in aliqua prouincia, Episcopatu, aut parochia, vel etiam villa, vt inde intelligatur, prodigiosum hunc cumulum festorum, sub quo hodie Christiani gementes, & tantum non oppressi iacent, in Ecclesia Christi primæ & mediæ ætatis non fuisse, sed serò tandem, crescente idololatria & Diuorum cultu, à superstitionum patronis inductum fuisse, & proinde vel hac etiā de causā Pontificios frustra, plenis, quod dicitur, buccis, vetustatem subinde crepare. Sequutus autem sum ordinem, quo in Calendario, vt vocant, nomina Sanctorum, quibus horum festorum pars saltem aliqua celebratur, sunt annotata. Feci hoc partim in Germanorum nostrorum gratiam, qui istiusmodi Calendarijs potissimum vtuntur, & quodammodo delectantur, vt cognoscant, plurimos eorum, quorum, ceu Deorum, nomina in suis istis Calendarijs descripta habent, nihil minus quā Sanctos & Deos aliquos esse: partim verò, vt sic occasio daretur, aliquo saltem modo detegendi fraudes, dolos, imposturas & fabulas, quibus verè Sanctorum vitas otiosi monachi commacularunt, & simul quoq̄ de multis alijs dicendi, quæ ad nostram historiam ORIGINVM pertinent. Quum autem vetus sit consuetudo, multorum iam seculorum exemplis confirmata Regibus,



PRÆFATIO

Principibus, Rebuspublicis, Ciuitatibus, aut magni nominis, beneque de Ecclesia & patria meritis viris libros, qui in lucem emittuntur, dedicare & inscribere: ego, viri pietate & prudentiâ ornatissimi, vos potissimum elegi, quibus hos meos labores consecrarem: in quo vir nobilissimus DN. IOANNES HENRICVS HENZELIVS à Dägerstein, Dominus in Elggeuu, &c. vestræ vr̄bis nominisq̄ amantissimus, me plurimum multas ob causas confirmavit. Est enim ciuitas vestra Municipium coniunctissimum fidissimumq̄ vr̄bi & Reipublicæ Tigurinorum, sub quorum etiam patrociniò longè florentissimum & felicissimum factum est. Nam non solum libertatem illam corporum, quæ toti Heluetiæ communis est, sed, quod omnium maximum, animarum quoque sub eorum auspicijs est adeptum, lucem nimirum Euangelij, quæ, discussis, singulari Dei beneficio, densissimis errorum nebulis, & obscurissimis Antichristianismi tenebris, his postremis temporibus reuelata est. Accedit etiam læta & diuturna pax, qua sub Magnificorū Dominorum Tigurinorum tutela, saluis suis priuilegijs & immunitatibus, securè fruitur, in eaq̄ & honoribus & opibus cum publicis tum priuatis augetur in immensum quotidie. Sed hæc vobis communia sunt cum alijs multis. Illud verò, Amplissimi viri, vestræ pietati, Prudentiæ, & liberalitati peculiariter tribuendum, quòd non solum verbum Dei in vr̄be vestra publicè annunciatur, & purè docetur, Ministri Ecclesiæ in pretio & honore habentur, sed etiam, quòd ea æquitate & iustitia in vestro munere v̄timini, vt optimæ constitutæ Reipublicæ formam hodiè apud vos inuenire liceat. Quòd in eo toti estis, vt vestra iuuentus, Seminarium Reipublicæ, vera religione, pietate, & bonis moribus iam inde à cunabilis imbuatur: in cuius rei gratiam mox ab initio Reformationis Scholam in vr̄be vestra aperuistis, quam ante annos haud ita multos, propter multiplicem eius fructum, in meliorem ordinem redregistis, ædificatis, sumptibus non exiguis, in huius Scholæ v̄sum, magnificis ædibus, & præceptoribus stipendijs liberalissimè assignatis. Hanc pietatem, hocq̄ studiū vere diuinum & Christianum licet etiam videre in sanctissimis illis veteris Ecclesiæ Monarchis, Regibus, Principibus, alijsq̄ magistratibus, qui & Scholas instituerunt, & opibus, facultatibus, consilio deniq̄, authoritateq̄ sua eas iuuarunt. Intellexerunt enim, quantum in religione propaganda, & conseruanda momenti habeat vera & legitima Scholarum institutio. Animaduertit id etiam Iulianus Apostata, & propterea Scholas Christianorum claudi præcepit, vt ignorantia & inscitiâ impediti, suam religionem aduersus Philosophorum argutias amplius defendere non possent. Quum verò neque religio absq̄ literis tradi commodè queat, neq̄ literæ & Scholæ florere absq̄ libris, neutra autem conseruari, & ad posteros transmitti possint, si vel nullæ sint Bibliothecæ, vel nullæ

carum



P R Æ F A T I O .

earum cura habeatur, prudentissime quoque sapientissimeque iudicatis  
 utile fore, pro Schola & vrbe vestra Bibliothecam, tanquam armamen-  
 tarium quoddam Sapientie, instituere ac adornare: quod etiam ab anti-  
 quis temporibus multorum potentissimorum Regum, Principum ac  
 populorum opus fuisse legimus. In quo proposito si strenue perrexe-  
 ritis, non solum veram religionem & studia bonarum literarum vehe-  
 menter in vrbe vestra promouebitis, sed etiam vobisipsis sempiter-  
 nam memoriam, & immortalam gloriam apud omnes bonos compa-  
 rabitis. Vestrae denique beneficentiae hoc quoque peculiariter adscri-  
 bendum, quod Nosodochium pro alendis senibus, egenis & aegrotis  
 ciuibus: Xenodochium etiam pro suscipiendis pauperibus peregrina-  
 nis opulentissimum habetis. Omitto summam humanitatem, qua om-  
 nes, qui vel ad vos veniunt, vel per urbem vestram in Germaniam  
 proficiscuntur, excipitis. Haec & similia, ornatissimi viri, me in vestri  
 amorem & admirationem abripuerunt, impuleruntque, ut hunc meum  
 librum vobis dedicarem atque offerrem. Vos igitur nunc, quod vnum  
 superest, Amplissimi viri, rogo atque obsecro, ut hoc meum qualecunque  
 in pietatem, aliasque multas & praclaras virtutes vestras, studium & of-  
 ficiu boni consulere, & mei erga vos amoris & obseruantiae perpe-  
 tuum testimonium benignere recipere dignemini. Deum Opt. Max.  
 oro, ut vos incolumes, vestramque Rempublicam florentem, quam diu-  
 tissime conseruet, Amen. Datae Tiguri Calendis Martij, Anno a nato  
 in carne filio Dei M. D. XCIII.

*Vestrae Amplitudinis*

*obseruantissimus*

*Rodolphus Hospinianus*

*Tigurinus*



CATALOGVS EORVM QVÆ IN HAC SECVNDA EDI-  
tione vel de nouo accesserunt, vel plurimùm aucta  
& locupletata sunt.

1. **D**E origine Canonizationis Sanctorum mortuorum; & cuius sit ca-  
nonizare: pag. 22. b. & 23.
2. An Papa Rom. in Canonizationibus Sanctorum errare possit: pag. 23.  
b. 24.
3. De Octauis festorum celebriorum. pag. 26. b.
4. Exercitia veterum Christianorum Dominicis diebus: ubi & de san-  
ctificatione & profanatione festorum. 29. & seq.
5. De prohibitione nuptiarum apud Papistas toto illo tempore quod est  
inter Septuagesimam, & diem à Paschate octauam. 38. b. & seq.
6. De Veronica, & Sudario Christi. 43. b.
7. De Longino. 51. b.
8. Pontificalis Cæna in feria quinta hebdomadæ Magnæ, seu in die Cæna  
Dominicæ descriptio. 57. & seq.
9. De S. Georgio, eiusq; festo. 78. b.
10. De Inuentione S. Crucis. 81.
11. Defensio argumentorum contra Corporis Christi festum, & confuta-  
tio sophismatum Iacobi Gretscheri Iesuitæ pro eiusdem festi horribili idola-  
latria. 92. b. & c.
12. De septem dormientibus, eorumq; festo. 114.
13. De Maria Magdalena, eiusq; festo. 118. b. & seqq.
14. De S. Christophoro: eiusq; fabulæ symbolica interpretatione. 122. b. &  
seqq.
15. De Hippolitho: eiusq; fabula. 127.
16. De Dormitione et Assumptione B. Mariæ virginis 127. & seq.
17. De Natiuitatis B. Mariæ festo. 134.
18. De Exaltatione S. Crucis, eiusq; festo. 137.
19. De S. Catharina. 148. & seqq.
20. De Conceptione B. Mariæ.

INDEX



INDEX PRIMVS CONTINENS AV

CTORES, QVORVM OPERA AVTHOR IN LIBRO  
hoc vsus est, qui non tantum nudè citantur, sed insigni-  
nora etiam quædam illorum loca explicantur,  
& emendantur.

A.

Bulensis.

Adolphus Mo-  
gunt.

Adon Archiepi-  
scop.

Ado Viennensis in bre-  
uiario Chron.

Ædituus.

Æmilius.

Agapetus Papa.

Albertus.

Albinus.

Alcuinus.

Alexander ab Alex.

Alexander 3. Papa.

Alphonsus Alvarez.

Ambrosius.

Amalarius.

Annales Francorum.

Antoninus Flor. Episcop-  
pus.

Antoninus Margarita ba-  
ptizatus Iudæus.

Antonius.

Apulcius.

Arnobius.

Asterius Episcopus.

Athanasius.

Athenæus.

Auentinus.

Augustinus.

B.

Baleus.

Baptista Mantuanus.

Barthol. Pisanus.

Basiliius.

B. Rhenanus.

Beda.

Bertramus.

Bergomensis.

Beleth.

Bellarminus.

Bernardinus de Busto.

S. Bernhardus.

Berno.

Blondus.

Boëtius.

Bonaventura.

Bostius.

Boterus.

Bonfinius.

Bossarius.

Bouius Episcop. Ostunen-  
sis.

Bracellus.

Breuiarium Carmelitarū.

Breuiar. Rom.

Burchardus Episc. Vuor-  
mat.

C.

Cæsarius.

Caluinus.

Campegius.

Caranza.

Carolus M.

Caspar Bruschius.

Cassianus Seyta.

Catharinus Compsanus.

Ceremoniale Rom.

Cedrenus.

Chemnitius.

Chronie de Ducibus Ba-  
uariæ.

Chrysofomus.

Cicero.

Chronie. Bamberg.

Clemens Romanus.

Claudianus.

Claudius.

Clemangis.

Clemens Alexandrinus.

Cœlius Rhodiginus.

Collegiū Anglo. Remen-  
se.

Concilium Africanum.

Concil. Aurelianum.

Concil. Basiliense.

Concil. Carthaginense.

Concil. Chalcedonense.

Concil. Constantiense.

Concil. Constantinop.

Concil. Elibertinum.

Concil. Ephesinum.

Concil. Lateranense.

Concil. Nicenum.

Concil. Toletanum.

Concil. Tridentinum.

Concil. Viennense.

Cominaus.

Cornelius Agrippa.

Costerus.

Cranzius.

Cromerus.

Curio.

Cyprianus.

Cyrillus.

D.

Damascenus.

Daniel Chamierus.

Decretales epistolæ.

Dionysius Alexandrinus.

Dionysius Corinth. Episc.

Distemius.

Dodechinus.

Durandus.

E.

Eccius.

Egnatius.

Ephrem.

Epiphanius.

Erasmus.

Euagnus.

Euodius.

Eupolis.

Euripides.

b



Eusebius Cæsariensis.	Ioannes Clichtoneus.	N.
Eusebius Emiffenus.	Ioannes Ferus.	Nannius Louanensis.
Euthymius.	Ioan. Manlius.	Naucerus.
F.	Ioan. de Monte Regio.	Nazianzenus.
Franciscus Maurolicus.	Ioan. de Muris.	Nicephorus.
Francolinus.	Ioan. de Oppido.	Nicetas.
Fischerus Episcop.	Iosephus Zarlinus.	Nicolaus Serarius.
Fulgosus.	Iosephus Scaliger.	Nicolaus Opton.
Funccius.	Ioannes Lucidus.	
G.	Ireneus.	O.
Gaza.	Isidorus.	
Gaguinus.	Isidorus Pomerius.	Oecolampadius.
Georgius Cassander.	Iuo Carnotensis.	Ceumenius.
Gerardus à Nazareth.	Iustinus Martyr.	Octavianus.
Gratianus.	Iuba Marusius.	Origenes.
Gregorius M. Papa.	K.	Otto Frisingensis.
Gelasius.	Kemnitius.	Ouidius.
Gregorius 9. Papa.	L.	P.
Gregorius Nyssenus.	Lactantius.	
Gellnerus in Mithridatè.	Leo 1. Papa.	Palmerius.
Gretscherus.	Leontius.	Panthaleon.
Gregorius Turonen.	Liberius Papa.	Pauinius.
Gyraldus.	Lombardus.	Pareus.
Galesinius.	Lompardica historia.	Paulus Burgenfis.
Godefredus Monachus.	Luithprandus.	Paulus Diaconus.
Gregorius Nazianzenus.	Lucensis.	Paulus Æmilius.
H.	M.	Paulus Middelburgensis.
Hardingus.	Maenius.	Paulus 2. Papa.
Henricus de Bréforia.	Macrobius.	Petrus de Palude.
Henricus V Volphius.	Magdeburg. Centuria.	Petrus de Aliaco.
Hermannus contractus.	Mantuanus.	Petrus Cluniacensis.
Hermannus Gigas.	Marcellinus.	Petrus Damianus.
Herodianus.	Marianus Scotus.	Petrus Præmonstraten-
Hesychius.	Marsilius Pacuius.	sis.
Hieronymus.	Martinus de Arles.	Petrus Viretus.
Hilarius.	Martinus Bracherensis.	Pius 2. Episcopus Roma-
Hincmarus.	Martinus Polonus.	nus.
Hippelitus Thebanus.	Matthæus Beroaldus.	Platina.
Honorius 3. Papa.	Matthæus Dresserus.	Plutarchus.
Horolanus.	Maximus Taurinensis.	Polyd. Vergilius.
Hugo.	Meletius Patriarcha.	Pontacus.
Hugolinus Martellus.	Meffret.	Pontanus.
Hyprius.	Melchior Cantus.	Philastrius.
I.	Meliades Papa.	Plinius.
Jacobus Mantanus.	Metaphrastes.	Pontificalis liber.
Jacob. de Voragine.	Michael Syncellus.	P. Paulinus.
Iansenius.	Michael Glycas.	Porson.
Ignatius.	Michael Altsiodorensis.	Procopius.
Innocentius 1. Papa.	Molanus.	Ptolemæus.
Ioannes Sigobius.	Munsterus.	Rabanus



I N D E X.

**R.**  
 Rabanus.  
 Ranulphus.  
 Regino.  
 Robertus Barus.  
 Rodulphus Glaber.  
 Rogerus Bacon.  
 Ruffinus.  
 Rupertus Tuitiens.  
**S.**  
 Sabellius.  
 Salmeron Iesuita.  
 Schedelius.  
 Scholastica historia.  
 Scorus Minorita.  
 Sigebertus.  
 Sixtus 4. Papa.  
 Sleidanus.  
 Socrates historicus  
 Sozomenus.

Stella.  
 Stumpfius.  
 Stenius.  
 Surius.  
 Suarez.  
 Synod. Agathensis  
 Syn. Antisiodorensis.  
 Syn. Arausicana.  
 Syn. Arelatensis  
 Syn. Marisconensis.  
 Syn. Meldensis.  
 Syn. Moguntina.  
 Syn. Turinensis.

**T.**  
 Tacitus.  
 Telesphorus Papa.  
 Theodoretus.  
 Theodorus Lector.  
 Theophilus Casariensis.  
 Theophylactus.

Tillius.  
 Thomas Aquinas.  
 Thomas Naogeorgus.  
 Thomas de Argentina.  
 Thomas Cautipragensis.  
 Thomas Vualdensis.  
 Trithemius.  
**V.**  
 Valentinus Munzer.  
 Varro.  
 Victor Antiochenus.  
 Victor Rom. Episcopus.  
 Victorinus Aquitanicus.  
 Vincentius.  
 Urbanus .Papa.  
 Vrsitius.  
 Vsuardus.  
 Vualefridus Abbas.  
 Vuitekindus.

INDEX SECVNDVS THEOLOGICVS,  
 Continens loca quaedam sacrae Scripturae vtriusque Testa-  
 menti, quae in hoc opere citantur, & instituto  
 accommodantur.

GENESIS.  
 CAP. I. Dominus dixit, & facta sunt  
 28.

EXODVS.  
 12 Nihil operis facietis in eis ex-  
 ceptis quae ad vescendum per-  
 tinent 64.b  
 31 Custodite Sabbathum meum:  
 pactum est sempiternum in-  
 ter me, & filios Israel sig-  
 numque perpetuum 3  
 32 Hi sunt Dij Israel, qui eduxe-  
 runt te ex Aegypto 77.b

LEVITICVS.  
 23 Dies quoque octauus erit ce-  
 leberrimus atque sanctissi-  
 mus 26.b

NUMERI.  
 9 Homo qui fuerit immundus su-  
 per anima, siue in via procul  
 a gente vestra faciat Phasē  
 Domino in mense secundo  
 de decimo quarto mensis  
 ad vesperam &c. 63

DEUTERON.  
 16 Immolabis Phasē Domino  
 Deo tuo de ouibus, & bobus  
 in loco, quem elegerit Domi-  
 nus 62

PARALIP.  
 1.13 Si placer vobis & a DN. Deo  
 nostro egreditur sermo, quē  
 loquar reducamus arcā Dei  
 ad nos 94

1.16. Illicitum est, vt quo cunque  
 portetur arca Dei, nisi a Le-  
 uiticis, quos elegit Dominus  
 ad portandam eam, & admi-  
 nistrandum sibi vsque in æ-  
 ternum 94

2.35. Dederunt sacerdotibus ad fa-  
 ciendum Phasē pecora duo  
 millia & boues sexcentos 62  
 NEHEMIAS.

9 Hic est Deus tuus, qui te edu-  
 xit ex Aegypto 77.b  
 PSALMI.

27 Exaudi Domine vocem me-  
 am, quā clamaui ad te 85.b

30 Ad vesperam demorabitur  
 fletus & ad matutinum læ-  
 titia 66

57 Exsurge gloria mea exurgam  
 diluculo 69

72 Reges Tharsis, & insularum  
 munera offerent: Reges Ara-  
 biæ, & Saba dona adducent  
 34

97 Exaltabo mane misericordi-  
 am 69

132. Quoniam elegit Dominus Zi-  
 on, elegit enim in habitatio-  
 nem sibi 94

ECCLESIASTIGVS.  
 4 Totum caput explicatur 22  
 ISAIAS.

11 Neomeniam, & sabbathum, &  
 festiuitates alias non feram,  
 iniqui sunt cœcus vestri: Ca-

lendas vestras odit animā  
 mea 93.b

29. Appropinquat mihi populus  
 iste ore suo, & labijs me hos-  
 norat, cor autem eorum pro-  
 cul abest a me. Sed frustra mo-  
 colunt, docentes doctrinas,  
 quae sunt mandata hominum  
 25.93.b.97.

46. Erit mensis ex mense, & sab-  
 bathum ex sabbatho 2.b

DANIEL.  
 7. Putabit, quod possit mutare  
 dies, & tempora 4.b

IONAS.  
 4. Et parauit Deus vermem ad  
 scensu diluculi 69

MATTHEVS.  
 7. Nonne Domine in nomine tuo  
 dæmonia eiecimus, nonne in  
 nomine tuo multas virtutes  
 edidimus 25

12. Signum non dabitur ( Phari-  
 saeis & Scribis ) nisi signum  
 Ionæ Prophetæ: sicut enim  
 Ionas fuit in ventre ceti tri-  
 bus diebus, & tribus noctibus,  
 sic erit filius hominis in cor-  
 de terræ tribus diebus, &  
 & tribus noctibus 69.b

18. Si duo vel tres in nomine meo  
 congregati fuerint, illic ero  
 in medio eorum 1.b

19. Quod Deus coniunxit, homo  
 b 2



I N D E X.

- ne separet 108.b  
 20. Tradam cum Gentibus ad il-  
 ludendum, flagellandum, &  
 crucifigendum 66  
 24. Multi venient in nomine meo  
 dicentes: Ego sum Christus.  
 Futurum est vradialis bel-  
 li, & rumores bellorum. In-  
 surget gens in gentem, & re-  
 gnium in regnum: & erunt  
 fames, & pestilentiæ, & ter-  
 ræ motus lingulis locis 111.b  
 24. Surgent Pseudochristi, &  
 Pseudoprophete, & signa  
 magna edent, ita vt in erro-  
 rem inducantur, si fieri pos-  
 sit etiam electi 25  
 26. Non in die festo ne forte tu-  
 multus fieret in populo 62  
 26. Quid vultis mihi dare, ego tra-  
 dam eum vobis 62  
 26. Prima die azymorum accesserunt  
 discipuli ad Iesum di-  
 centes: vbi vis paremus tibi  
 comedere Pascha 65  
 26. Ite in ciuitatem ad quendam,  
 & dicite ei, Magister dicit,  
 tempus meum prope est, a-  
 pud te facio Pascha cum di-  
 scipulis meis 64.b  
 27. A sexta autem hora tenebræ  
 factæ sunt 63.b
- MARCVS.
8. Oporret filium hominis pati  
 multa, & reprobari a senio-  
 ribus, & a summis Sacerdo-  
 tibus, & a Scribis, & occidi  
 & post tres dies resurgere  
 69.b.  
 13. Nescitis quando Dominus do-  
 mus veniat, sero, an mediâ  
 nocte, an galli cantu, an ma-  
 ne 69  
 14. Prima die azymorum, quando  
 Pascha immolabant 65.b  
 14. Adolescentulus sequebatur il-  
 lum, circumamctus sindone  
 super nudum 60.b
15. Ioseph mercatus sindonem,  
 depositum involuit sindoni  
 62.b.  
 16. Mulieres ad monumentum ve-  
 niunt vna die Sabbathorum  
 27.  
 16. Surgens autem Iesus manè pri-  
 mâ Sabbathi apparuit primò  
 Mariæ Magdalene 69
- LVCAS.
22. Venit dies azymorum, in qua  
 necesse erat occidi Pascha  
 65.  
 23. Erat autem Parasceue, & Sab-  
 bathum illucescebat 62  
 23. Mulieres emerunt aromata et  
 vnguentâ 62.b
- IOHANNES.
13. Ante diem festum Paschæ, sci-  
 ens Iesus venisse horam ipsi-  
 us vt transiret ex hoc mun-  
 do ad patrem 61.b  
 13. Quod facis fac citius 65.b  
 16. Caro mea verè est cibus, &  
 sanguis meus verè est potus  
 109.  
 18. Ipsi non introierunt in præto-  
 rium ne contaminarentur,  
 sed vt manducarent Pascha  
 62.  
 18. Nobis non licet interficere  
 quemquam 66  
 18. Facta hæc sunt vt adimpleret  
 sermo, quem prædixerat  
 Iesus, vt indicaret quâ mor-  
 te esset obiturus 65.b  
 18. Est autem consuetudo vobis,  
 vt vnum dimittam vobis in  
 Pascha 66  
 19. Iudæi ergo (quoniam Parasce-  
 ue erat) vt non remaneret  
 in cruce corpora Sabbatho  
 (erat enim magnus dies ille  
 Sabbathi) rogauerunt Pila-  
 tum vt frangerentur earum  
 crura & tollerentur 62.b
19. Erat autem Parasceue, & hora  
 quali sexta 62  
 ACTA.  
 1. Apostoli omnes perdurabant  
 vnanimiter in oratione &  
 deprecatione cum vxoribus  
 & Maria matre Iesu & cum  
 ipsius fratribus 127.b  
 15. Vt imponatur iugum super cer-  
 uices discipulorum 6.b  
 20. Festinabat Paulus si possibile  
 sibi esset, vt diem Pentecostæ  
 faceret Hierosolymis 26
- AD ROMANOS.
14. Alius iudicat diem inter diem  
 alius iudicat omnem diem  
 26.36.  
 AD CORINTH.
1. 10. Petra erat Christus 110  
 2. 5. Pascha nostrum immolatus  
 est Christus, diem itaq; fe-  
 stum celebremus non in ser-  
 mento veteri, &c. 60  
 2. 6. Quæ societas luci ad tene-  
 bras? Quæ conuentio Chri-  
 sti ad Belial? aut quæ pars fi-  
 deli cum infideli 21.b
- AD GALAT.
4. Dies obseruatis, & mense, &  
 annos: timeo vos, ne frustra  
 laborauerim in vobis 2.3.b  
 AD COLOSS.
2. Nemo vos iudicet in cibo, aut  
 in potu, aut in parte diei fe-  
 sti 1.b.3.b  
 AD HEB.
7. Mutato sacerdotio etiam le-  
 gis facta est mutatio 2  
 13. Memores estote ducum vestro-  
 rum qui locu i sunt vobis  
 sermonem Dei, quorum i-  
 mitamini fidem, consideran-  
 tes qui fuerit exitus conuer-  
 sationis ipsorum 14

INDEX TERTIVS RERVM  
 & verborum memorabilium.

- A.  
**A** Adelbert & eius festum 80 b  
 mors ibid.  
 Adelgūdis & eius festum 38 b  
 Adelheit & eius festum 157  
 Aduentus 151.b. eius festum ibid o-  
 rigo & antiquitas ibid, nomē hu-  
 ius festi vnde 151.b. 152. numerus  
 dominicarum aduentus 152  
 Aethna mons 144. locus purgatorij  
 Papistici ibid.  
 Agatha & eius festum 44  
 Agnus Dei consecratio & benedictio  
 76.a.b. distributio 77. ab Ethio-  
 cis & Iudæis mutuata 77.b. eius  
 vis 77
- Agnetis festum 37. cur ei agnus ap-  
 pingatur ibid. & a mulieribus. Ro-  
 manis offeratur ib. d. cur celebra-  
 ri cœptum ibid.  
 in Albis septimana: vide septimana  
 in Albis.  
 Alexander & eius festum 50. 84.  
 Alexander tertius Papa canoniza-  
 tiones sanctarum Pontificibus  
 Rom. solis vendicauit 17  
 Alexius & eius festum 118.b  
 Altaria spoliantur ornamentis in  
 die Cœnæ Dominicæ 59. lauan-  
 tur eodem die ibid. ritus hic vn-  
 de ibid.  
 Anabaptistarum error de festis x
- Andreas & eius festum 152. b. ritus  
 & translatio ibid.  
 Angeli non iuocandi 85  
 Angelica salutatio ad campanæ pul-  
 sum quando cœperit 53.b  
 Angliæ Regum consuetudo in Pa-  
 rasceue 61.b  
 Anicetus Papa & eius festum 78  
 Animarum omnium festum 143. o-  
 rigo 143.a.b. huius festi fundamen-  
 tum 144. confirmatio 144.b  
 Annuntiationis Mariæ festum 15.b  
 52. b. olim non tam in honorem  
 Mariæ, quam Christi celebratū 52  
 b. 53. quando celebrandum 53. eius  
 ritus 53. a. b. litaniz in hoc feste  
 canendæ



I N D E X.

- cantandæ 53. b. fabula de annun-  
 tiatione Mariæ ibid.  
 Anser Martianus 146  
 Anselmus & eius festum 117  
 Ancheri Papæ festum 33  
 Antichristus mutabit tempora 4. b  
 Apostolorum alij obseruarunt Pas-  
 scha cum Iudæis, alij mutarunt  
 tempus 70. b. legalia impugnat  
 ibid. nullas leges sauxerunt de fe-  
 stis 4  
 Apostolorum festa 80. b. & eorum  
 natalitia 14. a. b  
 Apparitionis S. Michaelis festum 84.  
 b. de eiusdē apparitionibus tribus  
 quid statuendum 84. b. 85  
 Aræ in agris & vijs vnde 13. b. dam-  
 natæ ibid.  
 Ascensionis Christi festum 14. b. 85.  
 b. antiquitas ibid. profanitas ib.  
 Assumptionis Mariæ festum 127. b  
 à quo institutum ibid.  
 Assumptionis Mariæ historia 127. b  
 de morte, & Assumptione eius dis-  
 sensiones ibid. an fuerit mortalis  
 ibid. de morte quidam dubitã-  
 runt 127. b. alij eam mortuam af-  
 firmarunt sed martyrio 128. alij  
 naturali morte obisse dicunt ibi-  
 dem.  
 de Assumptione Mariæ dissensio-  
 nes 128. b. an animã tantum as-  
 sumpta, an verò corpore simul  
 ibidem de totali assumptione fa-  
 bulosæ narrationes 129 vnde or-  
 tæ ibidem antiquitas huius festi  
 129. b  
 Assumptionis Mariæ octauæ origo  
 120. ritus huius festi ibid.  
 Astrologorum vanitas 35. iudicium  
 de stella, quæ Magis in natiuita-  
 te Christi apparuit ibid.  
 Aethiopiæ Christiani hodie Sabba-  
 thum Iudaicum, & diem domini-  
 cam seruant 2. b  
 Athanasius an author historię pas-  
 sionis dominicæ imaginis 145  
 Augusti mensis Calendæ Sclauis  
 sacræ 124. nonæ verò sacræ Ge-  
 nuensibus 126  
 Augustini locus de Magis corru-  
 ptus 34  
 Augustinenses Monachi 87  
 Aurea rosa, vide Rosa aurea.  
 Aureus numerus sæpe fefellit 4. id  
 probat festorum obseruationes  
 esse liberas ibid.  
 B.  
 Bacchanalia Christianorum 46. eo-  
 rum ritus impuri damnati ibi-  
 dem.  
 Bacchanalia Clericorum 46  
 Baptisteriorum aqua quando con-  
 secratur 68  
 Baptismus quando olim celebratus  
 68. eius aquæ consecrationē quis  
 primò instituerit ibid.  
 Barbara & eius festum 152. b  
 Balbina & eius festum 55. b. à stru-  
 molis inuocatur in Papatu, & cur  
 ibid.  
 Bartholomeus & eius festum 131  
 Bethphania quid 33. b  
 Bellarmini fraus in citandis patri-  
 bus 101  
 Blasius & eius festum 43. eius ritus  
 ibid. quare ab angina, aut guttu-  
 ris morbo laborantibus inuocetur  
 43. a. b  
 in Blasij sacris candela offertur 43  
 Dochsten vor Wienacht vnde 151. b  
 Bonifacij 8. Papæ facinus 47  
 Bouius Episc. Ostunensis contra ca-  
 nonem constitutionum Apосто-  
 licorum 71  
 Brigida & eius festum 40 122  
 Britanni vt obseruarint Pascha 72. b  
 Bruno Carthusianorum Patriarcha  
 & eius festum 139. b  
 Burkhardus & eius festum 140  
 C.  
 Caina hæresis 87. angelos docet in-  
 uocare ibid.  
 Caius Papa, & eius festum 78  
 Calendarum Ianuariarum impij ri-  
 tus à Christianis obseruati 31. b  
 damnati 32  
 Calixtus Papa 140. eius decreta  
 ibidem festum ibid.  
 Candela offertur in sacris Blasij 43  
 Candelarum consecratarum in fe-  
 sto purificationis Mariæ vis 42. b  
 Candelæ extinguuntur in die cœnæ  
 Dominicæ 59  
 Canonizatio sanctorum quid 19  
 Canonizationes sanctorum auxe-  
 runt numerum festorum 17  
 Canonizandi potestatem sibi primò  
 Episcopi deinde Pontifices Ro-  
 mani arrogarunt 23  
 Canonizandi ritus, & præparatio  
 ad eam 19. in cano- zatione san-  
 ctorum septem honores eis tri-  
 buuntur 20. ritus 20. canoni-  
 zationes sanctorum fiunt ad mo-  
 rem Ethnicum 20. b. Romani suos  
 Imperatores canonizarunt ibid  
 ritus 21. causa multitudinis Deo-  
 rum Ethnicorum ibid. in cano-  
 nizandis sanctis errari potest 21  
 canonizationes damnauit Caro-  
 lus M. 21. b  
 pro Canonizationibus argumenta  
 Bellarmini, & ad ea responsiones  
 22. origo canonizationis 22. b ad  
 seraperunt Pontifices Romani  
 23. cuius sit canonizare sanctos  
 ibid.  
 In canonizatione sanctorum Pa-  
 pam errare 23. b rationes Bellar-  
 mini Papam non errare posse 23.  
 24. 25. responsiones ibidem.  
 Canonizationes irritæ à Gentili-  
 bus 21  
 Canonizarunt Ethnici bene meri-  
 tos 20. b  
 Canonizati sæpe damnati 21

- Cantate Dominica 8  
 Capitulationum cur Cœnæ domini-  
 cæ festum dicatur 56  
 Capriui inuocant S. Leonardum 144  
 b. & cur ibid.  
 Carena, & Carina quid 54  
 Carolus M. & eius festum 38. primo  
 legem de festis, & certo eorum  
 numero edidit 16  
 Carthaginense concilium 5. damna-  
 uit festorum multitudinem 17. b  
 Castrum S. Angeli Romæ 84. b  
 Catharina & eius festum 148. philo-  
 sophiæ & artium magistra ibid.  
 de Catharina diuersæ sententiæ 148  
 Catharina Senensis & eius festum 81  
 Cathedræ Petri festum 48. origo  
 ibid. exoleta restituitur 48. b  
 ex Ethnico in Christianum mu-  
 tatum 48. b. dicitur etiam Petri  
 Epularum ibid.  
 Ceremoniæ Veteris Testamenti ad  
 tempus quidem ab Apostolis re-  
 tentæ, sed postea abrogatæ 2. b 5. b  
 Cereus Paschalis & eius benedi-  
 ctio 67. ritus obseruari in die be-  
 nedictionis cerei Paschalis ibid.  
 superstitiones 67. b benedictio-  
 nem hanc quis instituerit ibidem  
 Cereus non bene ductus in Gal-  
 licia ibid.  
 Cerei benedictio non fuit Pruden-  
 tij tempore 68  
 Cereorum consecratorum in puri-  
 ficationis Mariæ festo vis 42. b  
 Cereos consecrandi ritus in festo  
 purificationis Mariæ 42. 42  
 Chiridomus & eius festum 158  
 Christiana & eius festum 122  
 Christophorus & eius festum 122. b  
 fabulosa de eo legenda ibid. ritus  
 123. eius transitus per flumen ibid  
 Christus nullas leges dedit de festis  
 4. quando celebrârit Pascha vlti-  
 mum & sacram cœnâ 61. b quan-  
 diu in sepulchro manserit 69. b  
 quoto die mensis passus sit 66  
 qua hora resurrexerit 68. b  
 Christum non passum in die solenni  
 paschæ probatur testimonijs scri-  
 pturæ 61. b. 62. Patrû 62. b. 63. ra-  
 tionibus 64. a. b  
 Christiani cur suum annum à Cal-  
 Iau. auspiciantur 31. b  
 Ciborû discrimen in Ecclesia Chri-  
 sti 26  
 Cinerum diei origo 46. ritus 47  
 Cineris consecratio blasphema 47  
 Cinerum aspersio ibid.  
 Cinere vt Papa, & Cardinales asper-  
 gantur 47  
 Circumcisionis festum recens est  
 31. b  
 Clauorum Christi festum 28  
 Cleniaugis damnat multitudinem  
 festorum 18. eius querela de fes-  
 tis Sanctorum ibid.  
 Clemens Papa, & eius festum 140  
 148. decreta ibid.  
 Cletus & eius festum 81  
 Cœcilia & eius festum 147. b. domi-  
 b 3



I N D E X.

nico diei æquatum ibid.  
**Cælestinus Papa & eius festum** 86  
 1. b.  
**Cælibatus Sacerdotum impugna-  
 tur** 11. b. 117  
**Cœnæ dominicæ festi ant quitas et  
 origo** 54. b. 55. nomen ibid. ritus et  
 ceremoniæ 55. cur Pas. ha floridū  
 dicatur 54. b. dicitur etiam domi-  
 nica in Ramis palmarum ibid.  
**Cœnam Sacram quando Christus  
 instituerit** 61. b.  
**Cœna Pontificalis seu Cœnæ domi-  
 nicæ descriptio in quinta feria  
 hebdomadæ magnæ** 57. in hac  
 Cœna obseruanda multa, aulæ  
 apparatus, mensa Papæ, credentia  
 Papæ, mensæ Cardinalium, mensa  
 Oratorū, & nobilitum, Imperialis  
 sedes, ritus item Cœnæ huius &  
 ceremoniæ 57. b. 58. a. b.  
**Cœna Pontificalis ab Ethnicismo  
 desumpta** 58. b.  
**Cœna auguralis** 58. b.  
**Cœnæ salares** 59.  
**Cætos ahd-libus in veteri Ecclesia  
 certis diebus sunt habiti** 1. b. quo-  
 tidiani non obstant quo minus  
 certis diebus tota Ecclesia con-  
 ueniat ibid.  
**Collectæ in memorijs sanctorū v-  
 surptæ** 11. b.  
**Comensationes in dierum Natali-  
 bus vnde** 10. a. b.  
**Commemorationes Martyrum a-  
 pud sepulchra eorum** 9.  
**Commemoratio omnium defuncto-  
 rum fidelium: vide animarum o-  
 mnium festum.**  
**Commemoratio Pauli** 15.  
**Commemorationis septem dolorū  
 B. Mariæ festum** 80.  
**Compestellata peregrinatio** 122.  
 vnde ibid.  
**Conceptio hominum omnium est  
 impura** 155.  
**Conceptio B. Mariæ qualis fuerit  
 154. b. de ea controuersia** 154. b.  
 155.  
**Conceptionem Mariæ fuisse imma-  
 culatā probatur rationibus à Bel-  
 larmino & earum confutatio** 154.  
 b. 155. 156. festum hoc improbatum  
 156. b. 157. ab initio non institu-  
 tum propter immaculatam con-  
 ceptionem Mariæ 154. b. eius an-  
 tiquitas 153. b. origo & prima in-  
 stitutio ibid. confirmatio ibid.  
**Confirmatio quando olim facta** 68.  
 a. b.  
**Constantinus M. auxit numerum se-  
 storum** 15. iussit conquirere no-  
 mina Martyrum ibid.  
**Constantini M. festum** 52. b.  
**Conuersionis Pauli festum** 37. b. de  
 eius conuersione varis sententiæ  
 ibid. dies criticus 38.  
**Conuiuia in diuorum natalibus vn-  
 de** 10. a. b.  
**Coronæ Christi festum** 78.  
**Coronati quatuor** 144. b.

**Corporis Christi festum** 88. origo  
 ibid. miraculum in hoc festo edi-  
 tum 88. ritus 89. ab Ethnicis ma-  
 nauit 90. progressus 90. b. nomen  
 huius festi mutilatum 91. b. cur  
 institutum 91. b. cur à Christia-  
 nis non debeat obseruari ibidem  
 prognostica huius festi 92. ratio-  
 nes Urbani Pontificis pro defen-  
 sione huius festi 92. argumenta  
 Grefcheri Iesuitæ pro idolola-  
 tria horribili huius festi, & ad ea  
 responsiones 92. b. 93. & seq.  
 Iesuitæ impudencia 92. b. 94. &  
 seq. processio Hispanica in cor-  
 poris Christi festo 95. Christus  
 non substantialiter in Sacramen-  
 to 98. verba Eucharistica sunt  
 figurata 99. non adoranda ib. cor-  
 poris Christi celebratione per-  
 suadetur homines panem non  
 amplius esse panem 91. b. abdu-  
 cuntur à vero cœnæ dominicæ  
 vsu ibid. origo Ethnici spectacu-  
 li in corporis Christi festo 102.  
**Contra Atheniensium damnata**  
 26.  
**Creaturis festa non instituenda** 8.  
**Cruce Christi, quando, & à quo in-  
 uenta** 81. b. 82. a. b. ab Helena in-  
 uentam esse Grefcherus conten-  
 dit 81. non inuenta tempore Eu-  
 sebij Papæ 82. sententia Zonaræ  
 de S. cruce 82. b. Eusebij, Hiero-  
 nymi, Ruffini & aliorum ibid.  
 crux inuenta magno labore 183.  
 vt agnita 83. b. 84. vnde Romam  
 peruenit 136. b.  
**Crucis inuentionis festum** 81. b.  
**Crucis exultationis festum** 135. ori-  
 go ibid. ritus 136. b.  
**Cultus dulcæ & latriæ differentia**  
 8. b.  
**Cultus Sanctorum verus** 10. b.  
**Cyprianus & eius festum** 137. b.  
**Cypriaricum dictum ibid.**  
**Cypriani locus de Sacrificijs pro  
 Martyribus in eorum memorijs  
 explicatur** 12.

D.

**Dagobertus** 158. eius festum & de-  
 creta ibid.  
**Damasus & eius festum** 157. b. de-  
 creta ibid.  
**Dauid Britannus** 161. eius canoni-  
 zatio & festum ibid.  
**Decollatio Iohannis Baptistæ cele-  
 bratur ob quatuor causas** 132.  
 133.  
**Dedicationes templorum: v. de En-  
 cænia.**  
**Defunctorum in Ecclesia legendi  
 consuetudo** 12. b. vnde orta ibi-  
 dem.  
**Deorum Ethalæorum multitudinis  
 causa** 21.  
**Des certi destinandi cœtibus sacris**  
 1. b.  
**Dies festi per se non sanctiores re-**

liquis 4. b.  
**Dies dominica omnium eminentis-  
 sima** 7.  
**Dies per se nullius mysterijs nos ad-  
 monet** 6.  
**Dies quorū fuerit mensis, quo Chri-  
 stus passus est** 66. a. b.  
**Dierum obseruatio superstitiosa &  
 Ethnica 2. non est cultus Dei** 7.  
**Dierum certorum obseruatio lu-  
 daica non est sublata in Papata,  
 sed tantum mutata** 4. b.  
**Dierum discretio et significatio, non  
 est sublata, sed mutata tantum se-  
 cundum Iesuitas** 6. b.  
**Diuisio Apostolorum duodecim** 117.  
 festum ibid.  
**Dominica dies antiquissima** 26. b.  
**Dies dominica cur vna Sabbari di-  
 catur** 27.  
**Dominicam diem Christiani loco  
 sabbari Iudaici obseruant** 27. do-  
 minicæ diei fuit libera obseruatio  
 27. b.  
**Diem dominicam Constantinus M.  
 primò lege præcepit** 27. b. cur  
 Christiani suum sabbarum dieam  
 Dominicam appellauerunt 27. b. cur  
 prima dies hebdomadæ Domini-  
 ca dicatur 28. die dominica non  
 orandum si xis genibus 28. b. non  
 ieiunandum hoc die ibid. libera  
 illius obseruatio 27. b.  
**Diem dominicam & sabbarum in  
 differenter obseruauit Paulus** 27.  
**Dominica cantare** 81. b. Exaudi 85. b.  
 Iubilare 80. b. Latere 50. b. Misere-  
 ricordia 78. b. de panibus 50. b. de  
 Rosa 50. b. Qualimodo 78. Vocem  
 85. in Albijs 14. b.  
**Dominica in Ramis palmarum** 14.  
 b. 53. b. eius nomina 54. b. festi an-  
 tiquitas ibid.  
**Dominica passio: vide Passio domi-  
 nica.**  
**Dominica cur Christiani primitiuæ  
 Ecclesiæ templa sua appellauerunt**  
 28.  
**Dominicarum aduentus numerus**  
 152.  
**Dominicæ Passionis imaginis fe-  
 stum** 145.  
**Dominicus & eius festum** 126.  
**Dom̃ & Dom̃herren vnde** 28.  
**Dormitionis Maræ festum: vide Af-  
 sumptionis Mariæ festum**  
**Dormitionis Mariæ historia** 127. b.  
**Dorothea & eius festum** 44. b.  
**Dulciaria dantur Calendis Ianuarij**  
 32.  
**Dulcè non vult honorari sanctos  
 Augustinus** 8. b. nec Angelos ibid.  
 eò maius seruitium præstatur crea-  
 turis quàm hominibus 8. b.  

E.

**Ebionitæ cur Paulum Apostatā vo-  
 carint** 2. b. eorum de festis hære-  
 sis ibid. errorem de festis refuta-  
 uit Paulus, Concilium Laodica-  
 num tertium & Gregorius M. ibi-  
 dem.

in Ec.



I N D E X.

In Ecclesia omnia ordinē, & decen-  
ter fieri 2  
 Encenia unde dicta 161. b. Encenia  
 quid hodie ibid. origo ibid. usus  
 & forma Enceniorum 161. b. 162  
 abusus 162. a. b  
 Engelweyhe 138  
 Edmundus 152. eius Canonizatio  
 ibid. festum ibid.  
 Elisabetha 147. eius Canonizatio,  
 & festum ibidem  
 Eoster Dea quæ 68. b  
 Eostermont ibidem  
 Epiphania quid 33. etymon & ritus  
 35. b. Epiphania, & natiuitas Chri-  
 sti à Græcis simul celebrata in  
 occidentis verò Ecclesijs diuersa  
 sunt festa 33. eius origo 33. b. Epi-  
 phaniæ primò mentionem fecit  
 Nazianzenus 33. Epiphania non  
 rectè dicitur festum trium Regum  
 34. b  
 de Epiphania iudicium 65. b  
 Epiphania templa cur Dominica di-  
 cta 28  
 Epulæ in memorijs Martyrum sa-  
 crificia dictæ 126  
 Epularum sepulchralium luxus da-  
 mnatus 13. b  
 Ethnica obseruatio dierum 2  
 Ethnici nõ Deo sed creaturis festa  
 instituerunt 8  
 Ecclesiæ mandata quando obligent  
 in conscientia 7. b  
 Eucharistia quando sumenda 73 ad  
 ægrotos lata 90. mulierculis data  
 perferenda domum 91  
 Euthymij sententia de hora resur-  
 rectionis Christi refutatur 69  
 Exaltationis Crucis festi origo 135  
 quando in Occidentè inuectum  
 ibid. ritus ibidem

F.

Fasnacht 46  
 Fabrorum feriæ Romæ 52  
 Fabricantes quare Petronellam in-  
 uocent 87  
 Februaria Romana 40. a. b. in omniũ  
 animarum festum conuersa  
 Feriæ cur dies septimanæ dicantur  
 28  
 Feria quinta Cœnæ Dominicæ: vi-  
 de Cœna Dominica.  
 Feriæ quintæ festum: vide Cœnæ  
 Dominicæ festum.  
 Feria secunda post resurrectionem  
 Dominicam dicitur septimana in  
 albis 74. b. & cur ibid. tota festi-  
 ua fuit ibid. superstitiones 75. &  
 ritus 75. b  
 Feriarum nomē quis primò diebus  
 septimanæ dederit 27. b  
 Ferias cur Ethnici festa sua appella-  
 rint 28  
 Festum corporis Christi: vide Cor-  
 poris Christi festum 88  
 Festum Abdonis 123. b. Abrahami  
 157. b. Adami & Euzæ 158. Adal-  
 berti 80. b. Adalgundis 38. b. Adel-  
 heitæ 57. Aduentus 151. b. Aegi-  
 dij 134. Aemilij 86. Afræ 127. A-

gabi 45. b. Agathæ 44. Agathos  
 nis 153. b. Agnetis 37. Albani 113. b  
 Albini 49. b. Alexandri 50. Ale-  
 xandri Papæ 84. Alexij 118. b. A-  
 mandij 141. b. Amati 135. Amonis  
 158. Anastasij 81. Aniani 147. Ani-  
 cæri 78. Andreæ 152. b. S. Anæ  
 123. Annunciationis Mariæ 52. b  
 Anselmi 117. Antheri Papæ 33.  
 Antonij Eremitæ 36. b. Antonij  
 Minoritæ 113. Aphrodisij 52. b. A-  
 pollinaris 122. Apolloniæ 44. b.  
 Apostolorum 81. Apparitionis S.  
 Michaelis 84. b. Arbogasti 118. b  
 Ascensionis Christi 85. b. Ascha-  
 sij 146. b. Artemij 112. b. Assum-  
 ptionis Mariæ 127. b. Athanasij  
 81. b. Attali 50. b. Augustini 131. b.  
 Balbinæ 55. b. Barbaræ 152. b. Bar-  
 nabæ 113. Bartholomæi 131. Basi-  
 lidis 113. Beatrix 123. b. Benedi-  
 cti 52. b. Bernhardi 131. Bernardi  
 86. Bernardini 86. Bedæ 87. Boni-  
 facij 112. b. Bonauenturæ 117. b.  
 Brigidæ 122. Blasij 43. Brigidæ  
 40. Brunonis 139. b. Burkardi 140  
 Gaij Papæ 78. Calyxti 140. Can-  
 didi 152. b. Caprasij 140. b. Cari-  
 sij 78. Caroli M. 38. Crispini 141.  
 b. Casiani 151. b. Casti 86. Casti-  
 li 5. b. Catharinæ 148. Catharinæ  
 Senentis 81. Chiridonij 158. Chri-  
 stianæ 122. Christophori 122. b.  
 Chrysogoni 148. Chumberti 146  
 b. Circumcisionis 31. b. Claræ 127  
 Clauorum Christi 78. Clementis  
 140. 148. Cleophæ 137. b. Cleti 81.  
 Cæcilie 147. b. Cælestini Papæ  
 86. 118. Cœnæ Dominicæ 56. Col-  
 manni 140. Columbani 141. b.  
 Côm memoratiõnis septem dolorũ  
 B. Mariæ 80. Cõceptionis Mariæ  
 153. b. Conradi 151. a. b. Cõstantini  
 25. b. Constantis 139. b. Cordulæ  
 141. Corinthe 44. b. Coronæ Chri-  
 sti 78. corporis Christi 88. Cosmæ  
 & Damiani 137. b. Crispi 139. Cri-  
 spini 141. b. Cypriani 137. b. Cy-  
 riaci 127. Cyrilli 117. b. Dagober-  
 ti 158. Damasi 157. b. Danie-  
 lis Leuitæ 33. Davidis Britan-  
 ni 161. Decies mille Martyrum  
 113. b. Decollationis Ioannis Ba-  
 ptistæ 132. Desiderij 86. Dionysij  
 75. b. 140. Diuisionis duodecim  
 Apostolorum 117. Dominici 126  
 Donatiani 86. b. Dorotheæ 44. b  
 Edelerudis 113. b. Edmundi 152. b  
 153. Egessippi 57. b. Eligij 114. 152.  
 b. Elizabethæ 147. Emerentianæ  
 37. b. Emerici 134. Enceniorum  
 161. b. Epimachi 157. b. Epipha-  
 niæ 33. Erasmi 87. b. Erhardi 36.  
 b. Eugenij 147. Euphemie 136. b  
 Euphrasie 50. b. Euphrasine 44.  
 b. Eusebij 127. Eustachij 55. b. Eu-  
 tropij 81. Exaltationis crucis 135  
 Fabiani 38. b. Faustæ 137. Faustini  
 46. b. Felicis Aducti 132. b. Feli-  
 cis & Regulæ 135. Felicis presby-  
 byteri 36. b. 137. b. Felicitatis 50.

Feliculæ 113. Ferreoli 137. Fidel  
 139. b. Fidelium multorum 48.  
 Floriani 84. Fortunati 85. b. Fran-  
 cisci Minoritarũ patris 139. Fri-  
 dolini 49. b. Gabini 47. b. Gebhar-  
 di 131. b. Gaij 78. b. Galli 140.  
 Gerasij & Prothasij 113. Genesij  
 131. b. Genouefæ 33. Georgij 78.  
 b. 79. a. b. 80. Gereonis 140. Ger-  
 mani 123. b. Gertrudis 52. Gordia-  
 ni 85. Gorgonij 135. Gothardi 84  
 Gregorij M. 50. b. Guidonis 51. b  
 135. Guniberti 52. b. Gelasij 147.  
 Heguidæ 140. b. Helenæ 130. b  
 Henrici 11. Imp. 117. b. Herculia-  
 ni 134. Heriberti 52. Hermetis 85  
 Hierij 144. b. Hieronymi 138. b  
 Hilarij 36. b. 118. 135. Hippoliti 127  
 Hospitij 86. Hugonis Grati-  
 nop. Episcopi 59. b. S. Huldrici  
 116. Hygini Papæ 36. b. Iacobi A-  
 postoli 122. Ianuarij Episcopi 137  
 Ignatij 39. b. Inuentionis crucis  
 81. b. Innocentium 160. Ioachimi  
 157. b. Ioannis Apostoli, & Euan-  
 gelistæ 160. Ioannis Chrystosto-  
 mi 38. Ioannis & Pauli 114. Ioan-  
 nis Fremite 53. b. Ioannis Euan-  
 gelistæ ante portam Latinam 84.  
 Iosephi 52. Iulianæ 46. b. Iuliani  
 Antiocheni 36. b. Iuliani 45. Iu-  
 liani Cenomanensis 38. Iulij I.  
 Papæ 78. Iustini 78. Iuuenalis 84.  
 b. Kunegundis 49. b. Kyliani 117  
 b. Lamperti 136. Lanceæ Christi  
 78. Laurentij 127. Lazari 157. b.  
 Leandri 49. Leodegarij 139. Leo-  
 nardi 144. b. Leonis Papæ 114.  
 Leopoldi 146. b. Longini 51. b. Lu-  
 cæ Euangelistæ 140. b. Lucie 157  
 b. Lucij 49. b. Lucinæ 140. b. Lu-  
 douici Episcopi 131. Ludouici Re-  
 gis 131. b. Luminum Rom. 149. b.  
 Macarij 32. b. Macedonij 50. b.  
 Magni 134. Malachie 144. b. Ma-  
 merti 85. 134. Mamertis 130. b.  
 Marcelli 36. b. Marcellini Anco-  
 nitauis Episcopi 36. b. Marci Euan-  
 gelistæ 80. b. Mariæ Aegyptiacæ  
 67. S. Mariæ ad Nives 125. Mar-  
 ci, & Marcelliani 113. Margari-  
 thæ 118. Marthæ 123. b. Mariæ Ma-  
 gdalenæ 118. b. Matthæi Apostoli  
 137. Martini Papæ 145. b. Marti-  
 ni Episcopi 145. b. Materoi 118. b  
 Matihæ 48. b. 49. Mauri 36. b  
 Mauritij 137. Maximi 151. b. Maxi-  
 mini 87. Medardi 112. b. Melcia-  
 dis 158. b. Menardi 37. S. Michaelis,  
 & omniũ Angelorũ 138. Mino-  
 ritarũ septem. Narcisci 141. b. Na-  
 sonis 117. b. Natiuitatis Christi  
 158. Natiuitatis Ioannis Baptistæ  
 113. b. Natiuitatis Mariæ 134. Ne-  
 mesij 158. Neophytorum 74. b.  
 Nestoris 49. Nicolai 153. Nicano-  
 ris 36. Nicasij 157. b. Nicomedis  
 136. b. Nicostrati 117. b. Olympiæ  
 78. Omnium animarum 143. O-  
 mnium Sanctorũ 142. Onophrij  
 113. b. Osualdi 126. Othmar  
 113. b. 4



I N D E X.

146. b. Otriliæ 157. b. Ottonis Epi  
 sci p. 139 Pamphili 87. b. Pancre  
 oij 85. Panthaleonis 123. Parafre  
 naurum 123. b. Parafceus 56. b.  
 Paschaliij 146. b. Passions Domi  
 nicæ imaginis 145. Patrij 52.  
 Paulæ 113 Paulini Episcopi 137. b.  
 Pauli Episcopi 112. b. Gonstanti  
 nop. ibid. Pauli conuersionis 37. b.  
 Pauli commemorationis 115. Pau  
 li Eremitæ 36. b. Pacinacari 163.  
 b. Pelagiæ 140. Pelagij Papæ 131.  
 b. Pentecostes 86. Peregrini 86.  
 Perpetuæ 50. Petri & Pauli Apo  
 stoli 115 Petri Cathedræ 48. Pe  
 tri Medilauensis 81. Petri ad vin  
 culâ 124. Petronellæ 87. Petronij  
 139. b. Philippi Apostoli 81. a. b.  
 Phocæ 49. b. Pigenij 52. b. Pij  
 Papæ 117. b. Placidia 140. Poly  
 carp. 38. Pontiani Spoletani 36. b.  
 Pontij 50. Potentianæ 86. Presen  
 tationis Mariæ 147. Primi & Fe  
 liciani 112. b. Priscæ 36. b. Prisci  
 presbyteri 31. Priuati 131. Proco  
 pij 115. b. Procori 75. b. Prolimæi  
 140. b. Purificationis Mariæ 40.  
 Quadragesima Martyrum Seba  
 stia 50. Quatuor coronatorum  
 144. b. Quadrati 87. Quintæ fe  
 riæ 56. Quirini 117. b. Reginæ  
 134. b. Reuigij 139. Rochi 130. b.  
 Rolandi 113. Romani 49. 127. Ro  
 perti 117. b. Ruffi 157. b. Ruffinæ  
 118. b. Sabina 153. Salome 141. b.  
 Sauguinis Christi 143. b. Saturni  
 1152. b. Saturni 163. b. Satyri 36.  
 b. Scholasticæ 44. b. Sebaldi 180.  
 b. Sebastiani 36. b. Septem dormi  
 entium 114. Septem fratrum 117.  
 Sereot 48. b. Sergij 139. b. Seruati  
 85. b. Seueri 144. b. Seuerini 142.  
 b. 45. b. Siluerij 113. Simeonis 46.  
 b. Simeonis Srylitis 33. Simeonis  
 Archiepiscopi 78. b. Simonis 143.  
 b. Simplicij Papæ 49. b. Sixti Pa  
 pæ 26. 175. b. Stanislai 85. Stepha  
 ni 160. Stephani Protomartyris  
 126. Sulpitij 73. b. Symphoriani  
 131. Syluestri Papæ 161. Teclæ  
 137. Telesphori 33. Theobaldi 115.  
 Theodori festam 145. Theodo  
 fia 114. Theophili 144. b. Theo  
 nesti 141. b. Thomæ Aquinatis 50.  
 Thomæ Apostoli 158. Tiburtij 78.  
 127. Timonis 78. Timothei disci  
 puli Pauli 37. b. Torpeti 86. Tor  
 quati 85. b. Tranquillini 117.  
 Transfigurationis Christi 126. b.  
 Trinitatis 87. a. b. Valerij 113. Ve  
 nantij 86. Venerandi 146. b. Ve  
 renæ 137. a. b. Veronicæ 43. Victo  
 riani 52. b. Victorini 49. Vincen  
 tij 37. Vincentij Hispani 75. b.  
 Urbani 86. b. Visitationis Mariæ  
 115. b. Vitalis 81. Viti & Madelij  
 113. Vrli & Victoris 138. b. Vrsulæ  
 140. b. 141. Vuesceslai 137. b. Vuil  
 helmi 87. Vuilfridi 140. Vuolff  
 gangi 141. b. Τ ΠΑΥΤΗΣ 40. Za  
 chari 131

Festa alia generalia, alia particula  
 ria 19. fixa quæ ibidem  
 Festa in Nouo Test. esse libera pro  
 batur testimonijs Scripturæ 3. b.  
 Christi, Apostolorum, & primiti  
 uæ Ecclesiæ exemplis ibid. autho  
 ritate Socratis 4. Hieronymi  
 ibid. rationibus ibid. in Vet. Test.  
 ad certa tempora alligata 3. eorū  
 ratio in N. Test. ibid. Ethnicorū  
 non omnino sublata 15. Iudæo  
 rum à Christianis non celebra  
 da 1. b. 2. 3. alligare festa certis tē  
 poribus imponit iugum Christia  
 nis 4. b. & est Antichristi opus 1.  
 bid. quæ Conciliū Moguntinum  
 seruare iussit 16. b. Iesuitis non  
 sunt libera 4. b. & sequ. In N. T.  
 liceret transferre in alios dies 3.  
 a. b. 6. Episcoporū Romanorum  
 quando instituta 16. b. Iudæorum  
 festa fuerunt graua 6. a. b. à Chri  
 stianis esse celebranda probatur  
 primitiua ecclesiæ exemplis 1. b.  
 2. decalogi quarta lex soli Deo  
 vindicat 8. quando primū à ve  
 spera ad vesperam celebrari cœ  
 perint 16. à Christianis ppter or  
 dinem certa sunt celebranda 1. b.  
 2. 6. in N. Testa. non obligant in  
 conscientia, sed scandali ratione  
 3. a. b. multa Christianorū Eth  
 nicorum festis similia 13. ea insti  
 tuerunt Concilia 8. pauca habuit  
 primitiua ecclesia 14. omnia mar  
 tyrum nō in singulis ecclesijs ce  
 lebrata 10. martyru quolibet die  
 totius anni plusquam 5000. con  
 currunt 10. Imperatorum quan  
 do instituta 16. b. Imperatorū ad  
 morem Ethnicorum instituta 16.  
 b. Iudæorum obseruare Apostoli  
 in infirmioribus quidem tolera  
 runt, at non in perfectioribus 2. b.  
 Festa Sanctorum Iesuæ nullo sa  
 cræ scripturæ testimonio, sed tan  
 tum rationibus probant 8. b. &  
 ad eas responsio ibid. cur multa  
 à Christianis ad imitationem fe  
 storum Ethnicorū instituta 13.  
 quæ seruare iussit Synodus O  
 xoniensis 17. auxit Synodus Lao  
 dicena 15. auxit Constantianus M.  
 15. festa particularia vel sunt fi  
 xa vel mobilia 19. Diuis institue  
 re idololatria est 8. non sanctis &  
 creaturis instituenda ibid. an in  
 Nouo Testamento habeant signi  
 cationem 6. b. quæ Gregorius 9.  
 seruare præcepit 17. non certis  
 temporibus alliganda 2. b. nulla à  
 Christianis celebranda Petrobru  
 siani quibus rationibus probent  
 1. a. b. & ad eas responsio 1. b. 2. a. b.  
 cur dicantur sacra, sancta mysti  
 ca à patribus 7. Veteris & Noui  
 Testamenti seruanda Ebionitæ  
 docebant 2. b. quæ seruare iusse  
 rit Concilium Lugdunense 17. a.  
 b. quæ Caroli M. seruare præce  
 perit 16. festorum numerum auxe

runt canonizationes Sanctorum  
 17. peruenit ad tabulam decalo  
 gi primam 8. in Nouo Testamen  
 to cur instituta 3. 4. ut alia alijs  
 sint præstantiora 7. Papistæ ma  
 gis instituunt in honorem san  
 ctorum, quam Dei 8. Christiano  
 rum iugum grauius Iudæorum 6.  
 b. tria solennia fuerunt in primi  
 tiua ecclesia 14. a. b. creaturis in  
 stituere aduersatur consuetudini  
 veteris Ecclesiæ 8. est Duna ibid.  
 gentilismum sapit 8. a. b. festo  
 rum multitudini occasionem pre  
 buerunt liberationes insignes &  
 victorie 15. b.  
 Festa seculi Primi à nato Christo 14.  
 festa seculi Secundi & Tertij 14.  
 b. Quarti 15. Quinti 15. b. cur hoc  
 seculo aucta 15. b. non ubique ob  
 seruata 15. b. festa seculi Sexti 16.  
 Septimi, Octauj & Noni ibidem  
 Decimi 16. b. Vndecimi & Duo  
 decimi ibid. Decimicertij 17. De  
 cimi quarti 17. b. Decimi quinti,  
 & Decimifexti ibid.  
 Festa Ianuarij mensis 31. b. & sequ.  
 Februarij 30. b. & sequ. Martij 49.  
 b. & sequ. Aprilis 56. & sequ. Maij  
 81. & sequ. Iunij 87. b. & sequ. Iulij  
 115. & sequ. Augusti 114. & sequ. Se  
 ptembris 133. b. & sequ. Octobris  
 139. & sequ. Nouembris 142. & se  
 qu. Decembris 152. b. & sequ.  
 Festorum dies per se non sanctio  
 res reliquis diebus 4. b. san con  
 secrant Christus dies festos 7. b.  
 an per se sint cultus diuini 7.  
 an tollendi quod nullam habent  
 significationem 7  
 Festorum vigilæ: vide Vigilæ fe  
 storum  
 Festorum diuisio 19. præcisæ obser  
 uationes quoad tempus in Nouo  
 Test. sunt abrogatæ 3. b. multitu  
 do vnde nota 13. a. b. obseruatio  
 nes non sunt liberæ Iesuitis 4. b.  
 & sequ. festorum ratio in Nouo  
 Testamento 3. Mosaicorum signi  
 ficatio ibid. obseruatio apud Pa  
 pistas non minus est iugū quam  
 apud Iudæos 6. a. b. obligatio  
 Pontificia aduersatur verbo Dei  
 7. b. obseruatio nulla lege nec  
 cessaria 5. multitudinem dampna  
 uit concilium Carthaginense V.  
 17. b. alia ratio in Nouo Testamē  
 to quam in Veteri 3. multitudo  
 quoque damnata in ipso Papatu  
 17. b. 18. h. storia in primitiua &  
 recentiori ecclesia 14. a. b. & sequ.  
 in Festis spectatur non solum oriū,  
 sed etiam significatio 8  
 de Festis quando primū certæ le  
 ges latæ 71  
 Fridolinus & eius legenda 49. b.  
 cur dictus Viator ibid. de eo fa  
 bula ibid. cur Glaronenses eius  
 imaginem pro insignijs suis ha  
 beant 49. b. 50. Christiani mura  
 tis nominibus ex festis Paganis  
 fecerunt



I N D E X

fecerunt Christiana 8  
 Fron & fionen quid 91.b  
 Fronaltar ibid.  
 Fronteychnam festum 91.b

G.

Gallicinium & media mox differunt 69  
 Gedeon Ephod consecrauit 14. fuit causa idololatriæ & ruinæ familiaris suæ ibid.  
 Gelasius Papa & eius festum 147. Manichæorum libros combulsit ibi. libros apocryphos ab authenticis discreuit, & bigamos ad sacerdotium admisit ibid.  
 Georgij festum 78.b. in rerum natura is, quem Pontificij inuocant, non fuit ibid. eius certamen cum Dracone fictum 79. an Georgius fuerit martyr aliquis 80  
 Gregorij 9. decretum de numero festorum 17  
 Gregorius M. & eius festum 50.b. huiusce author ibid. patronus studiorum 50.b  
 Græuer donnerstag 56

H.

Halberstadij ritus in die cinerum 47. Tiguri 47.b  
 Haultus S. Iohannis 160.b  
 Hebdomada passionis 14.b. dicitur etiam hebdomada magna ab Ignatio 33.b  
 Hebdomadæ Paschales festiue 53.b  
 Hebdomadæ Pascalis prior religiose celebrata 54. in carnis superstitiosi obseruati 54.b  
 Helsen & Helsenweggen vnde 32  
 Helenæ solennitati occasionem dedit Constantinus 15  
 Hymen Faschnacht 46  
 Hoher Donnerstag 56  
 S. Huldrycus & eius festum 116. eius ritus 117. an fuerit author epistolæ ad Nicolaum I. Pontificem contra cœlibatum sacerdotum 116. epistola illa congruit cum verbo Dei ibid.  
 Huldryci diuersi ibid.  
 Hygini Papæ festum 36.b  
 Hugonis Episcopi ordinis Carthusiensis festum 59.b

I.

Iacobus Apostolus & eius festum 122 an Compostelle sepultus ibidem. vnde Compostellana peregrinatio nata 122. Lupa regina ipsi Compostellæ Templum dedicauit ibi.  
 Ianuariæ Calendæ à Christianis Ethnicis more celebrantur 31.b  
 Ianuariæ Calendæ à Priscis Christianis celebratæ 31.b. earum ritus ab Ethnicis damnati 32  
 Idololatria olim à Memorij Martyrum abfuit 12.b. 13

Ieiunia Paschalia 54. earum libertas ibid. in profestis quando & cur instituta 26  
 Ieiunia dieb. dominicis vetita 28. b  
 Ieiunium in die cœnæ Dominicæ in aliquibus Ecclesijs seruatum, in alijs non 59. de Ieiunijs varia ac discrepantia Conciliorum de creta ibid. Asiatici & alij nonnulli diebus sabbatis non ieiunarunt 39.b. Ieiunium quadragesimæ nõ soluendum in die Dominicæ 59. nec in Parasceue 59. b. 60  
 Ieiunium Quadragesimale vnde 54  
 Iesuita Gretcherus refutatur in doctrina de Eucharistia: vide festum corporis Christi.  
 Iesuitæ confutantur in doctrina Eucharistica 61.b. 62. 63. & sequ. illorum de libertate festorum sententia 4.b. & seq. eorum argumenta pro canonizatione sanctorum & ad ea responsiones 22. & seq. argumenta anticipationem paschalis à Christo factâ esse, et eorundem futatio 65. a. b. 66. argumenta Iesuitarum quibus probant dies festos alijs verè esse sanctiores 6.b. & ad ea responsiones 6.b. 7  
 Iesuiticæ probationes festorum sanctorum 8.b. & ad eas responsiones 8.b. & seq.  
 Imagines velantur in cœnæ Dominicæ die 59  
 Imaginis passionis Dominicæ festum 145  
 Imperatorum festa ad morem Ethnicorum instituta 16.b  
 Innocentium festum 160. b  
 Inventionis S. Crucis festum 81. b. orthodoxi eius festa non simpliciter reiiciunt ibid. S. crux ab Helena inuenta 81. de tempore inventionis variæ ac discrepantes sententiæ 82. b. 83. inuenta magno labore 83. vt agnita 83. b  
 Inventionis S. Stephani festum 126 eius author fuit Dominicus ibid. translatio ibid.  
 Inuocatio sanctorum mortuorum vnde 12. a. b. 13  
 Inuocauit, Dominica 48. eius ritus ibid.  
 Ioannis Apostoli & Euangelistæ festum 160. religiosissimè celebratum à Genuentibus 160. b. eiusque ritus ibid.  
 Ioannis Baptistæ decollati festum 132. cauiæ huius festi 132. a. b. 133. ossa eius concremata ibi. discipuli eius corpus Selestan inter Heliseum & Abdiam prophetas sepeluerunt 132. caput eius inuentum 132. digitus translatus 133. de hoc festo variæ, ac discrepantes sententiæ 133. b. Ioannis Baptistæ Natiuitatis festum, & eius antiquitas 153. b. ritus ibid. dies criticus ibid. pluuia circa hunc diem nocet auellanis 114  
 Ioannes & Paulus eorumque festum

114. capite plectuntur & in foueam proijciuntur ibid.  
 Ioannes Euangelista ante portam Latinam & eius festum 84. a. b.  
 S. Iohannis haustus 160. b.  
 S. Iohans trunc vnd segen 160. b.  
 Ioseph putatiuus Christi pater fueritne faber ferrarius, an lignarius 52 eius festum, & ritus ibid.  
 Iubilate, Dominica 80. b  
 Iudæi dies septimanæ sabbathorum nominibus computarunt 27. b. idem quoque à Christianis diu obseruatum fuit 81  
 Iudæorum festa grauiæ & a. b. à Christianis non omnia sublata 15. à Christianis non celebranda 1. b. 2. 3. eorum obseruationem Apostoli tolerarunt in iusfirmioribus ac non in perfectioribus 2. b  
 Iudæorum potestas in capitalibus causis 65. b. eis à die cœnæ Dominicæ toto quadriduo non licet prodire in publicum 59. non licuit crucifigere aliquem 65. b  
 Iudæicorum festorum significatio 3  
 Iudica, Dominica 48  
 Iulianus & eius festum 45. cur dicitur hospitor & hospitalis 45. cur à peregrinantibus inuocatur ibid.  
 Iulæ Calendæ sacræ Venetis 115  
 Iulius I. Papa & eius festum 78. synodus defensor dogmatum Nicænorum ibid.

K.

Karr quid 54  
 Karrwochen quæ 54. & cur sic dictæ ibidem.  
 Karrfreitag 84  
 Kintlen quid 160. b  
 Kirchweyhe 161. b  
 Kyrrwe/Nilwe ibid.

L.

Lancæ Christi festum 78. eius inuocatio ibid.  
 Letare, Dominica 50. b. eius ritus ibidem. 51. a. b. Dicitur etiam Dominica de Rosa & de Panibus 50. b  
 Lagenopheia Græcorum in Othomaria Christianorum mutata 146. b.  
 Latriæ cultus 8. b. vt differat à cultu dulciæ ibid.  
 Lauationis pedum in die cœnæ Dominicæ stulta æmulatio 56. b  
 Lectiones festis quando aptata 15. b. quis collegerit 16  
 Lanienam Parisiensis Ecclesiæ Reformatæ in Gallia magno cum luctu in memoriam reuocant in Bartholomæi die 131. b  
 Leonardus & eius festum 144. b. captiuorum patronus ibid.  
 Leyschpredig vnde 21. b



I N D E X.

- Libertas Christiana circa festa** 3.  
*Siechmesß* 42. b. (& seq.  
*Loffen vor Wienacht vnde* 151. b  
**Ludi Mariarum** 43. eorum origo  
 ibid.  
**Lucanarum dies** 15. b  
**Lugdunensis Concilij de numero**  
**festorum decretum** 17. a. b  
**Luminaria Ethnicorū quis in can-**  
**delari Christianorum commu-**  
**tarit** 42. b. 43  
**Luminarium dies** 15. b  
**Luminum Rom. festum** 40. b  
 M.  
**Magus quis apud Persas** 33. b. Ma-  
 gi apud Persas in magna auctori-  
 tate fuerunt 34  
**Magi isti quibus apparuit stella in**  
**Natiuitate Christi non fuerunt**  
**malefici** 33. b. nec Reges 34. vene-  
 runt ex Persia 34. b  
**Magorum nomina festa** 34. b. quan-  
 do venerint Bethlehemum 35. a. b  
 quomodo eis Christus reuelatus  
 sit per stellam 34. b. stella quæ Ma-  
 gis apparuit in Natiuitate Chri-  
 sti qualis fuerit 34. b. vnde credi-  
 tum eos fuisse tres Reges 34. b.  
**Astrologorum de stella hac er-**  
**ror** 35  
**Magorum historia quibus apparuit**  
**stella Orientalis in Christi Nati-**  
**uitate** 33. b. & seq.  
**de Magis error Tertulliani** 34. Hi-  
 larii ibid. Hieronymo non fue-  
 runt Reges 34  
**Magi quando primū viderint hanc**  
**stellam** 35  
**Magis Christus reuelatus in Per-**  
**sia** 34. b  
**Magi hi venerunt ex Persia** 34. b  
**Malachias, & eius festum** 144. quan-  
 do electus Episcopus ibid. eius  
 error de intercessione pro mor-  
 tuis 144. b. author fuit impuri  
 cœlibatus in Hibernia ibid. mul-  
 tarum Pontificiarum superstitio-  
 num inuentor ibid.  
**Marc. Euangelistæ festum** 8. b. de  
 corporis eius translatione variz  
 sententiz ibid.  
**Mardocheus, & Hæstera obliparunt**  
**Iudæos ad festum fortium** 7. b. de  
 illo festo iudicium 7. b. 8  
**Margaretha & eius festum** 118  
 a. b. à Parturientibus inuocatur  
 apud Pontificios 118. b  
**Mariæ assumptionis festum: vide As-**  
**sumptionis Mariæ festum.**  
**Maria an corpore an anima assum-**  
**pta** 128. a. b  
**Maria Magdalena quæ fuerit** 118. b  
 eius festum ibid. an fuerit vna tan-  
 tum an plures ibid. vnam tantū  
 fuisse probatur 119. b. respōsio ad  
 probationes 119. a. b  
**Mariæ festum quis instituerit** 121. b  
**Mariæ commemorationis septem**  
**dolorum festum** 80. ritus 80. b  
**Mariæ conceptionis festum: vide**  
**Conceptionis Mariæ festum.**  
**Mariæ Natiuitatis festum: vide Na-**  
**tiuitatis Mariæ festum.**  
**Mariæ purificationis festum** 40  
**Mariæ præsentationis festum: vide**  
**Præsentationis Mariæ festum.**  
**Mariæ visitationis festum: vide Vi-**  
**sitationis Mariæ festum** 115. b  
**Mariarum ludi** 43. eorū origo ibid.  
**Martinus Papa, & eius festum, de-**  
**creta** 145. b  
**Martinus Episcopus** 145. b. eius ima-  
 go ibid. festum eius quis institue-  
 rit 146. eius ritus ibid. dies hic  
 criticus 146. b. in eius festo com-  
 potationes Germanis malè ces-  
 serunt 146. census & debita sol-  
 uuntur hoc die 146. a. b. & cur ibi.  
 compotationes in die Martini ab  
 Ethnicis mutatz 146  
**Martini anser** 146  
**S. Martinus gans** ibid.  
**Martinus ist aberhte vnde** 146. b  
**Martyres defuncti à fidelibus non**  
**neglecti** 9  
**Martyrum memoriæ: vide memo-**  
**riæ Martyrum** 8. b. & seq.  
**Martyrum natales sunt dies passio-**  
**nis eorum** 9  
**Memoriæ Martyrum seruari pos-**  
**sunt absq; ferijs** 14  
**Martyrum cura habita in primiti-**  
**ua Ecclesia dum adhuc viuerent**  
 8. b. 9. passionis eorum dies cele-  
 brarunt Christiani 9. & cur ibid.  
 passionis & mortis dies cur Na-  
 tales dicantur 9  
**Memoriæ Martyrum numerum fe-**  
**storum auxerunt** 14. b  
**Martyrum nomina Constantinus**  
**Ma. conquerere iussit** 15. omnium  
 festa non in singulis Ecclesijs ce-  
 lebrata 15  
**Matthæus Apostolus & eius festum**  
 137  
**Matthias & eius festum** 48. b. 49. in  
 anno bisextili quando celebran-  
 dum 49. de morte eius variz sen-  
 tentiz ibid. corpus eius Romæ se-  
 pultum esse nonnulli existimant  
 in templo S. Mariæ 49  
**Mauritius & eius festum** 137  
**Medardus & eius festum** 112. b. dies  
 criticus & cur ibid. vinearum pa-  
 tronus, & cur ibid. quando mor-  
 tuus 112. b  
**Memoriæ Martyrum, quæ celebra-**  
**tur mane Ianuario** 31. b. & c. Fe-  
 bruario 39. b. & c. Martio 49. b.  
 & c. Aprili 56. & seq. Maio .1. & c.  
 Iunio 87. b. & seq. Iulio 115. & c.  
 Augusto 124. & seq. Septembri  
 132. b. & seq. Octobri 139. & c. No-  
 uembri 142. b. & seq. Decembri  
 152. b. & seq.  
**Memoriæ Martyrum** 8. b. primò Po-  
 lycarpo celebratz 9. b. cur insti-  
 tutz 10. b. 11. a. b. sine lege scriptu-  
 rz receptz 9. b. præstaret eas esse  
 abolitas 14. earum abusus 13. b.  
 non probant festa sanctorum 14.  
 fuerunt fons & origo multorum  
 errorum & idololatriæ 13. pepe-  
 rerunt festa sanctorum 14. b. quo-  
 modo celebratz 10. celebratz tan-  
 tum in ijs vbi perpepsi sunt mar-  
 tyria, & sepultri 10. quando & à  
 quo institutz 9. b. annuz à Græ-  
 cis mutata 9. b. quæ approban-  
 dz 13. cur celebratz 9. habitz a-  
 pud sepulchra mortuorum quo-  
 tantis 9. quorum cunq; laudato-  
 rum virorū celebrari cœperunt  
 9. b. 10  
**Memoriarum Martyrum finis** 10. b  
 11. 13. forma 10. ecclesia Smyrnen-  
 sis primo facit earum memoriam  
 9. b. vestigia nulla sunt in S. lte-  
 ris 9. b. earū progressus sub Con-  
 stantino M. 9. b. 10  
**ad Memorias Martyrum donaria**  
 allata ad vsum pauperum & Cle-  
 ricorum 10. sed ad perfectioribus  
 Christianis non obseruatum 10  
 epulæ in conuiuia luxuriosa de-  
 generarunt 13. b. 14. olim factæ  
 oblationes non fuisse sacrificia  
 Martyrum 11. a. b. epularum lux-  
 us damnatus 13. b. 14  
**Memorij Martyrum homines à ser-**  
**uis, & ritibus Ethnicis auocati**  
 12. b. 13. epulæ sacrificia dicit 12.  
 b. in ijsdem conuiuia celebrata 10  
 a. b. vnde ortus mos ille ibid.  
**apud Memorias Martyrum abusus**  
 illi olim non fuerunt, qui hodie  
 ad sepulchra sanctorum 11. b. 12  
**ex Memorij Martyrum inuocatio**  
 sanctorum & peregrinationes ad  
 eorum sepulchra ortæ 13  
**S. Michaelis & omnium Angelorū**  
 festum 138. cur dedicatio dicatur  
 ibid. cur ei templa plerumque in  
 editis locis constituantur 138. b  
**Michaelem se peccata mortalium**  
 aboliturum cuidam Pontifici di-  
 xisse fabula est 138  
**Michaelis apparitionis festum** 84.  
 b. apparitiones tres ibid. 1. in mon-  
 te Gargano, altera facta est no-  
 sturno tempore in quadam spel-  
 unca Episcopo cuidam, tertia  
 Romæ facta est ibid. de his quid  
 statuendum 84. b. 85  
**Middelburgensis sententia de tri-**  
**duo sepulturæ Christi resur-**  
**tu** 69. b. 70  
**Mummery vnde** 32  
 N.  
**Natalis Domini** 14. b  
**inter Natalem Domini & Saturna-**  
**lia Romanorum similitudo** 159. b  
**Natales dies solennes fuerunt** 15.  
 apud Ethnicos quomodo cele-  
 brati ibidem  
**Natalicia Apostolorum** 15  
**Natalicia Martyrum quid** 9  
**Natalicia Sanctorum celebriora fa-**  
**cta** 16  
**Natiuitas Christi, & Epiphania Græ-**  
**corū simul celebrata sunt** 33. in  
 Occidentalibus Ecclesijs diuersa  
 sunt festa ibid.  
 Natiuitatis



I N D E X.

- Natiuitatis Ioannis Baptistę festum 113. b. vide etiam Ioannis Baptistę Natiuitatis festum.
- Natiuitatis Christi festum 158 eius nomina ibid. origo 158. b. ab initio non eodem die celebratum ibidem. Christum non natum 25. Decemb.
- Natiuitatis Marię festi origo 134 ritus 134. b. octaua a quo instituta 135. ei addita fuit vigilia ibidem.
- Neophytarum festum 74 b
- Nicolaus & eius festum 153. inuocatur a periclitantibus in mari 153
- Nomen alicuius offerre quid 12 b
- Nomina defunctorum recitata in Ecclesia 12. b
- O.
- Oblatio pro dormitione alicuius quid sit 12. b
- Oblationes in Memorijis sanctorum quid 11. a. b
- Offerre nomen alicuius quid 12. b
- Offerre pro defunctis quid sit 12 pro viuis quid ibid.
- Osteren vnde 68 b
- Osterlen ibid.
- Oster-nonnag ibid.
- Ochmarus & eius festum ibid.
- Othmars legelen vnde ibid.
- Osterench vnde ibid.
- Osterfladen ibid.
- Oxonienſis ſynodi decretum de feſtis 17
- P.
- Palmarum Dominica: vide Dominica in Ramis Palmarum
- Pallia Archiepiscopalia conficiuntur ex lana agni oblatis S. Agneti 37
- Pantheon Romę 142. cur sic dictum ibid. in S. Marię Rotundę templum conuerſum ibid.
- Paulus indifferenter obseruauit die Dominicam & Sabbathum 2 b
- Parafrenriorum ferię 123 b
- Parasceue quid 59 b. non solum ſignificat feriam sextam, sed etiam festum alterius festi ibid.
- Parasceue & feria sexta non inuicem conuertuntur 19. b
- Parasceue dicitur etiã Dominica in Ramis ibidem.
- Parasceue Paschę quando solennis haberi cęperit 60 & quam obcausam ibi. ritus huius festi antiquissimi 60. ritus supersticiosi 60. b. 61
- Parasceues festum progressu temporis supersticiosę obseruatum 60. a. b.
- Parentationes apud sepulchra 143 a. b. annuę 143. b
- Parentalia annua quę 143 b
- Pazinacarum festum 163. b
- Pascha fluidum 54. b
- Pascha duplex iudiciale, & vetus 64. b
- Pascha Christiani in memoriam resurrectionis Christi seruant 68 b non adligatum in Ecclesia Noui Testamenti certo tempore 3. die Dominico esse celebrandum Pius I. primo lege sanxit 71. sed eam non curarunt Asiatici Doctores ibid. quibus superstitionibus celebratum 73. a. b. quidã Christiani celebrarunt cũ Iudęis 3. vt obseruarint Britanni, Scoti 72. b. Apostoli ab initio obseruarunt Pascha cum Iudęis 70 b. Petrus & Paulus mutarunt tempus Paschę ibidem.
- de Paschate certamen 71. renouatum 71. b. nondum sopitum 72.
- Pascha in primitiua Ecclesia liberę obseruatum 4. liberę celebratũ vsque ad Pium I. Episcopũ Rom. 71 non lege sancitum in prima Ecclesia 14. a. b. vltimum quando Christus celebrari 61. anticipauit Christus ibid.
- Paschę nomen cur retineant Christiani 68. b. festum cur celebrent ibid. diuersitas primitiuę Ecclesię in celebratione Paschę diei nõ fuit obseruata 71. non fuit dies solennis cum Christus pateretur 61. b. legitima & illegitima obseruatio 64. b. ritus olim hoc die obseruati multiplices 67. a. b. 68
- Paschalem diem inueniendj ratio 71. b. 72. celebrandi ritus 73. loco Paschę celebrarunt cęnam Dominicam in primitiua ecclesia 73 superstitiones hoc die obseruatae ibid.
- Paschales hebdomadę quando festi uę esse cęperint 53. b
- Pascha quid olim significarit 53. b
- Paschalis hebdomada prior religio se celebrata 54
- Paschalia ieiunia, vigilię, preces &c. 54. & earum libertas 54. a. b
- Paschalis cereus: vide cereum Paschalem
- Paschalis cerei ritus vnde 54
- Paschalis diei statio Romę 73. b. & eius progressiones ibid.
- Paschalis ritus 73. b
- Paschalium rituum libertas 54
- Paschatis hebdomadę festa duo 15 obseruatio apud Iudęos confusa 64 b.
- in die Paschatis olim tantũ Eucharistia sumpta 73
- Passio Christi quoto die mensis Iuliani facta sit 66. in Iudęum scēticum mutata 75
- Passionis Dominicę dies incerta 7 b. eius in septimana Paschalis priore lectio 54. b. imaginis pass.
- Domin. festum 143. eius antiquitas ibid.
- Passionis hebdomada 14. b. dicitur magna 53 b
- Pauli commemorationis festum 188
- Pētecoste nõ lege sanciebatur in prima Ecclesia 14 b. dies quo missus fuit spiritus sanctus dominica dies 64
- Pentecostes dies ab temporibus Apostolorum festus 86 a. b. cur celebretur a Christianis 86. b. superstitiosi eiusdem obseruari ritus ibid.
- Peregrinatio Compostellana 122 vnde ibid.
- Peregrinationes ad sepulchra sanctorum vnde ortę 13 b
- Personas induere probrosum 32. b
- Petri Cathedrę festum 48. eius origo ibid. exoletum restituit 48. b.
- Petri ad vincula festum 124. de origine huius festi varię sententię ibidem. quando solennis obseruari cęptum 125 b
- Petrobrufianorum error de festis non obseruandis 1. eorum argumenta ibid. solutiones 1. b
- Petrus & Paulus eorum que festum 115. origo & ritus ibid.
- Paulus quando conuersus varię sententię 37. b
- Phagiphania quid 33 b
- Pielęgia Gręcorum in festum, Martina, mutata 146
- Planetarum nomina imposuerunt Ethnici diebus hebdomadę 28
- Pontificalis Cęna: y de cęna Domiticalis.
- Pręsentationis Marię festum 147. a. b. cur celebratum ibid. ab initio tantum Constantinopoli celebratum, deinde etiam alibi 147. b
- Processiones in Paschate 73. earũ origo in Dominicis 73 b. habedat in die Dominicã 29
- Processio Hispanica in corporis Christi festo 95
- Purgatorij inuētores primi 52
- Purificationis Marię festum & eius origo 40. ab initio Christi fuit ibidem. ab Ethnicis natum 40. b vnde nomen habeat 40. b. ceremonię huius festi 41. b. in eo cerei consecrabantur, consecrationis ritus 41. quare dicatur dies candelarum & luminarum 42. b cui Szechines vocatur ibid.
- Q
- Quadragesima & eius origo 45. Dominicarum nomina ibid.
- Quadragesimale Ieiunium 54. b. non soluendum in die Dominicę Cęnę 59



I N D E X.

- Quinquagesima intra Pascha, & Pentecosten olim tota fuit festiva 74 quomodo celebrata 74. b. origo ibid. libera observatio ibidem.
- Quinquagesima vnde dicta 38. b. eius origo 45. b. infania ibidem ritus damnati ibid.
- Quinta feria Dominicæ in Ramis Palmarum, vide cœnæ Dominicæ festum 56. & sequ.
- Quintæ feriæ hebdomadæ festum 15
- R.
- Responsoria, & lectiones festis quando aptatæ 15. b.
- Resurrectionis Christi Dominicæ dies 86. b. cur Pascha dicatur dies 60. b.
- Resurrectio Christi non facta mediâ nocte 69. eius hora incerta 68. b. 69. variaz Theologorum de ea sententiæ 68. b. 69.
- Risus Paschalis 73. b.
- Rogationum dies 15. b.
- Rosa aurea quibus rebus constat 50. b. eius consecratio 50. b. 51. donatur alicui à summo Pontifice 51. consecrationis author 51. b. ritus donationis rosæ aureæ 51.
- Rosæ Dominica quæ 50. b. vnde dicitur 50. b.
- Rosentag 50. b.
- Rochus & eius festum 130.
- S.
- Sabbathum in albis 76. vnde dictum ibid. eius ritus 76. a. b.
- Sabbatum S. Paschæ 67. ritus in eo observati 67. a. b.
- Sabbatum & diem dominicum in differenter observavit Paulus 2. b. Sabbathi ieiunium 39. non observatum ab omnibus ibid. in eo non est ieiunandum 28. b.
- Sacrificium pro defunctis olim in altari non celebratum 12. a. b.
- Sacrificium offerre pro dormitione quid sit 12.
- Salij qui 59.
- Salares cœnæ ibid.
- Sanctis festa non instituenda 8. rationes cur ibid. Argumenta Belarmini pro hoc festo asserendo, & earum refutatio 8. b.
- Sanctorum verus cultus 10. b. eorum invocatio vnde 10. a. b.
- Sanctorum omnium festi origo 142. translationis festi huius causa 142. a. b. propagatio 142. b. causa 142. b. 143. prodigia quæ eius institutionem antecesserunt ibid.
- Sancti qui imitandi 22. vnde Dicolii nolunt 12. quomodo sicut honorandi 22.
- Sanctis tribuunt Papistæ quod maius est, Deo verò quod minus 8. a. b.
- Sanguinis Christi festum 163. b.
- Saturni diei festiuitas 152. b.
- Sebastianus & eius festum 36. b.
- Sagittariorum, & sclopetariorum patronus, & cur ibid.
- Sendo miræ strages edita 87.
- ad sepulchra parentationes 143.
- Sepulchræ Christi triduum vt accipiendum 69. b. 70. & de eo variaz ac discrepantes sententiæ ibid.
- Septembris Calendæ sacræ obviatoriam 134.
- Septimana in albis 74. b. cur sic dicta ibid. tota sua festiva ibid. eius rigorem non nihil remisit synodus Moguntina 75. superstitiones ibid.
- Septuagesima vnde dicta 38. eius origo 44. b. 38. cur instituta 39. b. de earum nominibus diuersæ sententiæ ibid.
- à Septuagesima vsque ad octauam Paschæ non licet celebrare nuptias 38. b. 39. consuetudo hæc ab Ethnicis sumpta 39. b.
- Signilustrium Romæ celebratum 80.
- Simboliag 75.
- Socrates historicus non fuit hæreticus Nouatianus 5. b. eius de libertate festorum testimonium ibid.
- Statio in Paschata Romæ 73. b.
- Stella in Natiuitate Christi quando primo Magis apparuerit 35. differt ab alijs stellis 35. non fuit meteoron 35. quomodo Christum natum docuerit 35.
- Stephani Protomartyris festum 126.
- eius ritus ibid. eius inuentio ibidem. propter multitudinem quæ ad inuentionem S. Stephani conueniret miracula & prodigia facta multa ibid.
- Syluestri Papæ decreta 161. festum ibid. primo per ferias computare iulsi septimanz dies 28.
- T.
- Tempora Episcopalia cur dominica dicta 28.
- Tempora vetustissima veteribus cur dominica dicta 28.
- Tempora mutabit Antichristus 4. b.
- Theophania quid 33. b. 158.
- Transfiguratio Christi quando facta 126. b.
- Transfigurationis Christi antiquitas 126. b. author & origo ibid.
- Triduum sepulchræ Christi explicatur 69. b. 70. Synecdochice accipiendum ibid.
- Tiguri ritus in die cinerum 47. b.
- Timothei discipuli Pauli festum 7. b. eius martyrium ibid. eo Paulus nihil charius habuit nec pretiosius ibid.
- Telephorus Episcopus Roman. & eius festum 33. Nonis Ianuar. cur colatur ibid. eius sepultura ibidem.
- Trinitatis festum 87. a. b. eius antiquitas 87. a. b. improbatum ibidem.
- V.
- Veneris dies festus esse iubetur 15.
- Veronicæ legenda 43. b. eius ostentatio & adoratio 60.
- Vigiliæ nocturnæ mulieribus interdictæ 25. b. earum origo 25. b. earum loco ieiunia instituta 26.
- Ethnici quoque habuerunt vigiliæ 25. b. 26. damnatæ 26.
- Vigiliæ Paschæ & ritus earum 67.
- Vigiliæ Paschales & earum libertas 54. a. b.
- Vigiliarum author ad sepulchra martyrum 25. b.
- Visitationis Mariæ festi origo 115. b. confirmatio ibid.
- Vmbrosianus quid 32.
- Vna Sabbathorum quid 27.
- Vna Sabbathi, & vna Sabbathorum an differant 27.
- Vrbani & eius festum 86. b. 87. ritus ibid. dies criticus 86. b.
- Vinum Theologicum quid 61.
- Vuilhelmus & eius festum 87.
- Vuilfridus 140. festum ibid.
- Weyhenacht 159. b.
- Z.
- Zelo bono quæ instituuntur, non statim omnia recipienda 14.
- Zimpffeltag 75. b.

F I N I S.

DE



1

# DE ORIGINE PROGRESSV, CEREMONIIS ET RITIBVS

FESTORVM DIERVM APVD CHRISTIANOS  
NOS LIBER VNVS.

In historiam de Origine & Progressu Festorum  
dierum apud Christianos PRO-  
LEGOMENA.



**Q**VONIAM de Origine & Progressu festorum dierum apud Christianos hoc libro tractare constitui, haud inuicile fore arbitratus sum, si prius, quam in specie singulorum festorum Originem, authorem, tempus & occasionem referrem, in genere pauca quadam Περίληψιν loco praemitterem: Primo, An ne dies aliqui consecrandi sint cultui diuino, & obseruandi à nobis in Ecclesia Christi. Deinde quæ sit libertas Christianorum Noui Testamenti, quod ad annos, menses, dies & alias circumstantias ad festa pertinentes attinet: ut inde intelligatur, quæ fuerit in Veteri Testamento, quæq; sit in Nouo de festis diebus sententia & doctrina. Tertio, in cuius honorem festa sint instituenda & celebranda, in soliusne Dei, an etiam Sanctorum & creaturarum mortuarum? Quarto, si breuiter perstringerem numerum, obseruationes & usum festorum dierum primitiue, & recentioris ecclesie: inde enim intellecturos facile omnes sperarim, quantus aceruus & cumulus festorum progressu temporis excreuerit, qui abusus, quæ κακοζήλια & superstitiosæ opiniones irreperint, & quàm longè à veræ antiquitatis veneranda simplicitate ac vestigijs Ecclesia vel hac saltem in parte paulatim recesserit.

## CAPVT I.

An sint festi dies à Christianis celebrandi.



**I**X libri tertij capite quinto vitæ S. Bernardi intelligitur, Petrobrusianorum errorem fuisse, festos dies omnes ad ceremonias Iudæorum pertinere, & propterea nullos esse debere apud Christianos, quum ceremonie Veteris Testamenti omnes Christi aduentu sint impleta, & ideò sublata. Quorum etiam sententia Anabaptista hodiè suffragari videntur. Ijs annumerant nos quoq; Iesuita, in primisq; Bellarminus quos falso Lutheranos, Zuinglianos & Caluinistas nominant, & scribunt, nos quidem admittere dies festos, ita verò ac si non admitteremus: sed quam insignem nobis iniuriam faciant in sequentibus demonstrabitur.

Pro confirmatione autem suæ opinionis adduxerunt Petrobrusiani Apostoli Pauli auctoritatem qui ad Coloss. 2. cap. scribit, Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi: hortatur igitur Apostolus Colossenses, ne patiantur se astringi ad dies festos. Et ad Galatas 4. Dies obseruatis, & menses & annos: timeo vos, ne frustra laborauerim in vobis: At celebratio festorum est obseruatio dierum. Ad Romanos cap. 14. inquit: Alius iudicat diem inter diem, alius iudicat omnem diem Hoc est, alius putat vnum diem esse sanctum, alium profanum: alius verò omnes dies putat esse æquales. His verbis, inquiunt Anabaptistæ, curationem dierum Paulus tanquam infirmitatem aut superstitionem in Romanis improbat. At nobis, aiunt, in tanta Euangelij luce infirmis aut superstitiosis esse non licet. Aiunt præterea eundem Apostolum ibi eodem modo reijcere dierum dedicationem, quo ciborum delectum: docere autem, nos Euangelicâ libertate ita liberatos esse à ciborum delectu, ut non

Petrobrusianorum error de non obseruandis festis.

Petrobrusianorum argumenta.

A



DE ORIGINE FESTORVM

tantum non deueniamur à carne suilla, vel ab alia abstinere, sed vt ne quidem fas sit certas de delectu ciborum leges constituere in Ecclesia. Similiter igitur statuendum, à dierum discrimine, & festis diebus Sabbathorum, Pentecostes, Paschatù & Tabernaculorum sic nos liberatos esse, vt non liceat post hac alias in priorum locum ferias certis legibus indicere, & dies festos instituere. Eam denique aiunt libertatis esse rationem in nouo fœdere, vt nos obseruemus perpetuum sabbatum, de quo Isaias 66. cap. Quemadmodum enim Iudæi ab operibus seruilibus abstinere & sic carnaliter obseruare sabbatum debuerunt, ita nos Christianos abstinere à peccatis & per omnem nostram vitam feriari, adeoq; perpetuum sabbatum seruare debere. Quare si rursus certi dies instituantur, in ea re libertatem Christianam grauiter violari, & nos denuò Iudaicis legibus ac ceremonijs subijci volunt.

Rationes contra Petrobrusianorū errorem.

Sed multa sunt quæ hunc errorem oppugnant, non modò consuetudo veteris Ecclesiæ, sed rationes quoque momenti & ponderis non exigui. In primitiua enim Ecclesia ab Apostolorum ætate obseruatum fuisse videmus, vt licet homines singulis diebus ad audiendum Dei vrbum conuenirent, nihilominus tamen haberent certos dies quibus in publicum cætum magnâ frequentiâ congregarentur: ex eorum numero potissimum dies, quem Dominicum vocamus fuit, quemadmodum suo loco indicabitur. Eiusmodi autem conuentus Ecclesiasticos non solùm veteris Ecclesiæ exemplo, sed etiam expressâ Christi promissione fuisse probatos ex cap. decimo octauo Matthæi intelligitur, vbi inquit, Si duo vel tres in nomine meo cōgregati fuerint, illic ero in medio eorum. Quod si verò duorum vel trium cætui interest Dominus, non dubitandum si vniuersa Ecclesia in nomine Domini conueniat Deum spiritu suo in medio ius esse. Nisi autem statim sint, & suos habeant constitutos dies eiusmodi cætus, quomodo haberi possunt? Omnia decenter & ordine gerenda inter nos sunt, ex Apostoli sententia, 1. Cor. 14. Qui autem hoc fieret si alius pridie, alius hodie, alius postridie ad cætum sacrum conueniret, & quisque suo arbitrio ageret? nõnne hoc esset chaos quoddam & confusio quædam? Tantùm igitur abest, quin decorum & ordo, nisi istâ politia & moderatione, conseruari possit, vt presentissima impendeat Ecclesiæ perurbatio & ruina, si dissoluatur. Equidem optandum vehementer esset, vt quotidie conueniremus, quo sic tolleretur omnis dierum discretio, & Deo eiusque cultui quotidie decideretur particula aliqua temporis. Experientia autem satis docet, quàm vix id ab Ecclesia obtineri posset: alij enim auocantur propter victum parandum: alij sunt negligentiores: alij ex contemptu, vel etiam impietate quadam rariùs accedunt. Quod si igitur à multorum infirmitate, ne quid grauius dicam, obtineri non potest, vt quotidiani conuentus agantur, & charitatis ratio plus ab illis exigere non permittit, cur non pareamus rationi, quam nobis videmus Dei voluntate impositam? Ad hæc in illa veteri Iudaica Ecclesia quotidie in templo stata & certa sacrificia habebant, licebat his interesse fidelibus quicunque ad templum conuenire poterant, & ibi commemorare promissiones atque inuocare Deum: nihilominus tamen Sabbathum magnâ religione à Deo præceptum, & à populo veteri obseruatum fuit: sabbatum etiam grauissimè inculcârunt propheta. Vt igitur quotidiana sacrificia non obstabant Iudæis, quo minus religiosissimè sabbatum colerent, & in eo conuenirent in templo ac synagogis: ita quotidiani cætus & conciones non obstabunt, quo minus, certo die tota Ecclesia congregetur.

Responsio ad Petrobrusianorū argumenta. Explicatur locus Coloss. 2.

Quod verò obijcitur de obseruatione dierum ex Apostolo, respondemus, Paulum Colossen. secundo, de Iudaicis festis loqui, quorum supersticiosam obseruationem nonnulli in Christi Ecclesia am Apostolorum ætate introducere conabantur, illamq; opinione necessitatis ita vrgebant, vt dicere auderent, eos grauiter peccare & Deum offendere, qui in nouo Testamento Iudæorum festa non perinde vt in Veteri obseruarent. Apostolus igitur hanc partem Evangelicæ veritatis seu libertatis magnâ vehementiâ hoc loco asserit, & contrariam sententiam acriter refutat. Dicit enim, Nemo vos iudicet, id est, conscientie scrupulum iniiciat vel condemnet, ob cibum aut potum, aut ob partem diei festi, aut nouilunij, aut sabbathorum. Et addit rationem grauissimam, Hæc, inquit, fuerunt vmbra futurorum, corpus autem Christi: hoc est: legalia illa discrimina ciborum & dierum fuerunt adumbrationes, & prima quasi lineamenta personæ



personæ & officij Christi venturi: quia verò Christus, corpus illarum adumbrationum, iam exhibitus est, cessarunt umbra. Deinde festa Iudaica erant pars cultus ceremonialis, qui totus per Christum abolicus est: Heb. 7. Mutato Sacerdotio etiam legis facta est mutatio. Non igitur festa Iudaica magis quam victimæ Christianis conueniunt. De his igitur ferijs argumenta Christianorum rectè concludunt. Inde verò non sequitur, nullos conuentus publicos certis & statis diebus agendos. Siquidem in Ecclesijs ab Apostolis institutis Sabbathi loco Dominica dies in hunc usum ordinata fuit. Illum enim diem præscribit Corinthijs, quo symbola, ad subleuandos egenos Hierosolymitanos fratres, colligantur, i. Cor. 16. Ita non sequitur, veteris Testamenti sacramenta sunt abolita, & Apostoli grauius eos obiurgarunt, qui Circumcisionem Ecclesie Christi obrudere conabantur, Act. 15. ergo in Nouo Testamento nulla prorsus sunt habenda sacramenta. Vt igitur summatim dicam, festorum veteris Testamenti genus, quod morale & naturale est, abrogatum in Nouo non est, vt nimirum homo deputet aliquod tempus vice sue ad vocandum diuinis: sed species tantum, quatenus festa illa expresso mandato Dei ad certas circumstantias temporum determinata & alligata erant, quo scilicet die celebranda essent, quibus mensibus, quoto die mensis, quando inchoanda & finienda, sub peccato mortali, & pena damnationis: Hæ inquam circumstantiæ, & necessariae earum obseruationes, conscientijs in Nouo Testamento abrogatae sunt: sed non ita, quasi in Nouo absque ordine merae debeant esse confusiones in conuentibus Ecclesiasticis. Etsi enim Paulus libertatem Christianam in huiusmodi circumstantijs strenuè hoc loco asserat, vult tamen alibi, vt in conuentibus Ecclesiasticis omnia ordine fiant, & ita decenter, vt seruiant ædificationi, & sint incitamenta & retinacula pietatis, ac testimonia, quòd Deus reuera sit in medio nostri. Non enim confusio Dei est, sed pacis, i. Cor. 14. & Col. 2. Gaudeo videns vestrum ordinem.

Locum Apostoli ad Galatas Ambrosius de Gentilium vanitate intelligit: Dies obseruant, inquit, qui dicunt: Crastino proficiscendum non est: post crastinum enim non debet aliquid inchoari, & sic solent magis decipi. Hi autem colunt menses, qui cursus lunæ perscrutantur, dicentes, Septimâ lunâ strumenta confici non debent. Noua iterum luna, seruum emptum domum duci non oportet, & per hæc facilius solent aduersa prouenire. Tempora verò sic obseruant, cum dicunt, Hodie veris initium est, festiuitas est, post cras Vulcanalia sunt: posterum est, domo egredi non licet. Annos colunt, cum dicunt, Calendis Ianuarijs nouus est annus, quasi non quotidie anni impleantur. Sed vt anni illius colant memoriam bifrontis, hæc superstitione vtuntur, quæ longè debet esse à seruis Dei. Augustinus quoque in Enchiridio cap. 79. & in Epistola 119. ad Ianuarium cap. 7. de Ethnicorum vana & superstitiosa dierum obseruatione exponit. Sic enim ad Ianuar. scribit: Eos inculpat Apostolus, qui dicunt: Non proficiscar, quia posterus dies est, aut quia Luna sic fertur. Vel, proficiscar vt prospera cedant, quia ita se habet positio syderum. Non agam hoc mense commercium, quia illa stella mihi agit mensem: vel agam, quia suscepit mensem. Non plantem hoc anno vineam, quia bissextus est. In expositione autem epistola ad Galatas dubiè hunc locum interpretatur, primò de gentilijs, deinde verò de Iudæorum ritu exponens. Vulgatissimus, ait, error gentilium est, vt vel in agendis rebus, vel in expectandis euentibus vitæ ac negotiorum suorum, ab Astrologis & Chaldæis notatos dies, & menses & annos, & tempora obseruent. Fortasse tamen non opus est, vt hoc de gentilijs errore intelligamus, ne intentionem causæ, quam ab exordio susceptam ad finem vsq; perducit, subito in aliud temerè detorquere velle videamur, sed de his potius, de quibus cauendis eum agere per totam epistolam apparet. Nam & Iudæi seruiliter obseruant dies, & menses, & annos, & tempora in carnali obseruatione Sabbathi, & neomeniæ, & mense nouorum, & septimo quoque anno, quem vocant Sabbathum sabbathorum. Quæ quoniam erant umbrae futurorum, iam adueniente Christo in superstitione remanserunt, quum tanquam salutaria obseruantur à nescientibus quo referenda sint: vt tanquam hoc dixerit

Explicatur Ios.  
cus Galat. 4.



DE ORIGINE FESTORVM

Apostolus gentibus, Quid prodest vos euasisse seruitutem quã tenebamini, quum seruiretis elementis mundi, quando rursus ad talia reditis, seducti ab eis, qui nondum agnoscentes libertatis suæ tempus, inter cætera opera legis quæ carnaliter sapiunt, etiam temporibus seruiunt: quibus & vos rursus vt antea seruire vultis, & obseruare cum eis dies, & menses, & annos, & tempora, quibus seruitebatis antequam Christo crederetis. *Hæc omnia Augustinus, D. Hieronymus vero in Comment. ad Galatas, hunc locum Pauli simpliciter & rectè de Iudæorũ festis accipit. Sive autem de Iudæis, sive de gentilibus intelligamus, neutro tamen modo ad confirmationem Petrobrusianorum sententia facit.*

Explicatio loci Rom. 14.

De eorundem Iudaicorum festorum obseruatione Paulus quoq; Rom. 14. cap. loquitur, Hieronymo teste lib. 2. in Louinianum: vt sensus sit: Alius discernit inter diem festum, & profanum secundum legem, & obseruat Iudæorum more sabbathum, neomenias, pascha, &c. & hoc infirmitati fidei illorum tribuit, quod tamen in perfectioribus nequaquam tollerandum docet. Quamuis Origenes, Ambrosius, Oecumenius & alij hunc locum traduxerint ad abstinentias à cibis, & à carnibus, quas Christiani nonnulli tum temporis obseruauerunt. Et hunc volunt esse sensum: alius iudicat diem inter diem, alius omnem diem, id est, aliqui ieiunant certis diebus, vt feriã 4. 5. & 6. vel sabbatho: alij ieiunant omni die. Quæ interpretatio mirificè Iesuitis placet: sed vera non est: aut probent ex Pauli scriptis, fuisse qui Apostolorum temporibus certis aliquibus diebus abstinerint à carnib. aut ab alio aliquo genere ciborũ: alij verò omnes dies existimauerint sibi esse liberos.

Responsio i. ad Petrobrusianorum rationes.

Quod autem ad rationes attinet quas adducunt, respondeo ad primam, eodem modo reprobari à Paulo discrimen ciborum & dierum. Non autem propterea sequitur inde quod volunt. Loquitur enim Apostolus de discrimine ex lege Iudaica in Christi ecclesiam inducto. Si enim certis & à Deo in veteri lege prohibitis cibis vescerentur homines, mortaliter eos peccare docebant pseudoapostoli: ab hoc discrimine liberatos esse docet fideles Paulus, & munda omnia porro munda esse inquit, proindeq; certas leges de eiusmodi discrimine in Christi ecclesia non amplius ferendas. Similiter nec illud tollerandum scribit, vt festa Christianorum sic certis temporibus affigantur, vt non etiam alijs haberi & celebrari possint: quod in veteri Testamento in vsu fuisse legimus, vbi festa ita certis diebus erant alligata, vt si ea alijs celebrare voluissent grauissimè peccassent.

2.

Ad secundam dico, perpetuum quidem sabbathum fideles in his terris agere debere, sic, vt spiritu Dei illustrati semper Deum inuocent, & à peccatis abstineant: quia verò hoc illorum studium ob carnis infirmitatem subinde interrumpitur, ideò solennes cætus requiruntur, non solum ad confirmandas mentes & alendas verbo Dei, sed etiam vt alij hoc exemplo ad cognoscendum Deum excitentur.

Refutatio Ebionitarum hæresis de seruando Sabbatho & Dominica die simul à Christianis.

His testimonijs Pauli, & quæ de ijs dicta sunt, refellitur simul etiam Ebionitarum hæresis, qui inter alia docebant, debere Christianos seruare dies festos veteris & noui Testamenti, Sabbathum nimirum & Dominicam diem, vt Eusebius refert lib. 3. histor. cap. 27. Quem errorem Gregorij M. tempore nonnulli renouare voluerunt, vt est videre ex libro eius 11. epist. 3. Ac referunt, Christianos qui hodiè in Æthiopia degunt, Sabbathum & Dominicam diem eodem honore habere & colere. Ad eò autem aperte Paulus Ebionitarum opinionem confutauit, vt eum propterea non reciperent, sed apostatam esse dicerent, Eusebio teste eodem loco, & Epiphanius hæresi trigesima, atq; Irenæo lib. 1. cap. 26. Nec tamen mentiti sunt Magdeburgenses Centuriatores dicentes, Paulum ipsum indifferenter obseruasse Sabbathum & Dominicam, vt Bellarminus calumniatur. Eius enim rei manifesta extant testimonia in Actis Apostolorum. Nam 13. cap. Paulus & Barnabas ingressi in synagogam die sabbathorum dicuntur. Eodem locogentes rogabāt eos, vt sequenti sabbatho sibi loquerentur sermonem. Et Paulus ac Silas die Sabbathorũ egressi sunt è ciuitate ad flumē, ibiq; sunt concionati, Act. 16. Et Thess. per tria sabbatha disseruit Paulus. Rursus fratres vno sabbathorũ, id est, Dominicã die, ad frangendam panem conuenisse dicuntur, Act. 20. *Primis enim annis aliquot Apostoli ceremonialia quædam Mosaica,*

Paulus indifferenter obseruauit sabbathum & Dominicam diem.

vt res



ut res indifferentes, propter imbecilles, & nondum de abrogatione legis Mosaicae plenè edoctos, obseruârunt, & Iudæis facti sunt quasi Iudæi, ut Iudæos lucrifacerent. Quum autem viderent falsos fratres, & obstinatos Iudæos, obseruationem legis, tanquam necessariam ad salutem postulare, restiterunt eis Apostoli, & doctrinam de abrogatione legis, ac libertatem Euangelij strenuè defenderunt. Imò Paulus Antiochiæ Petrum in gratiam falsorum fratrum Iudæorum antem grauius reprehendit, Galat. 2. Idem Apostolus aperte docet, ad eò esse abrogatam legem Moysi, ut si quis eà opinione circumcidatur, aut alias obseruet legis ceremonias, quòd sint necessariae ad salutem, non possit saluari, Galatas 5. cap. Quæ etiam causa fuit, quòd Ebionitæ Paulum Apostatam nominârunt: hoc ipso enim nomine videntur significare voluisse, eum ab initio ceremonias legis obseruâsse, postea verò easdem repudiâsse, & abrogationem illarum docuisse. Eundem errorem damnauit etiam Concilium Laodicenum, celebratum circa annos Domini 364 vel secundum alios 368. in cuius 29. Canone sub anathematis pœna præcipitur, ne Christiani iudaizent, & in sabbatho vacent, sed operentur potius. Gregorius M. quoq; hunc errorem refutauit epist. 3. lib. 11. & inter alia scripsit, Antichristum renouaturum sabbathi obseruantiam.

Ad argumentum autem illorum, desumptum ex illis verbis Exod. 31. Custodite sabbatum meum: Pactum est sempiternum inter me, & filios Israel, signumq; perpetuum; lib. 1. de Festis Iudæorum, & c. respondimus, ubi de Sabbatho egimus.

## CAPVT II.

## De libertate Christiana circa festa.

**E**sti dies in veteri Testamento, ad certa tempora, & certas temporum circumstantias erant alligati; ita quidem, ut Sabbathum hæc tantum septimâ hebdomadæ die, quâ Deus à creandi opificio quieuit: Pascha à decimoquinto die iuxta legalem supputationem à vespera ad vesperam, per septem continuos dies vsq; ad vigesimum primum mensis Nisan: Pentecoste quinquagesimo die à crastino sabbathi Paschæ: Tabernaculorum autem festum à decimo quinto vsq; ad vigesimum primum inclusiuè mensis Tischri, celebrari debuerit, ita firmiter & præcise, ut ad mortem peccassent, & damnationis pœnam incurrissent, si aut intermississent, aut alijs diebus & temporibus celebrare voluissent. Erat igitur hæc temporum obseruatio circa festa non libera, aut in hominum arbitrio posita, sed ex præcepto Dei præcise necessaria. Ad hæc, festa illa Mosaica vel in memoriam reuocabant vetera Dei beneficia Iudæorum genti peculiariter exhibita, vel rerum futurarum, & præcipuè venturi Messia typi & vmbrae fuerunt. Sic Deus Sabbathum obseruari voluit, cum in memoriam rei admodum stupendæ & memorabilis, conditæ ab se machinæ mundi, tum etiam liberationis Ægyptiæ. Pascha ex mandato Dei, non solum propter memoriam redemptionis ex Ægypto, atq; aliorum beneficiorum, quæ Deus tum in gentem Iudæam contulerat: sed omnium maximè propter typum Messia, qui sanguine suo & morte genus humanum à captiuitate peccati, mortis, diaboli & inferni definito tempore liberaturus, & in libertatem filiorum Dei vindicaturus erat, celebrari debuit. Pentecostes festum in memoriam reuocabat promulgationem legis diuinæ in monte Sinai. Scenopægorum seu Tabernaculorum solennitas instituta fuerat in memoriam beneficiorum, quæ in deserto populo Israelitico exhibuit Deus.

Festa in veteri Testam. ad certa tempora erant alligata.

Festorum Mosaicorum significatio.

Hæc verò simul omnia, non solum præcise & necessariae temporum obseruationes, sed ipsa festa, conscientijs in nouo Testamento abrogata sunt penitus. Non quòd Ecclesia Christi sine statis & certis festis diebus vel possit vel debeat esse. Nam, ut alio loco docuimus, naturale est, ut dies sint certi & determinati, quibus feriemur ab operibus externis & corporalibus, tum ut vacemus Deo rebusq; diuinis, & in ijs conueniamus certo in loco ad auditum verbi Dei, præces & usum sacramentorum: tum etiam, ut quies concedatur seruis & operarijs nostris. Hi verò dies, eorumq; determinationes, non sic in nouo, ut in Veteri Testamento obligant in conscientia,

Festorum in nouo Testamento ratio.



sed tantum scandali & contemptus ratione: nec etiam ita certis temporibus sunt affixi & alligati, ut si ex usu ecclesie esset, ipsaq; necessitas postularet, non liceat mutare & in alios commodiores dies transferre: proindeq; etiam dies isti determinati ad feriandum non debent, in & per se considerati, reliquis diebus haberi sanctiores, quasi mysterium & figuram, vel significationem aliquam, ut in veteri Testamento, contineant: sed solum tanquam determinati disciplina, ordinis ac politie gratia, & propterea cum hac determinatione consistat aequalitas dierum.

Testimonium  
r. quo probatur  
præcisas & ne-  
cessarias festo-  
rum observa-  
tiones in nouo  
Testam. esse  
sublatas.

Sententia hæc nostra de Christiana libertate circa dies festos, confirmatur, PRIMO testi-  
monijs Apostoli, paulo ante quoq; à nobis citatis. Nam ad Rom. 14. cap. ait: Alius iudicat  
diem inter diem, alius iudicat omnem diem. Ad Galatas 4. Dies obseruatis, & men-  
ses & annos: timeo vos, ne frustra laborauerim in vobis. Et ad Col. 2. Nemo vos iu-  
dicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi. Et ad Hebraeos hæc omnia quasi confir-  
mans dicit: Translato sacerdotio, necessariò fit & legis translatio.

2.

SECUNDO probatur Christi, Apostolorum & primitiua ecclesie exemplis, quæ satis do-  
cent, festa in nouo Testamento res esse indifferentes & medias, & propterea sub nulla neces-  
sitate absoluta ecclesie Christi imponendas. Christus enim in Sabbathis & reliquis festis non so-  
lùm docuit, sed aliorum concionibus interfuit. Vt autem ostenderet, se illud liberè, & non ex  
necessitate facere, contra opinionem necessitatis, de abrogatione Sabbathi Mosaici, & verbo do-  
cuit, cum diceret, Filium hominis dominum esse Sabbathi: & factis sæpius libertatem il-  
lam comprobauit, cum Sabbathis sanaret, & discipulos spicas in Sabbatho confricantes, defen-  
deret. Eam ob causam etiam conuentus suos ad docendum verbum Dei, alijs sæpius diebus ex-  
tra Sabbathum celebrauit: atq; labores, qui in casu necessitatis & charitatis in ipso Sabbatho su-  
scipiebantur, non damnauit, tantum operas illas externas, quæ ministerium & sanctificationem  
turbant & impediunt, prohibitas esse, ostendit Mar. 11. cum, docens in templo, non permisit ut  
quisquam vas deportaret per templum. Eodem modo Apostoli primùm tollerârunt illorum infir-  
mitatem, qui sine superstitione Mosaicis dies obseruabant, ut patet ex 14. cap. Rom. Deinde o-  
stenderunt suo exemplo, in nouo Testamento liberum esse, vel singulis diebus, vel quocunq; die  
commodum videretur, ad tractandum verbum & sacramenta, & ad publica seu communia pie-  
tatis exercitia, conuenire. Ita die Sabbathi docuerunt, Act. 13. 16. 17. & 18. Sic Pentecosten quo-  
que obseruauit Paulus, Act. 20. & 1. Cor. 16. Præterea, ut ostenderent exercitia ecclesiasticorum  
conuentuum in nouo Testamento non esse alligata ad certos dies, ipsi quotidie perseuerârunt in  
doctrina, in communicatione, fractione panis, & precibus, Act. 5.

In primitiua similiter ecclesia duarum præcipuarum festiuitatum, diei Dominicæ & Pascha-  
ris, ex quibus etiam de alijs leuioribus facile iudicare licet, ad eò non fuit astricta certo tempori  
obseruatio, nec vlla etiam certâ lege præcepta, quin simul etiam alijs diebus feriari & conuen-  
tus ecclesiasticos celebrare liceret. Nam præter Dominicam diem, quartâ etiam & sextâ feriâ  
hebdomadæ, Epiphaniò teste, conuentus publicos celebrârunt. Post Christi quoq; ascensionem  
absq; vllò offendiculo nonnulli Christianorum cum Iudæis Pascha celebrârunt, alij verò in Do-  
minicam proximam post 14. Lunæ reiecerunt, quæ diuersitas diu non est obseruata, ne dum à  
quoquam reprehensa. Sozomenus libro 2. cap. 19. indicat. Constantinopoli, & alibi ferè vbiq;,  
Sabbatho & primâ Sabbathorum conuentus ecclesiasticos celebrasse fideles. Idem libro primo,  
capite octauo, & Eusebius libro quarto, vitæ Constantini, referunt, Imperatorem hunc lege edi-  
xisse, ut Dominicum diem, & eum qui Sabbathum antecedit, quem vulgus diem Veneris vo-  
cat, colerent. Illamque ipsam horum festorum obseruationem non aliâ conditione præcepit pijs-  
simus Imperator, quam ut ruri positi, si necessitas postularet, agrorum cultura liberè  
licenterq; inseruire possint, quum frequenter eueniat, ut non aptius alio die fru-  
menta sulcis, aut vites scrobibus commendari possint, ne fortè occasione momen-  
ti pereat commoditas cœlesti prouisione concessa: verba sunt decreti Constantini ad  
Elpidium, in Cod. lib. 3. tit. 12. D. Augustinus quoq; testatur epist. 118. alios quotidie communicare  
corpori & sanguini Dominico: alios certis diebus accipere: alibi nullum diem intermittere quo  
non

non



non offeratur: alibi Sabbatho tantum & Dominico: alibi tantum Dominico. Tandem concludens, TOTVM, inquit, hoc genus rerum LIBERAS habet obseruationes.

TERTIO probatur nostra sententia testimonio Socratis, qui etiam dies festos liberos, & sub nulla necessitate, aut lege aliquâ impositos in prima ecclesia fuisse manifestissimè testatur lib. 5. cap. 22. hist. ecclesiastica. Quum enim de libertate Christiana circa festos dies, ciborum delectum & alia huiusmodi eleganter differuisset ex Paulo, in hæc verba erumpit tandem: NVS-  
QVAM igitur Apostolus, nec ipsa Euangelia, iugum seruitutis illis imponunt, qui ad prædicationem accedunt, sed Paschatis festum, & alios dies festos ipsi homines suis quicq; locis propter remissionem laborum, & memoriam salutiferæ passionis, SICVTI VOLVERUNT, ex consuetudine quadam, celebrârunt. NEQVE Seruator aut Apostoli hoc nobis lege aliquâ obseruandum esse mandârunt, neq; pœnam nobis aut supplicium Euangelia vel Apostoli, sicut Iudæis lex Moïsi, comminatur, &c. Et mox: Erat igitur, inquit, scopus Apostolis, non de festis diebus sancire, sed rectam vitam ac pietatem inducere. In eandem prorsus sententiam, quin fermè totidem verbis, Nicephorus quoq; libro 12. cap. 32. Mihi, inquit, sanè non rectè fecisse videntur, qui olim de Paschate tantopere dissidentes contenderunt. Apostolus enim disertis verbis sanxit, non solùm de Circumcisione vetans, verùm etiam de diebus festis cohortans, vt nequaquam disceptantes segregemur. Et mox: Satis igitur, inquit, liquet, neq; sacrum Euangeliorum librum, neq; Apostolos, Christianis seruitutem legis imposuisse: sed vt pascha & reliquos festos dies honorificè, QVANDO CUNQVE eis visum fuisset, peragant, τῆ ἐυγνωμοσύνη, id est, gratitudinè eorum qui beneficio sunt affecti, reliquisse. Proinde quia homines maximè ferias amant, à laboribus in eis conquiescentes, tum sicuti cuique visum erat, in regionibus passim, consuetudine quadam per traditionem accepta adducti, salutiferæ passionis memoriam colentes celebrârunt. Neq; enim vel Seruator ipse, vel eius discipuli lege vllâ, id obseruandum esse statuerunt: sed neq; in eum qui hoc ita non perageret, condemnationem, aut pœnam, aut execrationem, sicuti Moïsi lex facere solita fuerat, vel Euangelica vel Apostolica scripta induxerunt, aut comminati sunt. Et paulò post: Ipsis profectò sanctis Apostolis consilium illud propositum non fuit, vt sibi de diebus festis iudicium sumerent, aut de eis leges ferrent: sed potius Deo gratam vitam, virtutē, & veram erga Deum pietatem traderent atq; inducerent. Hac Nicephorus.

QUARTO confirmatur D. Hieronymi auctoritate: nam in epistolam ad Galatas, ad quæstionem: An non etiam Christiani dies obseruent, & sua festa certis temporibus affigant, quum & ipsi statis conueniant diebus, & Dominicam, Pascha, Pentecosten, &c. certis temporibus celebrent? ita respondet: Ne inordinata, ait, congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, vt in vnum pariter omnes veniremus. NON quo celebrior sit dies illa quâ conuenimus: sed quo quacunq; die conueniendū sit, ex conspectu mutuo lætitiæ maior oriatur. Qui verò quæstioni oppositæ acutius respondere conatur, illud affirmat, omnes dies æquales esse: nec per Parasceuen tantum Christum crucifigi, & die Dominicâ resurgere: sed semper sanctum resurrectionis esse diem, & semper carne eum vesci Dominica. Ieiunia autem & congregationes inter dies, propter eos à viris prudentibus constitutos, qui magis seculo vacant quàm Deo, nec possunt, imò nolunt toto in Ecclesia vite sue tempore congregari, & ante humanos actus, Deo orationum suarum offerre sacrificium. Quotus enim quisq; est, qui saltem hæc pauca quæ statuta sunt, vel orandi tempora, vel ieiunandi semper exerceat? Itaq; sicut nobis licet vel ieiunare semper, vel semper orare, & diem Dominicam accepto Domini corpore indefinenter celebrare gaudentibus: non ita & Iudæis fas est omni tempore immolare agnum; Pentecosten ægere, tabernacula figere, ieiunare quotidie.



Ratio 1. qua  
probatur, præ-  
cisas & necessa-  
rias festorum  
obseruationes  
in N. Testa-  
mento abroga-  
tas.

Porro probari etiam potest nostra sententia rationibus: nam primò, si festorum dierum obseruatio non esset in Christi Ecclesia res libera, sed eorum determinatio obligat ad peccatum, grauius & intollerabilius Christianorum erit iugum, quàm fuerit Iudæorum, quum longè plura sint festa Christianorum, quàm Iudæorum: Durandus in lib. 6. c. 1. Rational. refert, singulis diebus occurrere per totum annum, plus quàm quinq; millia Sanctorum & Festorum. De quo tamē iugo Petrus ait Act. 15. Nec nos, nec patres nostri portare potuimus.

2. Deinde, aureus numerus, ut vocant, in hunc usum excogitatus, ut nouilunia & plenilunia demonstraret, quo semper & ubiq; die Dominicâ post verum plenilunium Pascha celebraretur, progressu temporis toties fefellit, ut lunâ existente in cælo vel dimidiâ vel plenâ, aureus numerus tunc ostendat, seu potius fingat nouilunium. Quo fit, ut contra Niceni Concilij decretum, sæpius Pascha celebratum sit, & adhuc hodie celebretur in mense immundorum, rarò verò iuxta Nicenæ synodi mentem & sententiam, Dominicâ proximâ post decimam quartam lunam. Hanc autem aberrationem, quæ sæpius propter aureum numerum accidit, ideò diuinitus permitti videtur aliquibus, ut re ipsa ostendatur, obseruationes Paschatis reliquorumq; festorum dierum liberas, nec opinione necessitatis ad certa tempora alligatas esse, sed tantum ordinis gratiâ seruari debere.

3. Tertio, si festi dies Christianorum sunt certis temporibus alligati, nec liberi, sed absolute necessarij, & varè alijs diebus sanctiores, cur reprehendimus Ethnicos, qui dies hos faustos, illos infaustos dixerunt, & proinde etiam aliquos feliciores, religiosiores & sacratiores alijs habuerunt?

4. Quarto, Prophetæ Daniel cap. 7. hoc Antichristo tribuit, quòd dies & tempora mutaturus, aut saltem sibi hanc potestatem vendicaturus sit. Id autem à Pontifice Romano & Iesuitis fieri, hos dies in & per se religiosiores, & sanctiores alijs statuendo, nemo est, opinor, qui non intelligat.

Iesuitarum sen-  
tentia de obser-  
uatione festo-  
rum dierum in  
N. Testamento

Confutationes  
Iesuiticæ no-  
strorum argu-  
mentorū, & ad  
eas responsio.

Contra utrò Bellarminus & tota Iesuitarum cohors docent, festa Christianorum non solum ratione ordinis & politie, sed etiam ratione mysterij celebrari, esseq; dies festos varè alijs sanctiores & sacratiores, & illorum obseruationem obligare fideles non solum ratione scandali & contemptus, sed etiam in conscientia.

Quòd autem ad Pauli testimonia attinet, quibus nostram sententiam confirmauimus, respondet Bellarminus, primò, loqui ibi Apostolum de Iudæorum tantum festis, & propterea de Christianorum festis non esse intelligenda. Respondeo: Falsa est argumentatio, quæ Paulus de Iudæorum festis loquitur, non sunt ad Christianorum festa trahenda. Nam si Christiani iisdem, vel similibus erroribus circa sua festa sunt impliciti, quibus Iudæi: Apostolus eos non tam in Iudæis, quàm etiam in Christianis reprehendit & damnat, nam de similibus idem est iudicium: alioquin vetus Testamentum, in quo cum Iudæis tantum agitur, & quæ in nouo Seruator atq; Apostoli in Iudæis & falsis doctoribus sui temporis reprehendunt, ad nos nihil pertinerent. At Christiani eosdem errores in suis festis obseruant, quos Iudæi: non minus enim illi quàm hi discrimen dierum obseruant, dum festa sua certis temporibus, non tantum propter ordinem, sed etiam ob mysterium, figuram & significationem alligant, & sic varè dies hos reliquis sanctiores habent, ac fideles non minus necessariò, quàm Iudæi ad illorum obseruationem adstringunt. Quare apud eos Mosaica seu Iudæica obseruatio certorum dierum non est sublata, sed mutata tantum. Ergo.

Deinde ex locis illis Pauli, præsertim eo qui est ad Coloss. 2. responsio grauißima ad Iesuitarum argumentum elici potest à maiori ad minus. Si enim à Leuitico seu Mosaico dierum discrimine & obseruatione in Christo liberi facti sumus, quòd Apostolus manifestè docet eo in loco, inquiens: Hæc fuerunt umbra futurorum, corpus autem Christi, hoc est, discrimina illa legalia ciborum & dierum fuerunt adumbrationes, & prima quasi lineamenta Christi venturi, quia varè Christus, corpus illarum adumbrationum, iam exhibitus est, cessarunt umbra: multò minus igitur alijs decretis tenemur, quæ iuxta hominum doctrinas & mandata nouum dierum discrimen, adeoque etiam nouam seruitutem in Christi Ecclesiam inducunt.

Instane



*Instat tamen Bellarminus ex Augustino, qui contra Adimantum cap. 16. sic ait: Illi (Iudæi) ea seruiliter obseruabant, non intelligentes ad quarum rerum significationes & prænunciationes pertinerent: hoc in eis culpat Apostolus, & in omnibus qui seruiunt creaturæ potius quam creatori: nam nos quoque & Dominicum diem, & Pascha solenniter celebramus, & quaslibet alias dierum festiuitates: sed quia intelligimus quò pertineant, non tempora obseruamus, sed quæ illis significantur temporibus. Sed hæc falso pro se & Pontificijs citat Iesuita: & tam abest, ut ipsorum sententia his Augustini verbis confirmetur, ut ijs validissime potius confutetur. Dicit enim, Paulum reprehendere in Iudæis, quòd dies suos festos seruiliter obseruarent, non intelligentes quo pertineant: se verò intelligere quò festa sua pertineant, & quam ob causam instituta sint ac celebrantur, & propterea non tempora obseruare, sed quæ illis significantur. Hoc si facerent Pontificij quoque, si intelligerent finem dierum festorum, & propterea non obseruarent tempora, non utiq; decoreretur in eos Pauli reprehensio, & his Augustini verbis se quoque tueri possent: sed quia verum finem ignorant, & propterea non tempora minus quam Iudæi obseruant, & hoc pacto creaturæ, hoc est, diebus & temporibus potius quam creatori, seruiunt ut Iudæi, à Paulo etiam perinde ut Iudæi reprehenduntur, nec quicquam pro eis, sed magis contra eos verba Augustini faciunt: dicit enim, quia seruiliter Iudæi tempora obseruârunt, non intelligentes ad quarum rerum significationes pertinerent, ideo eos ab Apostolo reprehendi, ET OMNES eos, qui creaturæ potius, quam creatori seruiant: eorū iustius reprehenduntur, quòd Pontificij non tantum creaturæ temporum, sed creaturis insuper hominum mortuorum seruiunt, imò eas colunt & adorant contra manifestum Dei verbum. Hoc simul refutatur etiam altera Iesuitarum responsio: magnum nimirum esse discrimen inter nostra & Iudæorum festa: nam illud discrimen non tollit id quòd à Paulo reprehenditur: quòd cum sit discrimen, si eodem modo in festis nostris peccetur à nobis, quo peccatum fuit à Iudæis in suis, eodem crimine etiam tenebimur.*

*Ad exemplum Christi, Apostolorum & primitiue Ecclesie consuetudinem quòd attinet, fatetur Bellarminus, Festorum obseruationem ex se indifferentem esse, sed positâ lege fieri necessariam. Respondeo: Si lex diuina vel Christi vel Apostolorum demonstrari posset de obseruatione eiusmodi necessaria utiq; fieret. Sed nulla prorsus dari potest. Testem habeo Socratem, qui lib. 5. cap. 22. hist. ecclesiasticæ aperissime dicit: N V S Q V A M Apostolus, nec ipsa Euangelia, iugum seruitutis illis imponunt, qui ad prædicationem accedunt, sed Paschatis festum, & alios dies festos ipsi homines suis quicq; locis propter remissionem laborum, & memoriâ salutiferæ passionis, S I C V T I V O L V E R V N T, E X C O N S V E T V D I N E quadam celebrârunt. Neq; Seruator aut Apostoli hoc nobis lege aliquâ obseruandum esse mandârunt, neq; pœnam nobis aut supplicium Euangelia, vel Apostoli, sicuti lex Moïsis comminatur. Item: Erat scopus Apostolis, non de festis diebus sancire, sed rectam vitam ac pietatem inducere. In eandem sententiam Nicephorus etiam lib. 12. cap. 32. Satis liquet, inquit, neq; sacrum Euangeliorum librum, neq; Apostolos Christianis seruitutem legis imposuisse: sed ut & pascha, & reliquos festos dies honorificè, Q V A N D O C V N Q V E eis visum fuisset peragant. Item: Neq; enim vel Seruator ipse, vel eius discipuli L E G E V L L A, id obseruandum esse statuerunt, &c. Rursus: Ipsi profectò sanctis Apostolis consilium illud propositum non fuit, ut sibi de festis diebus iudiciū sumerent, aut de eis L E G E S ferrent. Ergo si Ecclesie Christi præceptoris & Apostolorum exemplum sequi velint, determinabunt quidē festos dies, illæ tamen determinationes liberæ erunt, non absolutè necessariae.*

*Quæ verò de Apostolorum & Pauli maxime exemplo diximus, ad ea respondet Iesuita: Paulum non coluisse Sabbathum, concionatum quidem tunc aliquoties fuisse, quòd eo die congregatos Iudæos inuenisset, non quia ipse coleret Sabbathum. Respondeo, Docere, ieiunare & similia peragere Sabbatho, est aliquomodo illud obseruare & colere. Sed esto non obseruâris Paulus Sabbathum docendo in eo, tam n alios id ab*



initio facientes tolerauit, vt intelligitur ex 14. cap. Rom. Deinde Sozomenus lib. 2. cap. 19. & Augustinus Epistola 118. referunt, Constantinopoli, & alibi ferè vbiq; Sabbatho & primâ Sabbathorum conuentus ecclesiasticos celebrâsse fideles. Quibus adde quòd Paulus Pentecosten Iudæorum obseruauit, vt est videre Act. 20. & 1. Cor. 16. Quia enim multitudo frequens Iudæorum in festis suis conueniebat, Paulus eâ occasione vsus est ad Euangelij propagationem. Constat enim Apostolos ab initio nascentis Ecclesiæ ceremonialia quædam Mosaica, vt res indifferentes, vsurpâsse, propter imbecilles, & nondum de legis Mosaicæ abrogatione planè edoctos, & Iudæis factos quasi Iudæos, vt eos lucrifecerent.

3. Testimonium Socratis, quo probauimus dies festos in primitiua Ecclesia liberos fuisse, & sub nulla necessitate impositos, Iesuitæ hoc argumento eludere conantur, quòd dicunt, Socratem hæreticum fuisse Nouatianum, & proinde testimonium eius in dogmatibus nullius esse momenti. Scio equidem Socratem à Nicephoro lib. 6. cap. 36. & lib. 9. cap. 13. vt Nouatianum traduci. Retinere autem ac verè hunc errorem ei impingat Nicephorus, affirmare non possumus, nisi quòd caput 28. libri 4. vbi originem Nouatianorum hæresis describit, facit, vt ei iniuriam ab eo factam esse suspicemur. Neq; etiam Nouato de tempore celebrandi Pascha cum Occidentalibus Ecclesijs contentionem vllam fuisse eodem loco testatur. Sed age fuerit hæreticus Nouatianus, anne propterea testimonium eius verum non est recipiendum? Fuisse Terullianum Montani hæretici erroribus imbutum, habuisse reliquos, & quidem summos in Ecclesia doctores suas quasdam opiniones parum commodas, & suos quasi nauos in confesso apud omnes est, an verò ea quæ ijdem illi verbo Dei conformia docuerunt, propterea non essent recipienda? Esse autem hoc Socratis testimonium verum, ex ijs intelligitur, quæ de Christo, de quæ Apostolorum & primitiua Ecclesiæ consuetudine ex verbo Dei, Eusebio, Epiphano, Augustino & Sozomeno in secundo argumento pro nostræ sententiæ confirmatione suprâ retulimus. Adde quòd Nicephorus lib. 12. cap. 32. eadem de re totidem ferè verbis quor & quibus Socrates testatus est: quem tamen hæreticum fuisse, ne ipsi quidem Iesuitæ dicent. Vt igitur Socratis maximè testimonium non recipiat Bellarminus, Nicephoro saltem fidem habeat, qui nostram sententiam non minus quàm Socrates confirmat.

4. In verbis D. Hieronymi duas solutiones ad obiectam quæstionem esse fingunt Iesuitæ: & in prima duas Hieronymum causas festorum Christianorum redæcere dicunt. Vnam, vt honoremus Christi resurrectionem, & alia mysteria: & ex hac parte volunt diem Paschatis celebriorem esse alijs diebus. Verùm huius causa Hieronymus in hac parte responsionis suæ ne vno quidem verbo meminisset, sed Iesuitæ pro more hoc ei affingunt, vt aliquid saltem habeant quod respondeant. Sed sit maximè vt volunt Iesuitæ, non tamen inde concludendum, dies aliquos celebriores esse alijs, alioquin Hieronymus sibi ipsi contradixisset. Alteram causam ob quam Hieronymus scribit festa apud Christianos instituta, Iesuitæ dicunt esse, vt habeamus certos dies ordinis gratia: & hæc est vera ac sola causa quæ ibi sanctus Pater reddit. In secunda solutione Hieronymus dicit, Christianis esse dies omnes æquales: at hæc non est noua solutio, vt volunt Iesuitæ, sed eadem cum prior: Si enim nulla dies celebrior est aliâ, ergo omnes sunt æquales. Hæc autem verba dicunt hac æquitate temperanda, vt dicamus apud Christianos esse inæqualitatem dierum, tum ex præcepto Ecclesiæ determinantis dies, tum ex significatione & representatione mysteriorum. Egregium sanè temperamentum, si modò cum sensu verborum Hieronymi egregie & probè conueniret. Non autem conuenire, & Iesuitas in alium sensum verba Hieronymi violenter trahere, mox apparebit, si ad scopum propositæ quæstionis diligenter attendamus. Obieciatur igitur S. Hieronymo, quum Paulus tam grauius moneret, ne dies, & menses, & annos obseruamus, aut diem inter diem iudicemus, hoc est, dies alios sanctiores & celebriores alijs æstimemus, an non id eximen incurrant Christiani quartam Sabbathi obseruantes, & Pascheuen, & diem Dominicam, & Paschæ festiuitatem, & Pentecostes lætitiâ? Respondet, Non hoc fieri à Christianis, quòd dies illos, quibus conueniant, celebriores & sanctiores estimant reliquis. Et quia nominatim in quæstione mentionem fecerat diei Dominicæ, Paschæ &



& Pentecostes, intelligimus ex hac Hieronymi responsione, eum hos ipsos dies celebriores reliquis non reputasse: et proinde falsum esse quod Iesuitæ dicunt, Ratione honoris qui resurrectioni Christi & alijs diebus debetur, negari non posse, quin dies Paschatis celebrior sit, quàm alij dies. Quæ igitur causa est, ob quam Christiani certis diebus festa sua celebrant? Ne inordinata, inquit Hieronymus, congregatio populi fidem minueret in Christo. En Iesuitæ, propter ordinem & politiam ecclesiasticam hoc fieri manifestissimè dicit, nec aliã assignat causam. Paulò post aperitissimè dicit, Omnes dies æquales esse: nec per Parasceuen tantùm Christum crucifigi, & die Dominica resurgere: sed semper sanctum resurrectionis esse diem, & semper carne eum vesci Dominicã. Unde colligimus non obscurè, hanc diem Dominicam, & hanc diem Paschatis, & hos ipsos dies, quibus reliqua festa celebramus, neq; solos, neq; in se & per se consideratos, resurrectionis, passionis, natiuitatis & similibus mysteriorum nos admonere, sed quoscunq; alios dies, & proinde vel per totam nostram vitam omnibus & singulis diebus Pascha, Pentecosten, & Dominicam nos celebrare posse, iuxta Hieronymum, vel quocunq; certo die liberit, sic vt Dominicam diem etiam, si Ecclesiæ commoditas postularet, mutare & in aliam transferre liceret, modò ea sit ex septem hebdomadæ diebus vna, & hæc mutatio vel translatio scandalum & confusionem nullam in Ecclesiam inducat. Hoc non sine causa addo: nam quum vero simile sit, Apostolos diem Dominicam in locum diu Sabbathi Iudaici surrogasse, ex peculiari Spiritus Sancti suggestionem, adeoq; discrimen quoddam sit inter hanc diem, & reliquas Christianorum festiuitates, non absq; graui ratione eam mutandam seu transferendam censeo, modò ne subiiciatur Ecclesiæ seruituti huius diei. Proinde nil impedit hoc loco significatio festorum: hæc enim dies æquè nos potest admonere huius vel illius rei, vt alia, modò in ea conueniamus ad tractationem rerum illarum, quarum nos admonere debet. Neq; etiam obstat nostra sententiã, vt volunt Iesuitæ, authoritas Ecclesiæ determinantis certos dies: nam hæc determinatio debet esse libera. Deinde iam tum Hieronymi ætate Dominica dies, Pascha, & Pentecoste erant determinata ab Ecclesiã certis diebus, nihilominus dicit, hos ipsos dies non esse celebriores alijs, sed omnes æquales esse.

Ad primam autem rationem, quã nostram sententiã de libertate Christiana confirmauimus, respondet Bellarminus, PRIMÒ, ex Augustini lib. contra Adimantum cap. 16. Seruare festa Iudaicè esse iugum, non autem more Christiano. Sic verò in sensum alienum trahunt verba Augustini: non enim probare vult, iugum esse seruare festa Iudaicè: sed indicare, quid doceat Apostolus his verbis, Dies obseruatis, & menses & annos. Illud nimirum, Tempora hæc non esse seruiliter obseruanda, sed illa potius quæ his significantur. Hoc verò dicit Augustinus à Christianis fieri, licet Dominicum diem, Pascha & alias festiuitates celebrent, quia intelligant quò pertineant. Deinde si esset maximè hic sensus verborum Augustini, festa Iudaicè obseruare esse iugum, non autem more Christiano, quòd hi intelligant finem festorum & vacationis, illi non, tamen contra Pontificios hunc totum locum Augustini, non pro eis facere, supra indicauimus, quum verum finem festorum ignorent, & tempora non minus seruiliter quàm Iudæi obseruent, eoq; modo creaturæ, id est, diebus ac temporibus potius quàm creatori, perinde vt Iudæi, seruiant.

SECUNDO dicunt, Festa Iudæorum verè fuisse graua, quia cogebantur singulis Sabbathis non accendere ignem, non coquere cibos, non iter facere, nisi ad modicum spacium. Item oportebat eos ter in anno ex longinquo Hierosolymam ad festa maiora venire. In Paschate cogebantur per septem dies comedere azyma insipida, & lactucas amaras, & alia multa, quæ festa onerosa reddebant. Sua verò festa aiunt nihil habere laboris. Respondeo primò, esse hanc fallaciam secundum non causam, vt causam. D. August. epistola 118. ad Ianuariũ conqueritur, Christianam religionem iam suo tempore ita traditionibus humanis, ceremonijs ac ritibus oneratam fuisse, vt Iudæorum iugum tolerabilius fuerit sub lege, quàm Christianorum sub Evangelio & gratia. Quòd si hæc Iesuitarum causa vera esset, ob quam festa Iudæorum alijs ritibus & ceremonijs verè graues fuissent, an non sanctissimus hic pater mendacij accusari potuisset?

Confutationes  
Iesuiticæ ratio-  
num nostrarũ  
de libertate  
Christiana cir-  
ca festa & ad e-  
as responsio



quum Iudaeorum iugum longè grauius fuisset ob immensos ac penè infinitos labores, quos in sacrificijs, festis alijsq; ritibus & ceremonijs sustinuerunt, praesertim quum Augustini tempore Ecclesia Christi nondum tot ceremonijs vt hodie onerata fuerit. Dicitur autem iugum Christianorum grauius, quoad festa, iugo Iudaeorum, ob multitudinem festorum, cum Christiani longè plura habeant quàm Iudaei. Deinde quòd Christianorum festa ab hominibus tantum, Iudaeorum autem à Deo fuerint instituta, & proinde legalibus tantum sarcinis, vt Augustinus loquitur, non etiam, vt Christiani, humanis traditionibus & constitutiunculis subiecti fuerint. Verum sic haec Iesuitarum vera ratio, non tamen quod volunt obtinere poterunt, sed fieri cogentur, Christianorum festa centuplo Iudaeorum festis grauiora esse. Festis, aiunt, diebus non licebat eis accendere ignem, coquere cibos & iter facere. Sed an haec grauia & molesta fuerint, pigris praesertim hominibus, cuius iudicandum relinquo. Item, inquit, oportebat eos ter in anno ex longinquo ad festa maiora venire: in Paschate cogebantur axyma insipida & lactucas amaras comedere. Est hoc aliquid, at si consideremus, quibus rebus Pontificij in suis festis occupentur, illa praehis Iudaeis iocumque dixeris. Falsissimum igitur est quòd dicunt, sua festa nihil habere laboris.

3. TERTIO, dicunt, Petrum Actor, 15. cap. legem Iudaicam intolerabile iugum vocare, non propter festa, sed propter alias minutissimas & innumeras ceremonias, quas non tantum obseruare, verum etiam memoriã tenere ferè impossibile erat. Verum ò Sophistae, non vocat hoc loco Apostolus legem Mosaicam iugum intolerabile, ob leuiculas seu minutas aliquas ceremonias, sed propter summa & praecipua eius capita, inter quae festa non postrema erant: imò non tam ob legem ceremoniale, quàm propter ipsam moralem, siquidem ceremonialia facile ferebant, non autem moralia.

Responsio ad  
Iesuitarum ar-  
gumenta.

Haec si diligenter considerentur, facilis erit ad Bellarmini argumenta responsio, quibus probare conantur, Dies festos Christianorum VERE alijs esse sanctiores ac sacratiores, ob typum nimirum, figurã & mysterium, nec esse sublatam, sed mutatam tantum in Nouo Testamento, significationem & discretionem dierum, quae fuit in Veteri Testamento. Impudentissima sanè & Iesuitis digna doctrina, quippe cum abrogationem omnium legalium ceremoniarum Apostolus cum alibi, tum verò maxime ad Hebraeos apertissime doceat, adeoq; nomine mutati sacerdotij abrogationem quoq; eius significet, ipsi tamen inter abrogationem & mutationem distinguere audent. Sed ita se suo iudicio produnt sorices, vt dicitur. Verè enim non mutarunt ceremoniale cultum, vt abrogarent Iudaismum, sed in fronte scriptum habet meretrix Babylonica mysterium magnum, interpolando cultum Iudaicum, & colorem alium inducendo, par tamen iugum religionis & obseruationis imponendo, idq; vt Iesuita aiunt, mysterij ratione & pia significationis.

4. Primum autem argumentum eorum est, Diem Dominicam institutam in memoriã resurrectionis Domini, Augustino teste epistola 119. ergo non solum ratione ordinis festa celebrari, sed etiam ratione mysticæ significationis, & obseruationem istam partem esse diuini cultus. Respondeo, Primò, hanc diem in se & per se consideratam, hanc significationem non habere: quòd etiam D. Hieronymus attestatur, inquit, Semper sanctum esse resurrectionis Dominicæ diem. Verbum autem Dei, quòd hoc die annunciat, resurrectionem Christi, & alia beneficia per eum nobis exhibita in memoriã nobis reuocat. Astipulatur nobis etiam D. Augustinus, qui citato loco non simpliciter dicit, celebrari diem Dominicam in memoriã resurrectionis, ita vt resurrectionem Christi, ceu typus & figura quadam nobis adumbret & significet, sed, inquit, vt in memoriã reuocemus quòd mortuus est Christus & resurrexit. Hoc autè non fit propter diem, vel ab ipsa die, sed per verbum, & ex verbo Dei, ob cuius auditum & meditationem diem hanc institutam scimus. Est igitur Dominica dies memoriã resurrectionis Domini, non formaliter, sed, vt ita loquar occasionaliter, quatenus verbum, quòd die Dominico praedicatur, nobis resurrectionem Domini in memoriã reuocat.

In Comment.  
ad Rom. pag.  
1566.

Respondeo secundo cum doctissimo Paræo, distinguendam esse significationem. Alia enim est diuina,



est diuina, seu à Deo rebus addita ad obſignationem & cultum, vt ſignificatio Sacramentorum: alia eſt humana vel eccleſiaſtica, hominum inſtituto rebus addita. Illa eſt neceſſaria per ſe, & cultus Dei propter authoritatem præcipientis Dei: hæc verò libera eſt, non obligans conſcientiam extra caſum ſcandali, propter authoritatem inſtituentis Eccleſiæ. Propoſitio itaq; Ieſuitici argumenti, quod ſignificationis cauſa obſeruetur, eſt neceſſarium & pars cultus de ſignificatione diuina tantum diuina eſt vera: de humana vel Eccleſiaſtica eſt falſa: quia Eccleſia vt non eſt inſtituere ſacramenta, ſic non eſt addere ſignificationes aut myſteria rebus cum neceſſitate vel cultus cauſa. At ſignificatio diei Dominicæ eſt ab hominibus addita.

Reſpondeo tertio ex Socratis libro 5. c. 22, vbi indicat, diem ipſum, quo Chriſtiani conuenire ſoliti ſint, liberum fuiſſe, alias enim Eccleſias alijs diebus conueniſſe, non omnes die Dominico. Ergo non fuit pars cultus diuini, in quo hominibus nihil immutare licet.

Ad ſecundum argumentum idem reſponderi poteſt, vbi dicunt, Si feſtis diebus nulla reſiſquitur ſignificatio & myſteriũ, tollendi erunt dies ſolennes, Natalis, Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis Domini, & Pentecoſtes. Nam, vt antea diximus, verbum Dei, non dies, ad cuius auditum in Natali, &c. conuenimus, nos de natiuitate, reſurrectione, aſcenſione Chriſti, &c. admonet. At non inde ſequitur, propterea tollendos eſſe hos dies: quia ordinis cauſa ſunt inſtituti, vt nimirum in ijs ex verbo Dei, de his rebus admoneamur. Ita non ſequitur, præceptor ſolum erudit diſcipulum, non tempus, ergò nullum conſtitutum tempus, nulla certæ horæ debent eſſe, quibus præceptorem adeat diſcipulus. Sunt igitur dies feſti inſtituti, non quod ex ſe, aut mandato Dei ſignificent myſteria, ſed ne inordinata ſit congregatio totius populi ad certa Dei beneficia ſtatim dicòs maiori frequentia atq; lætitiã recolenda.

Tertio citat Bellarminus teſtimonia ex Patribus, vbi dies feſti dicuntur ſancti, ſacri, myſtici. Reſponſio: appellantur quidem ſic, verum non in ſe aut per ſe conſiderati, ſed per accidens, reſpectu rerum, quæ in ijs peraguntur. Codex biblicus dicitur ſacer, non quòd libro per ſe, & quoad chartas ſeu papyrum ſanctitas quædam ſi: tribuenda, ſed propter res quæ in eo comprehenduntur & docentur. At Pontificij non contenti actione ſanctã, ob quam dies ſancti appellantur, ipſos dies feſtos per ſe alijs ſanctiores, & partem diuini cultus faciunt, adeò, vt inter religioſam obſeruationem ceremoniam Iudæorum, & ſuam hac in parte nullum diſcrimen interſit. Fatetur hoc manifeſtè Ieſuita cum dicit, dies feſtos verè alijs eſſe ſanctiores, nec ſublata in Eccleſia Chriſti, ſed mutatam tantum eſſe ſignificationem & diſcretionem dierum legalium.

Hinc etiam reſponſio peti poteſt ad quartum argumentum, vbi dicit: Si ratione ſolum ordinis diſtinguerentur dies feſti ab alijs, omnes dies feſti eſſent æquales, nec vnus alio maior: vna enim eſſet ratio omnium. At non ita eſſe probat ex Ignatio, qui vocat diem Dominicam, diem regalem, & eminentiſſimam omnium dierum: ex Leone I. qui vocat diem Paſchæ, Feſtum feſtorum omnium maximum: ex Nazianzeno, qui dicit Paſcha eſſe Feſtum feſtorum, & celebritatem celebritatum, tantò cæteris omnibus maiorem; quantò ſol ſyderibus omnibus excellit: dicit idem, Paſchæ diem eſſe regem dierum: ex Chryſoſtomo, qui Natalem Chriſti feſtum maximum, & feſtorum metropolim vocat. Reſpondeo, Vna eademq; eſt ratio feſtorum omnium, quoad dies, Hieronymo teſte in epiſt. ad Galat. 4. c. vbi dicit, omnes dies æquales eſſe, nec eſſe dies feſtos, quibus conuenimus, alijs celebriores. Quoad res autem, quæ in ijs peraguntur, vna eſt præſtantior aliã, cuius reſpectu dies ſic à patribus appellantur ex accidenti. Ad hæc non video, quòd nam diſcrimen Patres inter feſta citatis locis faciant. Ignatius vocat diem Dominicam, diem regalem, & eminentiſſimam omnium dierum. Leo vocat diem paſchæ feſtum feſtorum omnium maximum. Nazianzenus dicit, Paſchæ diem eſſe regem dierum. Chryſoſtomus Natalem Chriſti vocat feſtum maximum, & feſtorum metropolim. Annon hæc coincidunt? Aut oſtendat Ieſuita magnum aliquod diſcrimen inter hos titulos, quibus feſta diuerſa à patribus ornantur.



5. Quinto ait, Observatio festorum, quæ præcipitur Exod 20. ad cultum Dei pertinet: sed illud præceptum ad nos quoque pertinet: ergo etiam nostra festa ad cultum Dei pertinent. Respondeo primò: observatio illa festorum, quæ in quarto decalogi præcepto mandatur, aliquo modo ad cultum Dei ceremoniale pertinuit, qui Christi aduentu sublatus est. Secundò, Lex illa Dei moraliter considerata, præcipit nobis, ut statim & certi sint dies, quibus conveniamus, ergo ex analogia duntaxat ad nos pertinet: observatio verò illa dierum non est cultus Dei, neque eâ colitur Deus, sed rebus ijs, quæ his diebus peraguntur. Officina, in qua ars aliqua exercetur, non idèò pertinet ad artem, neque est pars artis. Deinde sacra litera non prohibent ea quibus colitur Deus: ut prohibet Apostolus observationem dierum, mensium & annorum: ergò hæc observatio non est cultus Dei.
6. Sextò, probat Christum consecrâsse tempus, id est, dies illos, quibus natus, vel passus, vel redditus nobis fuit devictâ morte, eò quòd nascens consecrâvit præsepe, moriens crucem, resurgens sepulchrum, consecravit igitur & dies ipsos, quibus hæc egit Christus. Huic argumento inest petitio principij, nam rem incertam per aliam longè incertiore probare conatur. Nam si attactu suo præsepe, crucem & sepulchrum ita consecravit, ut sanctitatem aliquam inde consequuta sint, eodem etiam modo consecravit os Iudæ proditoris, quo illum osculatus est: sanctificavit etiam sceleratas impijssimorum militum manus, quibus ceperunt illum & abduxerunt Hierosolymam: sanctam etiam reddidit terram Iudæam, quam pedibus suis calcavit: quod falsissimum est, si qua enim hodiè est terra maledictioni obnoxia, Iudæa est. Adhæc, si consecrâisset maximè & sanctum reddidisset tempus suæ natiuitate, passionis, resurrectionis, ascensionis, tunc præcisè illi ipsi dies, non alij quibus esset natus, passus & redditus nobis à mortuis, observandi & celebrandi essent. Sed hodiè Paschæ, & proinde etiam resurrectionis & ascensionis dies non ita celebrantur: non enim cum Iudæis celebramus Pascha, ut debebamus, siquidem hæc Iesuitæ ratio vera sit. Similiter etiam dies Natiuitatis eius non ita celebratur, qui omninò incertus est, quando nullo testimonio sacro demonstratur. Recepta quidem est illorum sententia, qui arbitrati sunt natum Christum 8. Calend. Ianuar. & hoc die vulgò celebratur hodiè Natalis Domini: sed hæc opinio multis rationibus improbari potest. Sic Ecclesia Romana festum Sancti Petri ad Vincula observat Calend. Augusti, at illo die Petrus in carcerem non fuit coniectus, nec carcer ab angelo effractus, nam diebus azymorum ista facta leguntur Actuum 12. capite. Eadem ratio est dies passionis Dominicæ, quem fuisse dicunt alij 7. alij 20. alij 22. nonnulli 25. vel etiam 31. Mar alij 2. 6. & 23. Apr.
7. Vltimò, ut probet Iesuita ad observationem eorum etiam festorum, quæ non à Deo, sed ab Ecclesia instituta sunt, obligari homines in conscientia, adducit auctoritatem Ecclesiæ, cuius præcepta obligent in conscientia. Respondeo, Ecclesiæ mandata obligare tunc in conscientia, si Ecclesia audiat vocem sponsi sui & pastoris, hoc est, si mandata eius consentiant cum verbo Dei. Tunc observata necessaria sunt ut cultus Dei, non autem quæ præcipit nomine & verbo suo. Si spectant iuxta & iav, observari possunt, non tamen sunt cultus Dei, nec ligant conscientias, nisi in casu scandali. Quæ præter vel contra Dei verbum præcipit, & cavere & fugere debemus, iuxta illud, Cavete falsos prophetas. Item, Si quis aliud Evangelium prædicaverit, anathema sit. Et, Nolite fieri serui hominum. Et sic audimus Ecclesiam, nempe proponentem verbum Dei ad cultum vel sua ad iuxta & iav, salvam libertatem fidelium. Hæc autem obligatio adversatur verbo Dei, & in primis Apostolo Paulo, qui ad Col. 2. cap. scribit: Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi. Et Galatas reprehendit, quòd dies observent, menses & annos. Ergò hæc obligatio Romana Ecclesiæ est infirma.
8. Deinde profert exemplum Mardochei & Hesteræ reginæ, qui Iudæos obligaverunt ad festum Sortium, licet à Deo in particulari non fuerat mandatum: inde colligit idem licere Ecclesiæ Christi. Respondeo, exemplum non est lex. Deinde scimus in veteri Testamento multos multa fecisse, quæ nobis in Novo non licent. Tertio,



non multum fortasse aberrauerimus, si dicamus, hoc à Mardocho & Histera ex peculiari Spiritus sancti instinctu factum: hanc autem obligationem in Ecclesia Christi Spiritum sanctum auctorem non habere, libertas per Christum parata, & verba Apostoli Pauli satis abundè docent.

Idem etiam respondemus ad Conciliorum decreta, quibus festa sunt instituta. Ad ea verò decreta quæ citat Iesuita peculiariter respondemus, contra nos non facere, nam nihil aliud præcipiunt, quàm vt dies Dominica seruetur, quod à Deo ipso in quarto præcepto Decalogi mandatur.

## CAPVT III.

## An Festa in honorem Sanctorum instituenda &amp; celebranda? vbi &amp; de MEMORIIS Martyrum.

**H**ESTOS dies non in Sanctorum mortuorum, sed solius Dei viuentis honorem instituendos & celebrandos, aliquot rationibus probatur. Primò, pertinent ferie ad tabulam Decalogi primam, in qua Deus religionis officia præscribit, quæ ad numinis sui peculiariter, non etiam ad Diuorum cultum pertinent. Ergo ferie solius Dei sunt: & proinde qui in creaturarum honorem eas celebrant, idololatria peccant.

Secundò, Lex Decalogi quarta, Sabbathum soli Domino Deo nostro, non etiam Sanctis vendicat. Septimo, ait, die Sabbathum est Domini Dei tui. Non dicit, Sabbathum est Abellis, Noachi, Abrahami, &c. Eodem modo etiam de reliquis festis subinde in lege præcipitur, vt Domino Deo seruentur. Sic Leuit. 23. scribitur: Hæ sunt ferie Domini, &c. Et, Sabbathum Domini est, &c. Et, Phase Domini est: Item, Solennitas azymorum Domini est. Rursus, Erunt à 15. die mensis septimi ferie tabernaculorum septem diebus Domino. Et Leuit. 26. ait Dominus, Custodite sabbatha mea. Impietas verò est, ea quæ Dei propria sunt Sanctis vendicare. Impie igitur sunt Sanctorum ferie.

Tertiò, ferias Diuis instituere, pugnat cum veteris & Apostolicæ Ecclesiæ consuetudine, quæ in solius Dei honorem, non etiam diuorum festa celebravit. Vetus enim Testamentum non habuit ex tanta patrum sanctissimorum copia quenquam, cui dies festos ageret. Similiter nec Apostoli vel in Ionanis Baptista, vel Scephani protomartyris, vel Iacobi, vel alterius honorem festa instituisse leguntur.

Adhuc in festis diebus non solum spectatur otium, sed etiam sanctificatio, vt hi dies consecrati sint sacris rebus, & nos sanctè in ijs geramus. Hanc autem sanctificationem nemo nisi solus Deus potest præstare: itaq; nemini dies illi consecrandi quàm Deo.

His adde, quòd institutio feriarum in honorem diuorum gentilismum sapit: gentiles enim dies suos festos non opifici & creatori rerum, sed suis Dijs, hoc est, creaturis diuarent, Ergò quidem faciunt hodiè gentilismum in Christi Ecclesiam reducere. Christianos autem in hoc Gentiles imitatos esse Polydorus Vergilius de Iuuent. rer. lib. 6. cap. 8. testatur. Tantum enim nominibus mutatis ex festis Paganis fecerunt Christiana, idq; auctoritate Gregorij M. Papæ, qui lib. 9. epist. 71. præcepit, festa Paganorum sensim in Christiana commutanda esse, & quædam ad eorum similitudinem faciendæ, vt facilius fidei Christianæ accederent. At non faciendæ erant mala, vt euenirent bona: nec gentilismus cum religione Christiana miscendus fuit, vt ex Paganis malis fierent Christiani non boni. Ab his igitur festis gentilismum sapientibus necessario purgatur Christiana religio.

Ad primum verò argumentum respondet Bellarminus, se Deo instituere festa, sed in memoriam sanctorum. Respondeo, propter quod vnumquodq; tale est, illud magis est tale: sed propter sanctos, & eorum honorem, cultumq; instituunt ferias Deo: sin minus, cur non sufficiunt illis solius Dei festa? ergò magis propter Sanctos, quàm propter Deum. Quod etiam fatetur Bellarminus lib. 3. c. 16. de cultu Sanct. vbi dicit, Honorem festorum dierum: immediate & terminatiuè ad Sanctos pertinere. Hoc verò pugnat cum verbo Dei, ac rationibus modò adductis, & est cultus idololatriæ, in quo non minimam religionis suæ partem col-

Rationes ob quas festa non sanctis instituenda.

1.

2.

3.

4.

5.

Responsio Iesuitica ad 1. nostrum argumentum, & eius confutatio



DE ORIGINE FESTORVM

locant. Atqui Augustinus in lib. de Vera religione cap. 55. Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum. Quia si piè vixerint, non sic habentur, vt tales quarant honores, sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante, lætantur meriti sui nos esse conseruos.

Cultus Dulie & Latriæ.  
De Dulie & Latriæ distinctio.  
ne vide Augustini scopum de ea in Chanieri epistolis Iesuit. p. 33 & seq. item p. 157. 158. 159.

Sed excipit Iesuita, cultum hunc, quem Sanctis tribuunt, instituendo in memoriam & honorem eorū ferias, esse Duliam, non Latriam. Atqui, de re non de voce quū sit quæstio, quis illis permittat tam securè in re omnium maxima ludere? Verū vt hoc omittamus, non aliud tamen consequenter hac sua distinctione, quā cultū ab ipsis vni Deo præstari: Sanctis autē seruitium: λατρεία enim Græcis, idem est quod Latinis cultus: δουλεία verò propriè seruitutem sonat. Et tamen in scripturis sæpè confunditur hoc discrimen. Sed sit perpetuum, nempe inquirendum est, quid vtrumque valeat: δουλεία seruitus est, λατρεία cultus. Maius autem quiddam esse seruire, quā colere, nemo dubitat. Nam ei seruire durum esset sæpenumerò, quem colere non recusares. Itaque esset iniqua distributio, Sanctis assignare quod maius est, Deo quod minus est relinquere. Quæ causa est, quòd ne δουλεία, hoc est, seruitute quidem honorandos esse Sanctos, Augustinus velit. Scribit enim libro de Vera religione capite 55. sic: Quare honoramus eos (Sanctos) charitate, NON SERVITUTE. Nolunt enim se sic honorari à nobis. Et mox: Qui autem nos inuitant vt sibi SERVIAMVS, & tanquam Deos colamus, similes sunt superbis hominibus, quibus si liceat, similiter coli volunt: sed istos homines perpeti minus, illos verò colere magis periculosum est. Omnis enim hominum dominatus in homines, aut dominantium aut seruientium morte finitur: seruitus autem sub angelorū malorum superbia, propter ipsum tempus, quod est post mortem magis metuenda est. Hæc Augustinus. Quòd autē sanctus Pater hoc loco dicit, ne ipsos quidē angelos seruitute seu δουλεία à nobis honorari velle, non caret exemplo. Petrus & Ioannes quum adorare vellent angelos, non cogitarunt & moliti sunt defectionem à Deo, & pro Deo angelos adorare statuerunt: neque enim de tantis Apostolis tantum nefas cogitare fas est. δουλεία ergò, vt vocant, (& vt Thomas Aquinas exponit) non λατρεία angelos voluerunt colere: id est, Deum adorare & colere vt Deum: sed angelos aliquantò depressius, vt eximios Dei legatos. At ea re grauiter peccarunt, nec talem cultum agnoscere voluerunt angeli.

Argumenta Ie. suæ pro festis Sanctorum, & ad ea responsiones.

Suam porrò sententiam de ferijs in honorem Sanctorum instituendis, Iesuita nullo profus vel testimonio, vel exemplo sacrarum literarum defendit: sed primò hac ratione: Festi, inquit, dies rectè instituuntur ad recolenda diuina beneficia: & hanc rationem fundamentam esse dicit in Verbo Dei: At non paruum beneficium est consummatio alicuius sancti, præsertim per martyrium: ergò rectè in eius memoriam feriat instituuntur. Syllogismus hic est secunda figura affirmatiuus, & propterea nihil concludit. Argumenti absurditas perspicua fiet, si reducat ad primam figuram.

Omnia dona Dei sunt festis diebus recolenda.

Sed consummatio Sanctorum felix est donum Dei. Ergo.

Negatur hic maior, quæ vniuersaliter falsa est, nec aliquo testimonio Scripturæ probari potest.

SECUNDO probat Bellarminus suam sententiam Memorij Martyrum primitiue Ecclesie, quarum originem & rationem omnem paulò altiùs repetam, quum ad præsentem de Festis tractationem propriè pertineant, non autem alio loco commodior de ijs agendi occasio futura sit.

DE MEMORIIS MARTYRVVM.

Martyrum cura habita in primitiua Ecclesia dum adhuc vixerent.

Veteres Christiani, vt testatur Tertullianus in libro ad Martyres, non solum externam curam corporibus martyrum impendebant, dum consolarentur ipsos, & cibos eis in carcerem



cerem mitterent, aut si non admitterentur à custodibus ad colloquium, vel alioquin venire non liceret, mittebant libellos consolatorios: sed etiam spiritum eorum & sanctum animi propozum precibus adiuuabant, quum publicè in sacrificijs, tum priuatim in secessu Deum comprecantes. Sic etiam D. Cyprianus ad Confessores & Martyres captiuos scribens, Et nos quidem, inquit, vestri diebus & noctibus memores, & quando in sacrificijs preces cum pluribus facimus, & cum in secessu priuatis precibus oramus, coronis & laudibus vestris plenam Domini fauentiam postulamus. Et epistola 6. lib. 3. monet presbyteros & diaconos Romæ constitutos, vt his qui propter Christum in carcere sunt, omnia humanitatis officia præstent, ne quid eis quo ad curam desit. Atq; vtinam, inquit, loci & gradus mei conditio permetteret vt ipse nunc præsens esse possem, promptus & libens solenni ministerio cuncta circa fortissimos fratres nostros dilectionis obsequia complem. Sed officium meum vestra diligentia præstet, & faciat omnia quæ fieri oportet circa eos, quos in talibus meritis fidei ac virtutis suæ illustrauit diuina dignatio. Corporibus etiam omnium (qui etsi torti non sunt, in carcere tamen glorioso exitu mortis excedunt) impartatur & vigilantia & cura propensior. Hac Cyprianus.

Verum enim uero vt adhuc in carne constituti Martyres veteribus illis Christianis curauerant, sic nec defunctos negligebant. Diebus enim, quibus martyrium fecerant, passi, & ex hac vita excesserant, Memorias & cõmemorationes eorũ celebrabant, apud sepulchra eorũ conuenientes: nec id semel tantum, sed singulis quibusq; annis factitabant, quum videlicet is dies recurrisset, aut statum commemorandarum passionum tempus aduenisset. Docet nos hoc Cyprianus epistola 6. lib. 3. ita scribens: Denique & dies eorum, quibus excedunt, annotate, vt cõmemorationes eorũ inter memorias martyrum celebrare possimus. Quanquã Tertullus fidelissimus ac deuotissimus frater noster inter cetera sollicitudinẽ & curam suam cum fratribus in omni obsequio operationis impartit, qui nec illic circa curam corporum deest, scripserit ac scribat, ac significet mihi dies quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt & celebrentur hic à nobis oblationes & sacrificia ob cõmemorationes eorum, quæ citò vobiscum, Domino prosperante, celebrabimus. Rursum epist. 5. lib. 4. hoc idem attestatur: Sacrificia, inquit, pro eis semper, vt meministis, offerimus, quoties martyrum passiones & dies anniuersaria cõmemoratione celebramus. Sic Smyrnensis Ecclesia in Epistola ad Philomelienses, cuius fragmentum extat apud Eusebium lib. 4. cap. 14. scribit, se diem martyrii Polycarpi, cum gaudio & exultatione, coacto cœtu Ecclesiastico, celebraturum.

Vbi obseruandum, quòd Christiani primitiue Ecclesia, non Martyrum natiuitatis, vt Eibnici, sed mortis vel passionis eorum potius dies celebrandos instituerunt. Quod apertissimè quoq; testatur Ambrosius in Orat. de fide resurrectionis: Nos quoq; ipsi, ait, natales dies defunctorum obliuiscimur, & eum quò obierint diem celebri solennitate renouamus. Et tamen dies illos quibus Martyres pro Christo fortissimè oppetierunt mortem, γενέθλια, hoc est, Natalia, seu Natalitia ipsorum vocauerunt, vt testatur Tertullianus in libro de Corona militis: Origenes lib. 3. in Iobum & Smyrnensium epistola apud Eusebium. Factum hoc idè à priscis illis, quòd firmiter crederent, martyres, sicut etiam alios piè morientes miseram hanc vitam, quæ vallis lachrymarum dicitur, longè cum meliore commutasse, & ad æternam ac immortalem transisse, ac verè iam regeneratos esse, secundum illud Christi Ioan. 11. de Lazaro, Non est mortuus, sed viuit. Item, Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit viuet: Et rursus: Qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, sed transibit à morte in vitam. Vnde etiam Origenes lib. 3. in Iobum, non diem mortis, sed natiuitatis potius exectandum existimat. In hanc sententiam quoq; in Sermone qui Eusebio Emisseno Episcopo adscribitur de S. Genesio ita legitur: Beatorum Martyrum passiones, Natales vocamus dies, quando eos martyrii

Martyres defuncti à fidelibus non negligendi.

Martyrum passionis dies celebrati, non natiuitatis.



DE ORIGINE FESTORVM

vita, & gloria fides, dum ingerit morti, genuit æternitati, & perpetua gaudia breviter colorati parturiunt. Merito planè dicendi Natales dies, per quos illi, qui nati fuerant in hanc frugalitatis humanæ miseriam subito renascuntur in gloriam, vitæ perennis initium de mortis fine sumentes. In hanc sententiam etiam Nicolaus Papa in epistola ad consulta Bulgarorum cap. 5. in fine sic scribit: Natus dicitur, qui ex hac vita migravit. Quomodo enim visitato more dicitur nasci, quando quis ex utero matris non procedens in hanc lucem exit; sic quoque tunc natus existimari potest, qui liber ab huius seculi tenebris, ad lucem pertingit viventium: pro qua ergo re aptè, consuetudinem tenet Ecclesia, ut solennes beatorum Martyrum vel Confessorum Christi dies, quibus ex hoc mundo ad regionem migraverunt vivorum, nuncupentur NATALES: sed & eorum solennia, non funebris, tanquam morientium, sed (ut pote in vera vita nascentium) NATALITIA vocitentur. Et Polydorus Vergilius lib. 6. cap. 8. Festum, ait, alicuius divi vocatur dies, & est ei sacer, quod ille è vita migravit ad cælum. Nam quemadmodum quis nasci dicitur, quum de utero matris in hanc prodit lucem, ita pari ratione potest merito existimari natus, cum eius anima vinculis carnis soluta ad lucem redit æternam. Vnde mos inolevit, ut dies huiusmodi divorum vitæ extremos Natales, & sacra illis solennia non Funebris, sed Natalitia appellaremus. Hac Polydorus.

Quando & à quibus Memoriae martyrum instituta.

Smyrnenfes primi Memoriarum martyrum mentionem faciunt.

De huiusmodi autem Memorijis Martyrum nihil in sacris literis, & ne in Apostolorum quidem scriptis quidquam extat. Libro quidem 8. Constitutionum Apostolicarum, quæ Clementi Romano, qui Apostolorum tempore vixit, adscribuntur, dierum Apostolorum & Martyrum mentionem facit caput 39. Verùm libri illi à Gelasio Papa damnati & inter apocrypha numerati sunt, ut est videre dist. 15. Sancta Romana. Smyrnenfes primi omnium, quod quidè sciam, mentionem harum Memoriarum faciunt. Vnde etiam verosimile videtur, Polycarpum primum fuisse martyrem, cuius memoria die anniversaria, ex magno zelo, & bonâ animi intentione, à Smyrnenfibus, quorum pastor erat, celebrata fuerit. In maxima siquidem autoritate non solum apud gregem suum, sed etiam apud vicinas & exteras Ecclesias fuit, & quod sanctissima esset vita, & quod Apostolos, eosque, qui Christum viderant & audierant habuisset magistros. Vnde in Catalogo Hieronymus scribit, Polycarpum Asiæ totius principem fuisse. Huic verò authoritati & existimationi eius post mortem plurimum accessit, non solum propter vocem de cælo sibi factam, ad locum supplicij tendenti, quàm multi ex astantibus audierant, sed etiam propter ingens miraculum in eius martyrio editum: quæ omnia in epistola Smyrnenfium apud Eusebium diligenter referuntur. Mirum igitur non est, quod tanti, & Deo sibi que tam chari viri memoriam religiosissime coluerunt Smyrnenfes. Accepit autem martyrij coronam Polycarpus circa annum Christi 170. iuxta Eusebium in Chronico. Vnde non obscure etiam conijcitur, circa hæc demùm tempora prima fundamenta festivitatum in Memorijis sanctorum iacta esse. Post Smyrnenfium epistolam Tertullianus meminit harum solennitatum in libro de Corona militis, & dicit, Annuas oblationes fieri solere pro natalitijs. Simul tamen fatetur eas, sicut etiam alia quædam, sine lege scripturæ, solius traditionis titulo receptas fuisse. Meminit quoque earem Cyprianus & Origenes, ut in superioribus videre licet.

Memoriae martyrum annue vnde.

Progressus Memoriarum martyrum sub Constantino M.

Vnde verò consuetudo hæc de anniversaria Martyrum memoria, quæ nullum expressum in specie, vel testimonium vel exemplum habet, originem traxerit, Cyrillus lib. 6. non obscure indicat, ubi dicit, hoc ad Græcorum vetustissimorum imitationem fieri apud quos ij qui in Marathone ceciderant anniversarijs laudibus coronati fuerint.

Ceterum ex tam paruo initio res eò deuenit, ut huiusmodi Memoriae in omnibus penè Ecclesijs Constantini M. tempore solennes fuerint. Ac licet causa harum Memoriarum per Constantinum sublata esset, scilicet, ut in ijs, quemadmodum mox dicitur, ad imitationem fidei, charitatis & constantiæ Martyrum, reliqui inuitarentur in tam sæuis persecutionibus, res ipsa tamen mansit, & indies altiores radices egit. Refert enim Durandus libro 7. cap. 1. Rationalis, Constantinum



Constantinum Imp. partes transmarinas petentem, inuenisse Eusebium Casariensem Episcopum virum sanctissimum, cui dixerit: Pete à me vnde Ecclesia tua ditetur: Eusebium autem respondisse, Ecclesia mea satis abundat in diuitijs, sed rogo te, vt mittas per partes mundi & nomina sanctorum, & tempora passionum, & sub quibus, & qualiter, & in quibus locis passi sint rescribas. Et refert Eusebius, quòd quolibet anni die, plus quàm 5000. sanctorum festa concurrant, exceptà die Calend. Ianuar. quàm intendebant gentiles epulis & solennitatibus, non martyrijs sanctorum. Imò ex Nazianzeni Oratione in Machabæos videre licet, etiam Machabæorum, veteris Testamenti martyrum, certo tempore memoriam celebratam fuisse. Sic enim ibi inquit: Machabæorum præsens est festiuitas, qui licet minus honorentur à plerisque, quòd non Christi gratiã certarunt, omnibus tamen veneratione digni sunt, quòd ob leges paternas fortiter egerint. Quin vsu tandem venit, vt non solum Martyrum, sed etiam reliquorum Sanctorum, imò quorumcunq; honorum & laudatorum virorum, aut opinione saltem talium Memorias annuas iam cum Constantini M. tempore celebrare inciperent: quòd de Palæstinis testatur Sozomenus lib. 3. cap. 14. & Nicephorus lib. 9. cap. 15. vbi dicit, quòd iuxta hanc consuetudinem suam Palæstini memorias Hilarionis, Abrili, Alexionis, Alaphijq; monachorum publicè celebrarint: id quòd sequentibus seculis magis magisque, in consuetudinem abiit.

Ex Hieronymo autem ad Galatas cap. 4. colligitur, non omnia festa tot Martyrum, vbiq; in omnibus & singulis Ecclesijs celebrata fuisse, sed pro varietate regionum in illis tantum Ecclesijs, vbi & martyria perpeffi & sepulti erant: sicut etiam ex Panegyricis veterum constat. Et in Concilio Africano, de Consec. dist. 1. placet, sancitur, vt nulla memoria martyrum probabiliter, siue solenniter accipiatur, nisi aut vbi corpus martyris, aut reliquie sint, ut origo habitationis vel possessionis illius.

PORRO ecclesiasticos hos conuentus ad sepulchra Martyrum celebrarunt primitiæ ecclesie homines, tractatione verbi Dei, administratione Eucharistiæ, elemosinis & precibus. Vnde & Erasmus in Concionatore suo, Olim, inquit, certis diebus populus conueniebat ad nihil aliud quàm ad *δοξολογίαν*, sic enim appellant & Græci gratiarum actionem: Illic propheta aut episcopus magnificis verbis attollebat in omnes creaturas diuinam bonitatem: populus psallebat hymnis & canticis spiritualibus Domino. Prædicabatur item laus piorum, martyrum maximè, qui morte sua Deum glorificauerunt, &c. Missas autem in his Memorijs celebratas esse ex institutione Felicis .i. Papæ, vt decretalis eius epistola 2. Antoninus tit. 7. cap. 8. § 16. Polydorus lib. 6. cap. 8. alijq; asserunt, falsum est, quum eius tempore Missæ nomen, nedum res ipsa, prorsus incognita fuerit. Pauli verò epistolas lectas, quando ad martyrum Memorias agendas conuenissent, Chrysostomus indicat in argumento epistolæ ad Romanos.

Illud quoq; ex Origenis lib. 3. in Ioëlem constat, Christianos ad defunctorum Memorias cibos, aliãq; donaria ad pauperum & Clericorum vsum contulisse. Testatur id etiam Augustinus lib. 8. de Ciuitate Dei cap. ultimo, inquit: Quicumq; epulas suas ad Memorias martyrum deferunt, quum apposuerint, orant, & auerunt vt vescantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur. Et lib. 6. Confessionum cap. 2. indicat, matrem suam ad Memorias sanctorum attulisse Mediolani pulces, & panem, & merum. Meminit huius ritus etiam Ephrem. lib. de Pœnitentia cap. 2. Cum sanctorum, inquit, memorias celebramus, memores simus omnium debiliũ, viduarum, pupillorum, peregrinorum & pauperum.

Has autem Collationes seu distributiones elemosynarum in pauperes Tertullianus in libro de Monogamia, & de Corona militis, Augustinus epist. 64. & Chrysostomus in Orat. de Martyribus Oblationes vocant: quòd etiam constat ex Synodi. Carthagin. canonibus 93. & 95. dist. 90. Oblationes. & 13. q. 2. Qui oblationes.

Hæc verò consuetudo afferendi cibos & donaria ad Memorias martyrum mox exequiis conuiujs in Natalijs Sanctorum originem & occasionem dedit. Theodoretus enim lib. 8.

Memorie omnium martyrum non in omnibus ecclesijs celebrata.

Forma Memoriarum Martyrum.

Ad memorias martyrum donaria allata.

Mos commessandi in Dierum Natalijs Vnde.



DE ORIGINE FESTORVM

de Martyribus refert, suo tempore Sanctorum martyrum solennitates populari epulo per-  
actas fuisse. Auctor etiam est Pontius Paulinus, populum, qui ad Natalem Sancti Felicis  
Nolam confluebat, epulari solitum in aede sacra. Quam ob causam ipse parietes templi picturis  
ex veteri Testamento desumptis, ornandos curauit, ut accumbentes in communi mensa specan-  
dis illis occupati, temperantius conuiuium exigerent. Unde mos comessandi in Diuorum Na-  
talibus antiquus esse intelligitur.

Factum hoc autem ab ipsis, Theodoro quoque, teste lib. 8. de Martyribus, & Concilio A-  
fricano cap. 27. ad Ethnicorum, Romanorum imprimis imitationem, qui cum suos, tum aliorum  
& uiuorum & mortuorum dies natales, geniales uel multis cum ceremonijs, sacrificijs atque con-  
uiujs celebrare consueuerunt, ut ex poetis & historijs eorum probari potest. Et Romani con-  
giaria, viscerationes & sportulas in funeribus populo largiti sunt, eodem prorsus modo, quo eti-  
am Christiani postea. Quae causa fuit, quod ij qui in pietate Christiana melius instituti fuerunt,  
hunc ritum non obseruauerunt. Sic enim Augustinus lib. 8. cap. 27. de Ciuitate Dei scribit: Quo-  
cumque epulas suas eò deferunt, quod quidem à Christianis melloribus non fit, &  
in plerisque terrarum nulla est talis consuetudo: tamen quicumque id faciunt, quas  
cum apposuerint orant, & auferunt, ut vescantur, vel ex eis etiam indigentibus  
largiantur, sanctificari ibi eas volunt per merita martyrum. Et lib. 6. Confess. cap. 2.  
refert, Ambrosium Mediolani hæc à Christianis, ijs quoque qui sobriè facerent, fieri  
vetuisse, ne vlla occasio daretur ebriosis sese ingurgitandi, & quia illa quasi pa-  
rentalia superstitioni gentilitum essent simillima. Cumque mater Augustini Mediolani  
pultes, & panem, & merum ad Memorias Sanctorum afferre vellet, iuxta Afrorum ritum &  
consuetudinem, prohibita fuit ab Ostiario, ut eodem loco sanctus Pater testatur. Refert etiam  
B. Rhenanus in Annotat. suis ad librum Tertulliani de Corona militis, hunc ritum Concilium  
Nicenum quoque & sequentia aperte damnasse, quod primorum Conciliorum Canones ostendant,  
quos in pluribus adhuc bibliothecis extare dicit, digni profecto qui in lucem emittantur. Eos ta-  
men qui hos aliosque ritus Ethnicos tollerauerunt, B. Rhenanus eodem loco sic excusat, ut dicat,  
opus fuisse olim multa Christianis indulgere, qui plerumque iam senes de paganis-  
mo ad religionem Christianam conuertebantur.

Finis Memo-  
riarum marty-  
rum.

In quem finem autem Memoriae martyrum hac formâ, hocque modo celebratae sint illustri  
narratione explicatur in Smyrnenis epistola, quae apud Eusebium li. 4. cap. 15. extat. Indicat  
enim illa epistola, Iudaeos simul & gentes instituisse apud Praefectum, ne Polycarpi corpus Chri-  
stianis traderetur, quod cupidissime petierant, Ne relicto crucifixo, Polycarpum eius lo-  
co inciperent colere. Respondet huic calumniae Smyrnenis ecclesia: Ignorant, ait, misere-  
rimi, quod nec Christum aliquando possumus derelinquere, qui mortem pro to-  
tius mundi salute sustinuit, nec alium quenquam colere. Quo igitur animi proposito,  
quaque intentione huiusmodi Memorias celebrauerunt? Quoniam aiunt, verum Deum, &  
qui solus colendus sit nouimus: martyres vero tanquam discipulos Domini dili-  
gimus & veneramus, quasi integrè fidem magistro seruantes & Domino, quorum  
nos quoque in fide & perseverantia charitatis optamus esse participes. Et paulò post:  
Nos, inquit, ambusta ossa pretiosissimis gemmis chariora, & omni auro proba-  
bilia per ignem facta collegimus, ac sicuti conueniebat ex more condidimus.  
Quo in loco etiam nunc, praestante Domino, solennes agimus celebresque conuen-  
tus, maxime quidem in die passionis eius, sed & cum eorum memorias, qui prius  
passi fuerant, celebramus, ut sequentium animi ad praecessorum viam exemplis  
insignibus suscitentur. His verbis sancta haec Ecclesia Asiae, cultum Martyrum discretis  
verbis negat: honores vero eorum, qui in his memorijs eis sunt exhibiti, eo pacto describit, non  
quo Pontificij suos Sanctos colunt, sed ut sacra litera praecipunt. Christum, aiunt, aliquan-  
do non possumus deserere: quod perinde est, ac si dixissent, Christum nunquam possumus  
deserere. Ratio: Quippe qui mortem pro totius mundi salute sustinuit. Sanguine ergo  
suo nos redemit, suumque peculium fecit. Rursus: Non possumus, aiunt, alium quenquam  
colere

Sanctorum ve-  
rus cultus.



colere. *Additur denuò causa: Quoniam verum Deum, & qui solus colendus sit nouimus. Verus, aiunt, Deus, & solus quidem colendus est. Dicat aliquis: Quo ergo loco Martyres habebuntur? Respondent, Martyres vt Domini discipulos veneramus ac diligimus, veluti eos qui magistro ac Domino fidem seruauerunt, optamusq; in fide & constantia illorum fieri consortes. Ergò in quem finem collegerunt Martyris ossa? Non in alium, quàm vt ex more conderent, id est, sepelirent. Quia apud omnes gentes pietatis officium & vltimus videbatur honor, corpora iuste sepelire. Cur autem Memorias eorum celebrarunt, & in loco sepultura eorum conuenerunt? Non equidem ad cultum illorum, sed, quemadmodum ipsi sese interpretantur, vt sequentium animi ad præcessorum viam exemplis insignibus suscitentur.*

*Huius finis Memoriarum martyrum meminit etiam Origenes lib. 3. in Iobum: Propterea, inquit, & Memorias Sanctorum facimus, & parentum nostrorum vel amicorum in fide morientium, deuotè memoriã agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quàm etiam nobis piã consummationem in fide postulantes. Et rursus: Celebramus memoriã defunctorum, religiosos cum sacerdotibus conuocantes, fideles vnã cum clero inuitantes, adhuc egenos & pauperes, pupillos & viudas saturantes, vt fiat festiuitas nostra in memoriã requiei defunctis animabus, quarum memoriã celebramus. Quæ verba manifestè indicant, primitiuam ecclesiam Memorias in die mortis suorum celebrasse orationibus, elemosynis & synaxi, non quòd putarent, eos cruciari in purgatorio, vnde his exequijs redimendi sint, sed fuisse potius gratulationes, quòd defunctorum animæ, ab omnibus doloribus liberatæ, ad æternam requiem & beatitudinem peruenissent: facta item vota ibidem ad Deum, vt ecclesia in his terris militans socias fieret martyrum, cum in virtutibus eorum in hac vita, & pia consumatione in fide, tum in premijs in æterna vita.*

*In hunc finem celebratæ sunt Memoriae illæ Basilij & Augustini adhuc ætate. Ille enim in Asceticis cap. 40. Non decet, inquit, Christianos aliam ob causam in martyrum Memorijs, aut locis vicinis comparere, quàm vt precentur, & per recordationem sanctorum, quàm illi scilicet pro pietate ad mortem vsq; constantes fuerint ad huiusmodi zeli imitationem incitentur. Et Homil. 19. Noltri, inquit, profectus tantum causa, sat fuerit illorum (martyrum vel sanctorum) celebrare memoriã. Non enim nostris indigent laudibus ornari, sed nos ipsorum vitæ historiã & commemoratione, imitationis gratiã, indigemus. Quemadmodum enim ex igne natural ter emicat splendor, ex vnguento quoq; præstanti diffunditur odor: sic è sanctorum commemoratione gestorum, ad omnes prouenit vtilitas, &c. Augustinus autem contra Faustum Manichæum sic scribit: Populus Christianus Memorias martyrum religiosã solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur atq; orationibus adiuuetur: ita tamen vt nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quàmuis in memorias martyrum, constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assisens altari, aliquandò dixit, Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? sed quod offertur, offertur Deo qui martyres coronauit, apud Memorias eorum quos coronauit, vt ex locorum ipsorum admonitione maior affectus exurgat ad acuendam charitatẽ, & in illos quos imitari possumus, & in illum quo adiuuante possumus. Colimus ergò Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro euangelica veritate passionem paratum esse sentimus. Sed illos tantò deuotiùs, quantò securiùs post incerta omnia superata, quantò etiam fidentiore laude prædicamus iam in vita feliciore victores, quàm in ista adhuc vsque pugnantes. At illo cultu, qui Græcè λατρεία dicitur, Latine dici vno verbo non potest, quum sit quædam proprie diuinitati debita seruitus, nec colimus, nec colendũ docemus nisi vnum Deum. Quũ autem ad*



hunc cultum pertineat oblatio sacrificij, vnde idololatria dicitur eorum qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam angelo: & quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam, siue vt corrigatur, siue vt caueatur. Ipsi enim Sancti vel homines vel angeli exhiberi sibi nolunt, quod vni Deo deberi norunt. *Hic primò obseruandum est, quòd dicit, populum Christianum Memorias celebrare martyrum ad excitandam imitationem, & vt eorum meritis, id est, æternæ vitæ post victorias consociemur. Deinde, quàmuis addat, Et vt orationibus adiuuemur: mox tamen subiungit, Non ponimus Martyribus altaria, nec offerimus illis sacrificia. In lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 10. id ipsum significantius exponens dicit. Gentes Dijs suis & templa ædificauerunt, & statuerunt aras, & sacerdotes instituerunt aras, & sacrificia fecerunt. Nos autem Martyribus nostris non templa, sicut Dijs, sed Memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus. Nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed vni Deo & martyrum & nostro sacrificium immolamus: ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, NON TAMEN A SACERDOTE, QUI SACRIFICAT, INVO-CANTVR. Quia Dei sacerdos est, non illorum. Ipsum verò sacrificium est corpus Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi. Et lib. 8. cap. 27. de Ciuit. Dei, Celebramus, inquit, Memorias martyrum, vt eâ celebritate, & Deo vero de illorum victorijs gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum eodem inuocato in auxilium ex eorum memoriâ renouatione adhortemur. Quæcunq; igitur adhibentur religiosorum obsequia in martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum tanquam Deorum. Quicunq; etiam epulas suas eò deferunt, quod quidem à Christianis melioribus non fit, & in plerisq; terrarum nulla talis est consuetudo: tamen quicunq; id faciunt, quas quum apposuerint, orant, & auferunt, vt vescantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari ibi eas volunt per merita martyrum, in nomine Domini martyrum. Non autem ista esse sacrificia martyrum nouit, qui nouit vnum, quòd Deo illis offertur sacrificiũ. Sicetiam Cyrillus lib. 6. contra Iulianũ: Martyres, inquit, neq; Deos esse dicimus, neq; adorare cõsueuimus. Laudamus autem eos potius summis honoribus, quòd pro veritate strenuè certarunt, & fidei sinceritatem seruârunt, ita vt & suam animã contempserint, & mortis terroribus valedicentes præualuerint in summis periculis, tantæq; fuerint fortitudinis, quasi statuas suæ vitæ sibi excitaturi. Proinde non est indignum, imò etiam necessarium eos, qui tam claris operibus gloriosi sunt, perpetuis honorari laudibus.*

Fabianus cur  
7. Diaconis re-  
giones vrbs  
Romæ diuisi-  
rit.

Collectæ in  
Memorijs mar-  
tyrum usurpa-  
tæ.

Apud Memo-  
rias martyrum  
abusus illi non  
fuerunt olim  
qui hodiè ad se-  
pulchra sancto-  
rum

*In hunc finem, propter quem Memorias martyrum celebratas ab initio diximus, Fabianus Episcopus Rom. septem diaconis regiones vrbs Romæ diuisit, qui à notarijs res gestas martyrum colligerent, ad cæterorum nimirum exemplum, qui Christi fidem profitebantur.*

*Huc pertinent etiam illæ Collectæ, quæ in huiusmodi Memorijs Sanctorum apud veteres usurpata fuerunt. Quales hæ sunt: Concede, vt quorum gaudemus virtutibus, accendamus exemplis. Vt quorum natalitia colimus, etiam actiones imitemur, & de eorum in æterna beatitudine societate gaudeamus. Item: Vt fidem eorum linguâ loquamur, & moribus fateamur, vtq; tantæ fidei proficiamus exemplo. Tribue nobis, ex eorum imitatione, pro amore tuo prospera mundi despiciere, & nullæ eius aduersa formidare. Præsta, vt quorũ diem passionis annuâ deuotione recolimus, etiam fidei constantiam persequamur.*

*Aberat igitur procul ab his festiuitatibus, Adoratio martyrum & cultus sanctorum. Aberrat & quæstus, qui hodiè apud sepulchra martyrum longè est vberimus. Nulla ibi dabatur absolutio peccatorum, quæ hodiè illic ventalis prostat. Nullum ibi sacrificium propitiatorium,*

aut



aut expiatio & redemptio animarum defunctorum. Deniq; eiusdem loci homines tantum, & vicini conueniebant, non erant illa peregrinationes ex longinquis & remotis regionibus, aut si essent, non habebant opinionem meriti, sed vt admonerentur defunctorum preclaras virtutes imitari, vtq; discerent, quemadmodum Basilius & alij testantur, de suis peregrinationibus.

Queritur autem hoc loco, quid sibi velint phrascs & locutiones illa, Offerre pro defunctis, & Sacrificium pro dormitione eorum celebrare. Ijs primi omnium, adeoq; nouo & peculiari modo loquendi, vsi sunt Cyprianus & Tertullianus: quorum ille lib. 1. epist. 9. inter alia sic scribit: Antecessores nostri salubriter censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Et lib. 4. epistola 5. Sacrificia, inquit, pro eis semper offerimus, quoties martyrum passiones & dies anniuersaria commemoratione celebramus. Similiter Tertullianus in libro de Corona militis, Oblationes, ait, pro defunctis natalitijs annua die facimus. Pontificij hac de sacrificio propitiatorio, & de suffragijs pro expiandis & redimendis animabus defunctorum interpretantur. Sed ipse Cyprianus in eadem epistola interpretatur se, quod per Oblationes pro dormitione alicuius, intelligat sportularum contributiones. Sacrificium vero pro dormitione celebrare, interpretatur ibidem, nomen alicuius in prece sacerdotum, quae in administratione Eucharistiae fiebat, nominare. Et pro aliquo sacrificare, ibidem interpretatur, Deprecationem aliquam nomine eius in ecclesia frequentare, quod lib. 3. epist. 14. vocat nomen alicuius offerre. Verba eius haec sunt. Haec nunc ratio & forma in clero tenetur, vt qui in ecclesia Domini ad ordinationem clericalem promouentur, nullo modo ab administratione diuina auocentur, ne molestijs & negotijs secularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & sacrificijs non recedant, ac die & nocte caelestibus rebus ac spiritualibus seruiant. Quod Episcopi antecessores nostri religiosè considerantes, & salubriter prouidentes, censuerunt ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neq; enim ad altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros suos Leuitas auocare voluit. Et ideo Victor quum contra formam nuper in consilio à sacerdotibus datam, Geminium Faustinum presbyterum ausus sit actorem constituere, non est quo pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in ecclesia frequentetur. Et falsissimum est quod Bellarminus Iesuita suarum disputationum tomo 2. columna 1087. dicit, Cyprianum in hac epistola scribere, Sacrificium celebrari pro defunctis in altari: sed ita scribit: Neque ad altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece Cyprianum autem prorsus in illa sententia non fuisse, quod illa quae appellabat sacrificia pro defunctis sint propitiations aut satisfactiones pro peccatis ipsorum, etiam ex eius epistola 6. lib. 3. apparet, vbi oblationes & sacrificia pro martyribus celebrari dicit, quando commemorationes certaminum, & memoria gloriosae mortis ipsorum celebratur. Ita libro 4. epistola 5. de martyribus ex Cereolini familia loquens, quos certè non in cruciatibus purgatorij ignis, sed in gloria caelesti esse sentit, dicit: Sacrificia pro eis semper, vt meministis, offerimus, quoties martyrum passiones & dies anniuersaria commemoratione celebramus. Vnde etiam ad haec verba Cypriani Beatus Rhenanus in Tertulliani libro Ad martyres haec annotat. Quod dicit, inquit, Sacrificia pro martyribus offerri, sic accipiendum ni fallor, vt Pro eis, idem valeat, quod commemoratione eorum: veluti passione siue commemoratione passionis occasionem oblationibus & sacrificijs dante. Et mox, Gratulatoria ergo preces erant potius, quibus cum Deo gratias agebant, qui martyribus eam gratiam, & tantum dignationis contulisset, tum simile donum caelitus sibi dari concordibus votis flagitabant: ceu adhuc canit ecclesia, Gau-

Explicantur  
phrases, offerre  
pro defunctis  
Sacrificium  
pro dormitio-  
ne eorum offer-  
re.

Cypriani locus  
explicatur.



deamus in Domino, &c. Id confirmat quoque Augustinus Tractatu 84. in Euangelium Ioannis, de martyribus & altari disputans, his verbis: Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios, &c. *Haecenus Rhennus.* Atque ideo Cyprianus lib. 1. epist. 9. non vult pro eius dormitione offerri, & nomen eius ad altare nominari, qui presbyterum actorem seu tutorem nominauerat, non quod sentiret, ipsum ideo in aeternum damnatum esse, sed ne ecclesiastica celebratione post mortem honoraretur. Sic etiam pro viuis dicit Cyprianus offerri seu sacrificari, quando in precibus, quae fiebant in administratione Eucharistiae, gratiae pro ijs agebantur, vel aliquid orabatur: vt li. 3. epist. 1. ad Lucium ab exilio cum suis reuersum, inquit: Hic quoque in sacrificijs atque in orationibus nostris, non cessamus Deo gratias agere, & orare pariter ac petere, vt qui perfectus est & perficiens custodiat & perficiat in vobis confessionis vestrae coronam. Ita etiam pro lapsis, qui iam reconciliati erant offerebatur, qui post confessionem criminis, & factam penitentiam, exomologesinque finitam, post manus impositionem Episcopi & Cleri, hoc consequabantur, vt facta pro eis oblatione & precationibus, Eucharistiam acciperent, vt patet ex Cypriani epist. 15. & 16. lib. 3.

Consuetudo legendi nomina defunctorum in ecclesia.

Leichpredig

Offerre nomen alicuius quid?

*Hec quae haecenus diximus, confirmat etiam consuetudo illa veteris ecclesiae, quae post symbolum decantatum, & mutuam pacis consalutationem, in sacrificio seu Eucharistiae administratione nomina pie defunctorum conscripta in scheda, quam in altari ponebant, recitabantur, non sine laude & praconio virtutum, quae in viuentibus eluxerant: quae res fortasse postea concionibus seu praconijs illis, quae in honorem & laudem defunctorum habentur, originem & occasionem dedit. Similiter & lapsorum post factam penitentiam, nomina descripta in scheda, & in altari posita, recitabantur commemoranda communibus ecclesiae precibus. Meminit huius ritus Cyprianus lib. 3. epist. 14. alterius vero Dionysius in Ecclesiastica Hierarchia lib. 3. & Augustinus in libro de Virginitate. Id vero ea aetas vocabat etiam Offerre nomen alicuius: vt patet ex Cypriani epistola 14. lib. 3. Factum hoc autem a praescis illis, non quod crederent defunctis illud prodesse, quanquam hinc enata sit posterioribus seculis illa superstitio: multo minus factum hoc ab ipsis, vt homines docerentur ad intercessionem, suffragia, patrocinia & auxilia Sanctorum mortuorum confugere inuocatione sua, sicut sequentibus temporibus, ex hac consuetudine occasione arrepta, fieri consuevit. Sed Dionysius has causas commemorationis nominum Sanctorum recitat: primo, vt viuentes ad imitationem prouocarentur, & ad exemplum beatorum sancte viuere, & pie in Domino mori docerentur. Secundo, vt sancti illi praedicarentur esse non mortui, sed viui, qui ex morte ad vitam vere diuinam translati iam essent. Tertio, vt ostenderetur, eos esse in memoria apud Deum. Quarto, vt indicaretur indiuidua ipsorum coniunctio, & sacratissima vnio cum Christo. Epiphanius quoque, indicat, ideo sic proferri nomina mortuorum ad altare, vt praesentes credant, quod hi qui decessere, viuant, & non sint nulli, sed sint & viuant apud Deum, & quod spes sit orantibus pro fratribus, qui in peregrinatione sunt, &c. Quibus verbis aperte docet, duabus de causis sic nomina illorum recitari: primo, vt viui testarentur mortuos apud Christum viuere. Deinde, vt occasio sit orandi pro fratribus viuentibus, qui eandem experiri debent aeternam mortem, quos dicit adhuc in peregrinatione esse.*

Epulae in Memorijis martyrum sacrificia dictae.

*Adhaec, ille quoque epulae, quae dabantur in his Memorijis, ab Augustino lib. 8. de Ciuit. Dei Cap. 27. & epist. 64. Sacrificia a Tertulliano autem de Monogam. & de Corona militis, itemque a Chrysostomo in Orat. de Martyribus Oblationes appellantur. Quum enim eiusmodi epularum mentionem fecisset, haec verba subiungit: Non autem ista esse sacrificia martyrum nouit, qui nouit vnum, quod Deo illic offertur sacrificium Christianorum: Vt offerre sacrificium seu oblationes pro dormitione alicuius, interpretari etiam possumus, epulas ad martyrum Memorias afferre, easque inter pauperes distribuere in memoriam dormitionis eorum.*

A Memorijis martyrum in veteri ecclesia abfuit idololatria.

*Ex his igitur manifestum fit, Christianos primitiuae ecclesiae cultum reliquiarum, intercessionem & inuocationem Sanctorum mortuorum in huiusmodi Memorijis prorsus ignorasse: sed in primis ibi propositam & recitatam fuisse fidelibus constantiam martyrum, in perferendis pro Christo*

Christo



Christo omnis generis cruciatibus, ut hac ratione auditorum animi ad similem constantiam excitarentur, propositis simul premijs, quae in aeterna vita consequuti essent. Intelligebant enim probe veteres Christiani, apud Ethnicos, & à vera fide alienos multos ad constantiam & fortitudinem excitari, inde, quod viri fortes, & qui strenuè pro patria pugnando, nobili morte occubuerant, anniuersarijs laudibus coronarentur, quum apud sepulchra eorum conueniretur. sicut de ijs constat, qui ad Plataeas cæsi fuerant, & alijs quàm plurimis: ideoq; existimârunt, in ipsa etiam ecclesia Christi pari ratione multos ad martyria fortiter pro Christo perferenda inflammari posse, ut Cyrillus indicat lib. 6. contra Iulianum, ubi de martyrum honoribus agit. Quum igitur viderent multos martyria auersari, & in persecutionibus eorum metu à vera fide deficere, instituerunt martyrum panegyres peculiari solennitate celebrandas, in quibus certamina ipsorum debitis laudibus efferebantur, memoria ipsorum gratâ prædicatione celebrabatur, corona ac palma, quibus à Deo donati essent martyres, gloriose prædicabantur, ut hoc modo superstites, ad futura certamina pro fide subeunda & perferenda, præparentur, excitarentur, & confirmarentur ne metu suppliciorum deficerent, & confessionem abijcerent.

Fuit præterea alia quoq; causa, ob quam Memoriae illæ martyrum instituta sunt à veteribus, nimirum, ut ijs auocarentur homines à festis & ritibus Ethnicis, adeoq; prophanis. Vnde etiam nonnulla festa Christianorum, quoad temporum rationem, admodum cum festis gentilibus congruunt: quoad ritus aliquos ab illis non multum discrepant. Fuit hoc peculiare Romanis, ut Calendis Ianuarijs stipem largirentur, & dulcioria donarent: qui mos iam ab illo vsq; tempore eodem die apud Christianos in vsu est. Habere Aegyptij & Graeci, atq; etiam Romani certa luminaria festa: ea consuetudo videtur in diem Purificationis Mariae translata: quippe in processione eius diei singuli candelas ardentes in manibus tenent, prius tamen in Missa eodem die consecratas & adiuratas. Habuerunt sua Februa, Lupercalia, Bacchanalia, Stultorumq; festa, & Lemuria. Quis non videt, hanc consuetudinem in Christianam quoq; religionem deriuatam, quum nostra Bacchanalia celebrantur? Habere quoq; Ethnici suæ Puhægia, in quibus dolia primùm relinebant, & vina noua gustabant. In horum festorum locum successerunt apud Christianos Martinalia, Othmaria & similia festa. In Ioannis Baptiste festo ignes accenduntur, quemadmodum & in Bacchanalibus: idem quoq; factum in Palilijs Romanis, & die natali Romæ. Voluerunt autem veteres Episcopi initio nascentis ecclesiae, quum ipsi prædicatione verbi Dei non possent homines à superstitionibus gentium auocare, saltem hac ratione eas mitigare, & in suam religionem transferre, suis sanctis eosdem dies & ritus consecrando. Fuit autem hoc clauum clauo trudere, superstitionem non tollere. Sic in locum Deorum gentilium substituti Diui Christianorum, quibus tandem idem honor, qui gentium Dijs, habitus est.

Licet igitur principia huiusmodi solennitatum tollerabilia primò fuerint, admixtis tamen paulatim superstitionibus, tandem in non dissimulandum abusum, & manifestum idololatriæ cultum euaserunt, adeoq; fons & origo plurimorum, & quidem horribilium errorum ac superstitionum fuerunt. Hinc enim inuocatio Diuorum Diuarumq; nata est, & doctrina de eorum intercessione, cultuq; reliquiarum: quæ tamen ab initio longissimè ab his Memorijs aberant, quemadmodum ex Augustino contra Faustum Manichæum, & lib. 8. De Ciuit. Dei cap. 27. ac lib. 22. cap. 10. paulò ante intelleximus: mox verò adoratio & cultus sanctorum in festis solum habuit locum. Videre hoc licet in hymnis, qui per circulum anni in festis Sanctorum cantantur. In die enim S. Stephani sic eum inuocant: Præstans genti persequenti preces pro lapidibus: Ne rependas te petenti Lapidibus pro precibus. Sed indulge piæ menti, plus quàm audet vocibus. Funde preces pro deuoto sibi nunc collegio, &c. In die Ioannis Evangelistæ sic orant: Sancte Ioannes optime Absolve nostra crimina, &c. In festo S. Nicolai sic: O venerande Pontifex pius nec tardus opifex Cunctis qui corde credulo Te quærunt in periculo. Aufer mortis dispendia. Confer vitæ subsidia, ut post carnis exilia Tecum simus in gloria. In die Purificationis Mariae: Te adesse deposcimus Supplicibus nunc vocibus. Iam veni dulcis domina: Nostra tolle incommoda. Dona confer cœlestia: Vitæ beatæ præmia, Instanti præce flagita, In

Finis 2. Memoriarum martyrum.

Similitudo festorum Ethnicorum & Christianorum.

Memoriae martyrum occasionem dederunt idololatriæ & superstitioni.



DE ORIGINE FESTORVM

cui nati patria. *Item: Maria mater gratiæ, Mater misericordiæ: Tu nos ab hoste pro-  
rege. Et hora mortis suscipe. In Annuntiatione B. Mariæ: Ave maris stella Dei mater  
alma, Atq; semper virgo, Felix cœli porta. Sumens illud ave Gabrielis ore, Fun-  
da nos in pace, Mutans nomen Euræ. Solue vincla reis, Profer lumen cæcis; Mala  
nostra pelle, Bona cuncta posce, &c.*

*Hinc etiam originem sumpserunt Peregrinationes ad sepulchra Sanctorum. Hinc tan-  
quam ex fonte, manarunt festi dies plerique, quibus hodiè Christiani feriantur, vt aperte testa-  
tur Beatus Rhenanus in suis ad Tertulliani librum ad Martyres Annotationibus. Hinc e-  
nim originem habens Apostolorum festa, quæ posterioribus seculis instituta sunt: ab initio enim  
vix tribus Apostolis hic fuit honor habitus, eodem B. Rhenano teste in libro Tertullia-  
ni de Corona militis. Inde quoque exorta sunt omnium Martyrum & Confessorum festivi-  
tates penè innumera, quæ in ipsorum Memorij celebrata, & à posteris recentæ, aucta q; & ad  
hæc vsque nostra tempora propagata sunt. Quod ergo Iustinus antiquissimus sanctissimq;  
martyr de Natalitijs Ethnicorum dixit, iure optimo quoque de Memorij vel Celebratione  
Natalitiorum martyrum dici potest: Illi, ait, qui primùm festa sacra q; in honorem  
magnorum hominum instituerunt & peregerunt, posteris obliuionem attu-  
lerunt Catholicæ seu vniuersalis opinionis, nimirùm de vno vero Deo mundi Mo-  
narcha: lib. de Monarchia.*

Abusus Memo-  
riarum marty-  
rum I.

*Quin etiam iam tum in veteri illa ecclesia, quum non ita pridem instituta essent Memoriæ  
tales, duo non dissimulandi errores atque abusus in eas irrepserunt. Primus est, quod passim in  
agris & vicijs aras, veluti Memorias martyrum, extruxerunt. Quam quidem rem necesse fuit  
seriò reprehendere, vt liquet ex Canone 14. Concilij Carthaginensis 5. anno Christi 438. cele-  
brati, vbi iste abusus damnatur, & sancitur, vt altaria, quæ passim per agros aut vias,  
tanquam Memoriæ martyrum constituantur, in quibus nullum corpus, aut reli-  
quiæ martyrum probantur condita, ab Episcopis, qui hisdem locis præsent, euer-  
tantur. Sin autem hoc propter tumultus populares fieri non possit, plebs saltem  
admoneatur, ne illa loca frequentet, aut aliquâ ibi superstitione deuincta tenea-  
tur. Statuitur item, vt omnino nulla Memoria martyrum probabiliter acceptetur,  
nisi aut ibi corpus, aut reliquiæ aliquæ certæ sint, & vbi origo alicuius habitatio-  
nis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine tradatur. De Consecrat. distinct.  
1. placuit. Voluerunt vtiq; Patres huius Concilij idololatriæ de cultu Sanctorum, iam tum in ec-  
clesia radices agenti, resistere.*

2.

*Alter abusus est, quod epulas illas allatas ab initio ad martyrum aliorumq; defunctorum  
sepulchra, & inter egenos seu pauperes, vt elemosyna, distributas, sanctificari arbitrati sunt  
per merita martyrum: mox etiam in exquisitissima, lautissima, luxuriosissimaq; conuiuia dege-  
nerarunt, in quibus sese ingurgitarunt vsque ad vomitum: & proinde doctores eorum temporum  
hunc morem grauiter reprehenderunt. Augustinus de Ciuit. Dei lib. 8. cap. vltimo, Quicum-  
que, ait, epulas suas ad Memorias martyrum deferunt, cum apposuerint orant, &  
aufferunt vt vescantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur: sanctificari ibi  
eas volunt per merita martyrum. Vnde sine dubio & alius error natus videtur, quod  
nimirùm hæc epulæ, vanâ persuasione vulgi sanctorum meritis sanctificatæ, alijs venderen-  
tur, sicut ex Augustini epistola 64. intelligitur. Cyprianus de duplici martyrio, Temulentia,  
ait, adeò communis est Africæ nostræ, vt propemodum non habeant pro crimi-  
ne. Annon videmus ad martyrum Memorias Christianum à Christiano cogi ad  
ebrietatem? An hoc leuius crimen esse ducimus, quàm Baccho hircum immo-  
lare? Ambrosius in libro de Helia & Ieiunio cap. 17. Sicut illi, inquit, qui calices ad  
sepulchra martyrum deferunt, atque illic in vespere bibunt, & aliter se exaudiri  
non posse credunt. O stultitia hominum, qui ebrietatē sacrificium puant, æstimant  
illos ebrietate placare, qui ieiunio passionem sustinere didicerunt. Similiter Augu-  
stinus*



stinus lib. 6. Confessionū, luxum eiusmodi epularū sepulchraliū damnat: & Psal. 64. ac in Ser-  
mone quodā de Cathedra Petri, item epistolā 64. & 119. hunc sublatū & abolitū esse oporat, vel  
ob hanc causā maximē, quōd ista in cœmeterijs luxuriosa conuiuia, non solūm hono-  
res martyrum à carnali & imperita plebe credi soleant, sed etiā solatia mortuo-  
rum. Et de moribus ecclesie Catholice cap. 34. Nolite, inquit, consecrari turbas imperte-  
torum, qui in ipsa vera religione superstitiosi sūnt. Noui multos esse sepulchro-  
rum & picturarum adoratores, noui multos qui cūm luxuriosissimē super mor-  
tuos bibant, & epulas caducribus exhibentes super sepultos seipfos sepeliunt. De  
abolenda quoque epulandi consuetudine in cœmeterijs, consilia cum Aurelio Episcopo contulit  
epistolā 64.

Quōd igitur à Iesuitis Memoriae martyrum, de quibus hucusq; diximus, obijciuntur, pro sta-  
biliendis & confirmandis Sanctorum festis in Christi ecclesia, Respondeo, eas quidem pio zelo  
antiquitus institutas fuisse, & consilio optimo: sed non statim omnia quæ pio animo & bono ze-  
lo instituuntur, simpliciter & absq; omni inquisitione recipienda sūnt, quandoquidem fructus ple-  
runque ostendunt, non admodum commodē primam institutionem factam. Sic Gedeon Ephod  
consecrauit bono animo, & ad signum victoriae sibi & Israelitis à Deo concessæ, sed fuit occasio  
idololatriæ horrendæ, ob quam illud auferre debuit: id quia non fecit, pertinuit ad ruinam & in-  
teritum totius familie suæ. Cūm igitur intelligamus quot & quantis erroribus Memoriae mar-  
tyrum, & Sanctorum festa occasionem à prima institutione ad hodiernum vsq; diem dederint,  
præstat illa prorsus esse abolita & sublata, & eam simplicitatem retinere quam Deus in verbo  
suo præscripsit nobis, in quo Memoriae istæ nullum habent mandatum. Non enim videndum  
est, inquit Cyprianus, quid aliqui ante nos fecerint: sed quid ille, qui ante omnes est,  
in suo verbo nobis faciendum præscripserit & præmonstrauerit. Neq; enim ho-  
minum consuetudo, sed Dei veritas sequenda. Nec hominum vel priuatae vel publicæ  
deuotiones, sed sola sacra scriptura Canon, regula & norma esse debet dogmatum & cultuum in  
ecclesia. Quicquid igitur in Patrum scriptis, & in antiquis consuetudinibus cum hoc canone  
congruit, recipimus: quicquid verò ab hac regula dissentit, saluā reuerentiā, quæ talibus viris &  
veteritati debetur, respicimus.

Adhæc Memoriae martyrum vigere et seruari possunt absq; ferijs, per assiduam considera-  
tionem fidei, & imitationem constantiæ quā nobis præiuerunt. Docet hoc manifestè Apostolus  
Hebr. 13. c. Memores estote Ducum vestrorum, qui locuti sūnt vobis sermonē Dei,  
quarum imitami fidem, considerantes qui fuerit exitus conuersationis ipsorum.

Deniq; nec illud etiā Iesuitarum argumentum valet, Exempla fidei & constantiæ  
martyrum excitant ad imitationem: Ergo feriæ illorum tenendæ sūnt; Est enim fal-  
lacia non causæ. Nam feriæ per se non excitant ad imitationem, sed meditatio, consideratio &  
studium fidei & virtutum similium, sicut docetur Hebr. 13. Excitant potius feriæ illæ homines  
ad idololatriam, ocium, crapulam & similia vitia: nam, vt inquit ille, Diuturna quies vitij  
alimenta ministrat.

## CAPVT III.

Historia primitiæ & recentioris ecclesie de Festis,  
eorumq; accumulatione & incremento.

**F**ESTORVM dierum in primitiua ecclesia mira fuit paucitas. Etsi enim veteres  
Christiani ad auditum verbi Dei, ad preces & celebrationem Sacramentorum quoti-  
diè ferè conuenerint, constat tamen ex probatissimis authoribus, ipsos seculo primo  
ecclesie & regni Christi, quo Apostoli adhuc pleriq; vixerunt, quodq; ab Ascensione Domini in  
caelos ad imperium Troiani, hoc est, ad centesimum vsq; annum à nato in carne Christo exten-  
ditur, dies festos & solennes plures quàm tres non habuisse, nempe diem Dominicam, Pa-  
scha & Pentecosten: aliorum nec sacra literæ, nec probatæ historiae meminerunt. Fatetur

Responsio ad  
argumentum  
Iesuiticum sup-  
rà de Memō-  
rijs martyrum  
allatum.

Memoriae mar-  
tyrum seruari  
possunt absque  
ferijs.

Festa pauca ha-  
buit primitiua  
ecclesia.



DE ORIGINE FESTORVM

hoc ipso quoque B. Rhenanus antiquitatum peritissimus, in suis Annotat. ad Tertulliani librum de Corona militis: ubi etiam addit, vix tres Apostolos hunc honorem ab initio sortitos fuisse, vt nimirum peculiaria festa ipsis instituerentur. Et Origenes lib. 8. contra Celsum inter celebriores veterum festiuitates numerat tantum Dominicam diem, Parasceuen Paschæ, & Pentecosten.

Polydori Ver-  
gilij error.

Quocirca mirandum est quod in Constitutionibus Apostolorum, quæ Clementi Rom. tribuuntur, legitur, solenniter celebrandum diem Natalem Christi, Epiphaniam, Pascha (cuius tempus etiam accuratè obseruandum precipitur, ne vel bis in anno, vel aliâ quàm Dominicâ die celebretur) Octauam post Pascha, Ascensionis diem & Pentecosten. Mirandum imprimis, quâ audaciâ Polydorus Vergilius plerosq; dies, qui posterioribus de mûm temporibus festiui cœperunt haberi, ab Apostolis institutos & ordinatos esse indicat lib. 6. cap. 8. de Inuent. rerum: vt Aduentum Domini, Natalem & Circumcisionem eiusdem, Epiphaniam, purificationem Mariæ, dies Quadragesimales, Dominicam Palmarum, diem Cœnæ Domini, & Ascensionem. De horum enim festorum nullo expressi quidquam apud probatos auctores adhuc seculo legitur. Imò ne Pascha & Pentecosten quidem lege aliquâ sanxisse Apostolos, nedum alia, Socrates testatur lib. 5. cap. 22. hist. ecclesiastica, inquit: *NVS QVAM* Apostolus, nec ipsa Euangelia, iugum seruitutis illis imponunt, qui ad prædicationem accedunt: sed Paschatis festum, & alios dies festos, ipsi homines, suis quicq; locis propter remissionem laborum, & memoriam salutiferæ passionis, sicuti voluerunt, ex consuetudine celebrârunt. Neq; Seruator hoc, aut Apostoli lege aliquâ obseruandum esse mandârunt. Et mox: Erat igitur scopus Apostolis non de festis diebus sancire, sed rectam vitam & pietatem inducere. Rursus: Nemo Apostolorum quicquam de illo (Paschatis festo) sanciuit.

Meminit quidem Ignatius in epistola ad Philadelphenses Hebdomadæ passionis, quam non vult negligi, quibus autem ritibus obseruata, & an tota festa fuerit, non exprimit, nec ex alio auctore huius seculi intelligi potest, quum nullus eorum, præter Ignatium, eius mentionem faciat: multiq; eius epistolas adulteratas & interpolatas esse videtur.

Retinuerunt hæc tria tantum festa duobus etiam sequentibus seculis, quæ ab initio imperij Traiani ad Constantinum M. hoc est, à centesimo ad trecentimum vsq; à nato Christo annum extenduntur: Nisi quod ex Tertulliano intelligitur, iam suo tempore Quinquaginta illos dies, qui sunt à die Paschæ vsq; in Pentecosten omnes festos fuisse. Nam in libro de Idololatria sic scribit: Si singulæ gentium solennitates numerentur, non possent implere nostram Pentecosten, hoc est, quinquaginta illos dies festos, intra Pascha & Pentecosten. Sub quinquaginta his festis diebus comprehensum fuit Ascensionis in cœlos festum. Cum verò illi non omnes vbiq; festi amplius haberentur, peculiaris solennitas facta est, cuius primò meminit Augustinus epistolâ 119. & passioni Domini, resurrectioni, & missioni spiritus sancti annumerat. Apud vetustiores Augustino peculiaris eius non fit mentio. Natalem quoq; Domini circa annos Christi 190. plurimis in locis celebrem fuisse, ex Theophili Casariensis Episcopi Paschali epistola colligitur. Mentio quoq; eius fit à Nicephoro in historia persecutionis sub Maximino Imp. mota.

Legitur equidem & de alijs festis: vt de festo Epiphaniæ, de Dominica in albis, & de Natalitijs Apostolorum. Sed quia hæc non nisi in Romana ecclesiæ historia, & Decretalibus Pij Pontificis solum inueniuntur, non magni facienda sunt, quum epistola illa non absque causa suspecta sint.

Memoriæ mar-  
tyrum nume-  
rum festorum  
auxerunt.

Memoriarum etiam martyrum ab omnibus ferè horum temporum authoribus fit mentio, & vt diximus, circa annum Christi 170. primùm instituta videntur. Non tamen ab initio ferie seu festa, sed memoriæ tantum fuerunt, in quibus passio & constantia martyrum prædicabatur, vt fideles, qui præsentés erant, ad similem virtutem incitarentur: deinde ad suæ quisq; vocatio- nis labores reuertebatur. Mox verò in festa mutata sunt, & pepererunt nobis plerasq; festiuitates Sanctorum Dinorumq;, quibus hodiè Christiani feriantur, B. Rhenano teste.

Eam



Eam rem plurimum adiuuit & promouit Constantinus Magnus, qui singularum gentium Præsidibus legem dedit, vt martyrum dies honorari curarent, & festorum tempora ecclesijs decernerent, vt Eusebius indicat lib. 4. de Vita Constantini. In quem vsus proculdubio, si verū est quod Durandus refert in Rationali lib. 7. cap. 1. vndiq; in prouincijs, petente id Eusebio Cæsariensi Episcopo, nomina sanctorum martyrum, & tempora, modumque passionis eorum diligentissimè conquisiuit, & literis accuratè mandata Eusebio transmisit. Hac ipsa tamen festa Martyrum non vbiq; in omnibus ecclesijs celebrata fuerunt, sed pro varietate regionum in illis tantum ecclesijs, vbi & martyria perpeffi & sepulci erant, sicut ex Hieronymo in cap. 4. epistola ad Galatas, & ex Panegyricis veterum constat.

Constantinus  
M. festa auxit.

Idem quoq; Constantinus Dominici diei festiuitatem nouā lege vbiq; terrarum diuulgatā indixit. Statuit etiam, vt is dies qui sabbathum antecedit, quem vulgò Veneris diem vocant, festus esset, & omnes eum venerarentur, ob memoriam earum rerum quæ eo die à communi omnium Seruatore gesta fuerunt, vt referunt Eusebius lib. 4. de Vita Constantini, & Sozomenus lib. 1. cap. 8. Paulus item Diaconus lib. 11. Rom. rerum narrat, Constantinum lege edixisse, duas Paschatis hebdomadas: vnā scilicet ante, & alteram post resurrectionem, sine negotio cuiusq; operis celebrandas esse.

Inuentionis quoq; crucis festum ab Helena Constantini Matre institutum & ab Eusebio Papa confirmatum volunt: ipsiusq; Helene solennitati occasionē Constantinum Imp. dedisse, ex Nicephori lib. 8. cap. 30. non obscure intelligitur.

Esi verum est quod Antoninus Tit. 9. cap. 1. § 1. & Petrus de Natalibus in historia Sanctorum lib. 2. cap. 22. scribunt, Silvester I. Papa decreuit, quintum diem hebdomadæ per vniuersum annum, vt diem Dominicum, celebrandum, quòd hoc die Christus in caelos ascendisset, & sacram cœnam instituisset: eius tamen rei Platina in Syluestri vita non meminit.

Porro, hunc numerum festorum auxit decretum synodi Laodicensæ, circa annum Domini 364. iuxta Caranzam, habitæ: nam can. 37. & 39. sancitur, Ne quis festa celebret cum Paganis siue gentilibus hæreticis & Iudæis. Quod etiam repetitum & confirmatum fuit in Concilio Constantinopolitano generali sexto in Trullo celebrato anno 681. can. 62. & in Concilio quodam Martini, vt refertur 26. quæst. 5. & ab Antonino titul. 13. cap. 1. § 3.

Festorum multitudi-  
nari occa-  
sionem dedit  
Laodicensis synodus.

Quia verò difficile erat semel receptos ritus & ceremonias vel abijcere, vel è medio tollere, propterea veteres Christiani festa Echuicorum & Iudæorum non quidem omnino sustulerunt sed tantum in Christianorum festa, & plerunq; nomine saltem immutato, commutarunt. Testem habeo Theodoretum, qui lib. 8. de Martyribus, Suos, ait, mortuos Dominus Deus noster in templa pro Dñs vestris induxit. Ac illos quidem castos gloriā vanosq; reddidit: suis autem martyribus honorem illorum dedit. Pro Pandijs enim, Diasijsq; ac Dionysijs, hoc est, Iouis, Liberiq; patris solennitatibus, Petro, Paulo, Thoma, Sergio, Marcello, Leontio, Antonio, Mauritio, alijsq; sanctis martyribus solennitates populari epulo peraguntur: proq; illa veteri pompa, pro turpi obscenitate ac impudentia, fiunt modestæ, castæ ac temperantiæ plenæ festiuitates: non illæ quidem mero delibutæ, non commestationibus leues, non cæchinnis solutæ, sed diuinis canticis personantes, sacrisq; sermonibus audiendis intentæ, in quibus ad Deum preces non sine sanctis lacrymis ac suspirijs summittuntur. Scribit quoq; Gregorius M. lib. 9. cap. 71. Paganorum festa sensim in Christiana festa esse commutanda, & quædam ad similitudinem esse facienda, ramis arborum & conuiujs solennitates celebrando. Rationem facti huius B. Rhenanus in Tertulliani librum de Corona militis hanc reddit: opus nimirum fuisse olim multa Christianis indulgere, quòd senes plerunq; ad nostram religionem conuersi fuerint, ideoq; haud facile ad iuci potuerint, vt semel receptam consuetudinem abijcerent: nam, Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu. Hac igitur occasione post Constantinum M. festa Petri & Pauli Apostolorum, Petri ad Vincula, Pontificum Romanorū & Encarnia instituta sunt.



DE ORIGINE FESTORVM

Festis occasio-  
nem præbue-  
runt liberatio-  
nes insignes &  
victoriae.

Præbuerunt occasionem festiuitatibus nonnunquam & insignes liberationis & victoriae: quales Constantinus post victorias de hostibus sui regni seu ecclesiae ferè indicit, post deuictum Licinium & alios hostes: post synodum item Nicenam, superato hoste ecclesiae, & instituta concordia. Has festiuitates Eusebius lib. 10. cap. 9. & lib. 3. de Constantini vita Panegyricas appellauit. Huiusmodi festiuitatis diem Alexandrini etiam instituerunt sub Iuliano Imp. eamq; Memoriam dixere terrae motus, qui ex inundatione maris subinde recedentis & recurrentis ortus, urbem Alexandrinam concusserat: de qua Sozomenus lib. 6. cap. 2. Diem, inquit, illum, quo vndarum dilapsus accidit Alexandrini etiam num annum festum agunt, illumq; plurimis lychnis per vniuersam urbem incensis, ac Deo per supplicationes gratiarum actione oblatâ, admodum splendide ac religiose celebrant. Sic etiam Ethnicis, quum terrae motus alicubi accidissent, ferias indicere solebant, & eum Deum, quisquis esset, aut Deam placare, vt Gellius testatur, lib. 2. cap. 28.

Ex Athanasij quoq; enarratione Euangelij, de sancta Deipara, intelligitur, Annunciationis Mariae festum, cuius ille eo in loco primus meminuit, iam suo tempore in aliquibus ecclesijs in vsu fuisse.

Macchabæorum etiam memoriam aliquot in locis celebratam fuisse Nazianzeni tempore, ex Oratione eius in Macchabæos apparet, vbi sic inquit: Macchabæorum præsens est festiuitas, qui licet minùs honorentur à plerisque, quòd non Christi certarunt gratiâ, omnibus tamen veneratione sunt digni, quòd ob leges paternas fortiter egerint.

Videntur & Natalium dies apud quosdam, sed priuatim solennes & festiua fuisse seculo quarto regni Christi. Sic enim Ambrosius ad Felicem Episcopum Comensem, lib. 1. Epistolarum, epist. 5. Natalem, inquit, tuum prosequamur nostris orationibus, & tu nostri in tuis votis ne obliuiscaris. Dierum item, quibus dignitates ingressi sunt. Sic enim ad eundem Ambrosius Celebrem, inquit, vtriusq; nostrum annunciasti diem affore, quo suscepisti gubernacula summi sacerdotij.

Festa quæ se-  
culo 5. à nato  
Christo insti-  
tuta.

Seculo quinto, quod est ab anno Domini 400. ad annum 500. quo ecclesiae Christi præcipui Doctores fuerunt Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, Hesy chius, &c. festis superiorum seculorum accesserunt de nouo Rogationum dies, seu Litaniae, Circumcisio Domini, Dominica in ramis Palmarum, si verae sunt inscriptiones quarundam homiliarum Maximi Taurinensis, Cinerum dies, Stephani Inuentio, feriae D. Michaelis archangeli, Cathedra Petri, Quadraginta martyrum, Thomae cuiusdam monachi, Aduentus Domini, Natiuitas Ioannis Baptistae, & Ioannis Chrysostomi. Celebrata sunt eodem seculo Memoriae sanctorum Martyrum Cypriani, Stephani, Laurentij, Agnetis, Ursulae, Eusebii Vercellensis episcopi, & Lucanae cuiusdam, cuius mentionem facit Sidonius Auernorum Episcopus, & dicit, quòd eius gratiâ & ipse, & magna hominum vtriusq; sexus multitudo conuenerint ad sepulchrum, Iustino teste epistolâ ad Eriphium, lib. 5. Diem etiam translationis reliquiarum Ignatii fuisse festum, Euagrius indicat lib. 1. cap. 16.

Festa cur hoc  
seculo aucta.

Crediderim autem hac occasione numerum festorum auctum hoc tempore, quòd sub Theodosio Iuniore multa sanctorum corpora reperta essent, vt Nicephorus indicat lib. 14. cap. 10. Est & illud hoc quinto seculo obseruandum quòd Musæus presbyter Massiliensis, qui claruit circa annum Christi 440. hortatu S. Venerij Episcopi, ex scripturis sanctis excerpsit Lectiones & Responsorias, singulis diebus festiuis totius anni apta, vt Gesnerus in Bibliotheca sua indicat. Hoc tamen Vigilio Papae à Balao in eius vita tribuitur.

Festa huius se-  
culi non vbi-  
que obseruata.

Non autem hac festa in omnibus & singulis ecclesijs vsitata fuisse ex Hieronymo & Augustino, qui his temporibus floruerunt, facile intelligi potest. Nam Hieronymus in Comment. ad cap. 4. epistolae ad Galatas festorum sui temporis mentionem faciens, enumerat tantum Parasceuen, diem Dominicam, Paschae festiuitatem, Pentecostes latitiam, & pro varietate regionum diuersa in honore martyrum constituta tempora. Ita etiâ Augustinus epistolâ 118. Passionis Domi-

Domini



*Dominica, & Resurrectionis, & Ascensionis in caelum, & Aduentus de caelo spiritus sancti so-  
lùm meminit. Sexto seculo festum Ἰπποκράτης, hoc est, Exceptionis Christi, quod postea in  
Purificationis Mariæ festum mutatum est, itemq; Dormitionis seu Assumptionis Ma-  
riæ, institutum est.*

Festa seculo 6.  
à nato Christo  
instituta.

Natalitia etiam Sanctorum religiosiore studio, quàm hactenus nunquam sub Gregorio  
M. celebrari ceperunt: Meminit ille primus Natalis Felicitatis, in Euangelia homiliâ 3.  
Marcellini & Petri, homiliâ 6. Syluestri, homiliâ 9. Felicis, homiliâ 13. Pancratij, homi-  
liâ 27. Nerei & Achillei, homiliâ 28. Andrææ, homiliâ 5. Mammæ, homiliâ 35. Apollin-  
naris, lib. 4. epist. 10.

Accessit huius seculo septimo festum Natiuitatis Mariæ à Sergio 1. Pontifice institutum. Festa seculo  
7. instituta.  
Festa item Omnium Sanctorum, Martini & Valentini: quorum primum Bonifacius  
1 v. vel iuxta alios 3. in honorem Omnium Martyrum instituit, sed postea in festum Om-  
nium Sanctorum conuertit: alterum Martinus 1. tertium Benedictus 11. Pontifices Roma-  
ni seruare mandârunt. Leo 11. Dominicæ Cœnæ festum in Aprili obseruari præcepit, ut li-  
ber Pontificalis in Leone testatur. Festum verò Exaltationis Crucis Heraclius Imp. ordi-  
nauit, ob memoriâ Crucis Persico regi Cosroe ereptæ, & Hierosolymâ reductæ anno Christi 631.

Fuerunt & Natales, & laudatorum quorundam virorum memoriæ hoc seculo primùm so-  
lennes habitæ, veluti Anastasij Persæ, cuius festiuitas celebrata est 10. Cal. Febr. Supplem.  
Chronicorum. Isidori Hispalensis, 18. Cal. Febr. ibidem. Vandregisili, Ansberti & Vul-  
frani, prid. Cal. Aprilis. Vincentius lib. 23. cap. 131. Richarij Pontinensis, 4. Cal. Maij: Vin-  
cent. lib. 23. cap. 97. Fursei, 4. non. Maij: idem lib. 23. cap. 83 Leonis Papæ, 4. Cal. Junij, Sup-  
plementum Chronicorum. Eutropij Episcopi Hispani, 6. Idus Junij: ibidem. Arnulphi, 17. Ca-  
lend. Septemb. Vincent. lib. 23. cap. 78 Lupi, Cal. Septembris idem lib. eodem Cap. 10. Salaber-  
gæ abbatissæ, 10. Cal. Oct. eodem libro cap. 20. Auræ abbatissæ, 4. Non. Octob. Vincent. lib. 23.  
cap. 71. Magnobodi Andegauensis Episcopi, 17. Cal. Nou. idem libro eodem cap. 19. Pharao-  
nis episcopi Meldensis, 5. Calend. Non. lib. 23. cap. 19. Eligij, pridie Calend. Decemb. Supple-  
mentum Chronicorum.

Superioribus festis adiecta sunt seculo octauo Præsentatio Mariæ, Transfiguratio Chri-  
sti, Dominicæ imaginis passio: itemq; S. Augustini, Bonifacij, Angli & sociorum e-  
ius, Benedicti Nursini, Mauri, Scholasticæ, & Vuillehadi memoriæ.

Festa 8. seculo  
à nato Christo  
instituta.

Eodem etiam tempore mos iste inualuit, ut festos dies à vespera ad vesperam celebrare inci-  
perent: quod postea Alexander 111. Papa lege faciendum edixit, ut est videre lib. 2. Decretal.  
tit. 9. cap. 2. Et vesperi quidem diebus sabbathinis initia feriarum campanis prænucciabantur,  
quo signo audito operarij omnes à labore discedebant, ut annotat author vitæ Crodegangi, cap.  
11. Et à vespera vsq; ad vesperam diem Dominicam seruari debere, Carolus M. iuxta Laodi-  
cense Concilium statuit, in Aquisgranensibus legibus.

Festa quando à  
vespera ad ve-  
esperam celebra-  
ri ceperint.

Hactenus tamen per octingentos annos à nato in carne Christo nulla de ferijs certæ leges  
lata erant. Primus omnium Carolus M. in Constitutionibus quas per vniuersum Romanum im-  
perium promulgari curauit, legem de festis & certo eorum numero edidit, quæ extat lib. 1. c. 158.  
& sic habet: Hæ sunt festiuitates in anno, quæ per omnia venerari debent: Natalis  
Domini, S. Stephani, S. Ioannis Euangelistæ, Innocentium, Octauæ Domini, Epí-  
phanix, Octauæ Epíphanix, Purificatio Mariæ, Pasche dies octo, Letania maior,  
Ascensus Domini, Pentecoste, S. Ioannis Baptistæ, S. Petri & Pauli, S. Martini, S.  
Andrææ. De Assumptione S. Mariæ interrogandum relinquimus.

De feriarum  
numero pri-  
mùm certæ le-  
ges latæ secu-  
lo 9.

Paulus quoq; Aemilius lib. 2. de Francis, & Cranzius in Metropoli lib. 1. cap. 18. referunt,  
eundem Carolum Paulo Diacono mandasse, Vitas et Lectiones cuiuslibet festiuitati Sanctorum  
conuenientes ex Patrum scriptis seligere. Paruit ille Imperatori, & insuper Vitis ac Lectioni-  
bus hymnos addidit: quæ omnia statutis diebus in Ecclesijs legi præcepit Carolus. Sigebertus  
refert hæc ad annos Christi 807. Lectiones autem & hymni illi postea ita corrupti & immutati  
sunt, ut vix à suo auctore, si resurgeret, agnoscerentur.

Vitis Sanctorum,  
Lectiones item  
& hymni eorū  
festis conueni-  
entes quando  
primùm con-  
scripti.



DE ORIGINE FESTORVM

Sequentum est Concilium Moguntinum anno Christi 813. celebratum Caroli Magni iussu, quinto Idus Iunii, ab Episcopis 30. Abbatibus 25. & plurimis Sacerdotibus, Comitibus & Iudicibus. In eo decretum est, hos dies festos in anno celebrare: diem Dominicam Paschæ, cum omni honore & sobrietate. Similiter feriam secundam, tertiam & quartam. A feria quinta ante Missam, licentia sit arandi, vel seminandi, & hortum & vineam excolendi, & sepem circumcludendi. Ab alio vero opere cessare decreuerunt. Post Missam autem ab opere vacare: diem Ascensionis Domini pleniter celebrare. Item Pentecosten, similiter, ut in Pascha. In Natali Apostolorum Petri & Pauli diem unum. Natiuitatem S. Ioannis Baptistæ: Assumptionem S. Mariæ: Dedicacionem S. Michaelis: Natiuitatem S. Remigij, S. Martini, S. Andreae. In Natali Domini dies quatuor, Octauas Domini, Epiphaniam Domini: Purificationem Sanctæ Mariæ. Et illas festiuitates Martyrum, vel Confessorum obseruare decreuimus, quorum in vnaquaque parochia sancta corpora requiescunt. Similiter etiam dedicationem templi. Hac occasione Felicis & Regulæ Thebææ legionis Martyrum: Othomari Abbatis Sangallensis Cœnobij: & Vualpurgæ festiuitates institutæ sunt seculo nono à nato Christo.

Durandus etiam in suo Rationali diuinorum officiorum lib. 7. cap. 34. affirmat, Gregorium IV. qui Pontificatum Romanum tenuit circa annos Christi 834. decreuisse, ut festa celebrentur non solum in honorem Apostolorum & Martyrum, sed etiam Trinitatis, Angelorum, Confessorum, & generaliter omnium sanctorum, sanctarum & electorum. Adhuc festum Sanguinis Christi à Leone III. Papa, & Calendarum Septembrium ab Arnulpho Imp. institutum fuit, hoc anno 895. illud circa annos 810.

Quibus accessit seculo decimo festum seu Commemoratio omnium sanctorum, & Huldrici Augustani Episcopi.

Noua insuper à supersticioso hypocritis XI. seculo festa fuit instituta, nempe Liberij, Clementis II. Papæ, Gerhardi & Vuolfgangi. Refert etiam Herman. Gigas in suis Floribus, Gregorium VII. sanxisse, ut omnium Romanorum Pontificum, qui Martyres fuissent, festa solenniter celebrarentur. Hinc originem sumpserunt festa Antherij, Thelesphori, Cleti, Hygini, Marcelli, Lucij, Eusebij, Alexandri, Aniceti, Gaij, Urbani, Eleutherij, Felicis, Syluerij, Pij, Stephani, Sixti, Zepherini, Lini, Calixti, Pontiani, Clementis & Meltiadis, quibus Ecclesia caruit annis plus minus 1075.

Imperatores quoque hoc primum seculo colere cœperunt festis diebus. Nam Nicephoro teste lib. 17. cap. 31. Ioannis Chalcedonis filius quum Constantinopolitana Ecclesiæ præfesset Alexij Comneni Imperatoris tempore, circa annos Christi 1090. Iustiniani Imperatoris festum diem instituit, eumque ipse primus cum toto populo magnifice celebrauit: idemque Ephesi in delubro Ioannis Euangelistæ factum est, quia id templum construxerat Iustinianus. Fecit fortasse hoc ad Gregorij VII. imitationem, quæ Pontificum Rom. festa instituisse diximus. Factum autem ab utroque ad consuetudinem Ethnicam. Gentes enim suos principes, eorumque liberos inter numina reculerunt olim, aut per reuerentiam regum, aut metum tyrannorum: ut in Creta Iupiter, in Arcadia Mercurius, apud Indos Dionysius, apud Aegyptios Isis & Osiris. Ita quoque Romanus Senatus suos ab origine Imperatores, aut omnes, aut saltem eos quos ipsi libitum fuit, caloribusque dedicauit, legibusque & Senatusconsultis Deos esse iussit. Sic prisca Græcorum Dij, Iupiter, Neptunus, Apollo, Vulcanus, Mercurius, Iuno, Ceres, Pallas, Diana. Thesei edicto accipere numen & diuinitatem, Athanasio contra Idola, & Arnobio lib. 1. testibus.

Fit etiam mentio hoc seculo primum, quod ego quidem sciam, festorum Iacobi, Mattheæ, Simonis & Iudæ Apostolorum, & Marci Euangelistæ. Quumque in Catalogis feriarum à Carolo M. & Moguntina Synodo editis non extant, credibile est hoc demum tempore peculiari-ter celebrari cœpisse. Sicut etiam Geruasij & Protasij, Cosmæ & Damiani, Amandi, Prothi & Hyacinthi.

Seculo duodecimo primò mentionem faciunt historici Thomæ, Bartholomæi & Barnabæ

Festa seculo  
10. instituta.

Festa seculo  
11. instituta.

Festa Episco-  
porum Rom.  
quando insti-  
tuta.

Festa Impera-  
torum quando  
instituta.

Festa seculo  
12. instituta.



nabæ Apostolorum, Diuisionis eorundem, & Conuersionis Pauli, Lucae Euangelistæ. Item martyrum & confessorum Theodori, Thomæ Cantuariensis, Georgij Lamber-  
ti, Alexij, Hieronymi, S. Galli, Vndecies mille virginum, Mariæ Magdalenæ, S.  
Bernhardi, Othonis Episcopi, Caroli M. & Henrici Imp. Helenæ ex Suecia ori-  
undæ, et cuiusdam Dauidis Angli, Calendæ quoq; vt Augustæ sacra haberentur ob quan-  
dam victoriam hoc tempore decretum fuit. Et ob eandem causam Ioannes Constantinopoli-  
anus Imp. Pazinacorum festum instituit: quemadmodum etiam Innocentius III. Kune-  
g Indis Imperatricis.

Et si verò singuli ferè dies apud Christianos hoc pacto festiui essent, creuit tamen calamito-  
sioribus deterioribusq; subinde succedentibus seculis, fecerq; mundi, non tam numerus, quàm su-  
perstitio feriarum. Quem errorem plurimum promouit, quòd Alexander III. Papa sibi suisque  
successoribus solis Canonizationem Sanctorum vendicauit. Eâ enim occasione posteriores  
Pontifices, cæco quodam furore erumpentes, numerum istum, alioquin molestum, conduplicârunt  
propè, atq; superstitionem supra modum auxerunt, & miseram plebem onere non ferendo tantum  
non oppresserunt.

Canonizatio-  
nes sanctorum  
auxerunt nu-  
merum festo-  
rum.

Ac primò quidem in Oxoniensi Synodo, anno 1222. in ANGLIA celebrata, sub Stephano  
Cantuariensi Archiepiscopo, cap. 1. hæc festa seruanda mandantur cum omni veneratione: Om-  
nes dies Dominici, sancti dies Natalitij, Circumcisio, Epiphania Domini, omnia  
festa B. Mariæ (præter festum Conceptionis, cuius celebrationi non imposta tum  
fuit necessitas) Conuersio S. Pauli, Cathedra S. Petri, Apostolorum omnium fe-  
sta, festum S. Gregorij, dies Parasceues, feria secunda, tertia & quarta in hebdoma-  
da Pentecostes: festum S. Augustini in Maio: festa sanctæ Crucis: translatio S.  
Thomæ Martyris: vtrunq; festum S. Ioannis Baptistæ: festum S. Margarethæ, Ma-  
riæ Magdalenæ, Petri ad Vincula, Laurentij, Michaelis, festum omnium Sancto-  
rum, S. Martini, Edmundi Confessoris, Edmundi regis & martyris, festum S.  
Catharinæ, Clementis, Nicolai, festum Dedicacionis cuiuslibet Ecclesiæ in sua pa-  
rochia: & quodlibet festum illius Sancti, in cuius honore fundata est Ecclesia.

Oxonienfis sy-  
nodi decretum  
de numero fe-  
storum.

Decretum etiam est in eadem Synodo, vt alia festa à rectoribus Ecclesiarum & Capella-  
nis in obsequio diuino & laude deuotissimo celebrentur, minoribus operibus seruilibus, secun-  
dum consuetudinem loci, illis diebus interdictis: SS. Fabiani & Sebastiani: S. Agnetis:  
S. Vincentij: S. Blasij: S. Agathæ: S. Felicitis: S. Georgij: S. Ioannis ante portam Lati-  
nam: S. Dunsthani: S. Albani: S. Emeldridæ: Inuentionis sanctæ Crucis: S. Stepha-  
ni: S. Hieronymi: S. Fidis: Dedicatio S. Michaelis in monte Tumba: S. Dionysij:  
festum Animarum: S. Cæcilie: S. Lucie: Sancti Leonhardi.

In eadem denique Synodo, post Missam, non antea, opera rusticana in his festis concede-  
bantur: in Octaua Epiphaniæ: in festis Petri & Pauli: in Translationibus S. S. Be-  
nedicti & Martini.

In Decretali autem epistola Gregorij IX. hæc festa statuta dicuntur: Natalis Domini:  
S. Stephani: Ioannis Euangelistæ: Innocentium S. Syluestri: Circumcisionis: Epi-  
phanie: septem dies Dominicæ passionis: Resurrectionis, cum septem sequenti-  
bus: Ascensionis: Pentecostes, cum duobus qui sequuntur: Natiuitatis Ioannis  
Baptistæ: festiuitatum omnium Virginis gloriosæ: Duodecim Apostolorum, &  
præcipue Petri & Pauli: B. Laurentij: Dedicacionis Beati Michaelis: Solennita-  
tis omnium Sanctorum, Dominicarum dierum, cæterarumq; solennitatum, quas  
singuli Episcopi in suis diocæcesibus cum clero ac populo duxerint solenniter vene-  
randas: Lib. 2. Decretal. tit. 9. cap. 5.

Gregorius IX.  
de festis decre-  
tum.

Sequitur mox est, anno scilicet 1244. Lugdunense Concilium, sub Innocentio quarto cele-  
bratum, in quo decretum fuit, vt Dies Domini à vespera ad vesperam obseruentur.

Concilij Lug-  
dunensis de fe-  
stis decretum  
seculo 13.



DE ORIGINE FESTORVM

Deinde ut hæc feriæ per anni circulum deinceps celebrentur: Natalis Domini: S. Stephani: S. Ioannis Euangelistæ: Innocentium: Syluestri: Circumcisionis: Theophaniæ siue Epiphaniæ: Pascha cum tota præcedenti & sequenti hebdomada: Rogationes cum tribus diebus: Ascensio Domini: Pentecoste, cum duobus diebus sequentibus: S. Ioannis Baptistæ: duodecim Apostolorum: S. Laurentij: Festiuitates B. Mariæ: Omnes dies Dominici: Dedicatio S. Michaelis: Dedicatio cuiuslibet Oratorii: festum omnium Sanctorum: S. Martini: festiuitates Sanctorum Canonizatorum, quas singuli Episcopi in suis Ecclesijs cum clero & populo decreuerunt celebrandas. Reliquis verò festiuitatibus, quæ per annum sunt, non esse plebem cogendam ad celebrandum siue feriandum, neq; etiam prohibendam, eadem Synodus decreuit. De Consecr. dist. 3. cap. 1. extra de fer. cap. fina.

Circa eadem tempora festa Antonij Minoritæ: Elizabethæ Landgrauia Hassiæ: Francisci Minoritarum Ordinis auctoris: Dominici Ordinis Prædicatorum inuentoris, à Gregorio X. instituta sunt: Quando etiam Lamberti festum per vniuersum Cisterciensem Ordinem solennius celebrari cœpit. Circa annos Domini 1252. Petro Mediolanensi Inquisitori, Edmundo Cantuariensi & Stanislao Polono, Episcopis, ab Innocentio IV. peculiare festiuitates decretae sunt: qui Pontifex etiam Natiuitatis Mariæ Octauam sacram esse voluit. Et Clara ab Alexandro IV. canonizata legitur. Idem quoq; Pontifex Visitationem occisorum à Tartaris Sandomiriæ, quæ fit postridie Calend. Iunij, dedicauit. Corporis etiam Christi solennitas instituta est anno Domini 1264. ab Urbano IV. Hedvigæ à Clemente IV. Ludouici Francorum regis à Bonifacio VIII. qui etiam Duplex Maius, & Iubileum annum primus instituit.

Festa seculo  
14. instituta.

Porro seculo XIV. instituta sunt festa Ludouici Episcopi Tolossani, Thomæ Aquinatis, & Thomæ Episcopi Herueldensis, à Ioanne XXII. Cœlestini V. Papa, à Clemente V. Lanceæ Christi festum Innocentius V. Brigidæ Bonifacius IX. instituit.

Festa seculo  
15. instituta.

Ceterum ut cælum Dijs suis omninò replerent, seculo XV. canonizati sunt Nicolaus de Tolentino Monachus ab Eugenio IV. Bernardinus Minorita à Nicolao V. Vincentius Dominicanus monachus à Calixto V. SS. Anna & Iosephus & Bonauentura Minorita à Sixto IV. Leopoldus Dux Austriae ab Innocentio VIII. Catharina Senensis à Pio II.

Festa seculo  
16. instituta.

Seculo verò XVI. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, & Benno Misnensis Ecclesie præsul, ab Adriano VI. Canonizati, & ut festis diebus honorarentur, mandatum. Leo quoq; X. Franciscanis septem à Saracenis occisis anno 1221. festum diem instituit, quemadmodum & Brunoni Carthusianorum patriarchæ. Commemoratio septem dolorum B. Mariæ, à Georgio Hallero monacho instituta est circa annos demum Christi 1545.

Festorum multitudo in ipso quoque Papatu multis displicuit.

Concilium  
Carthagin. 5.

Mirum igitur non est, si plurimi pietate & doctrinâ excellentes viri, de multitudine tantæ feriarum grauissimè conquesti sunt, & de reformanda Ecclesia & scribere & concionari cœperunt. In Concilio Carthaginensi 5. multitudo Memoriarum martyrum damnatur: & sancitur, ut nulla deinceps Memoria alicuius martyris celebretur, nisi aut vbi corpus martyris, aut reliquiæ sint, aut origo habitationis vel possessionis illius. De Consecr. dist. 1. Placet.

Pothon.

Floruit circa annos Christi 1102. POTHON, Prumiensium presbyter: in lib. 2. de Statu domus Dei, acriter reprehendit festorum accumulationem, & multitudinē. Ecce, inquit, vita monastica, quæ erat columna & firmamentum religionis, in qua videlicet viguit disciplinæ censura, morum grauitas, maturitas consiliorum, authoritatis pondus, antiquitatis insigne, in ecclesiasticis officijs repentinis visa est nouitatibus acquirere, & quasi iuuenili passa est decolorari leuitate. Miramur ergò satis, quid visum

sum



sum fuerit hoc tempore quibusdam monasterijs, mutare colorem optimum, nouas quasdam inducendo celebritates. Numquid Patribus doctiores, aut deuotiores sumus? Superbâ mente præsumimus, quicquid ipsorum in talibus prudentia præteriuit. Neq; verò nos in huiusmodi aliquid inuenire possumus, quod illorum quiuerit diligentiam præterisse: Quæ igitur ratio hæc festa celebrandi nobis induxit? Festum videlicet S. Trinitatis, & festum Transfigurationis Domini? Additur his à quibusdam, quod magis absurdum videtur, festum quoq; Conceptionis S. Mariæ. Nos in his omnibus deuotioni fidelium minimè derogamus, dum rationem quærimus quâ rationabile obsequium nostrum offerre Domino debemus, ne fortè à via recta deuiantes, præsumptionis spiritu seducamur. *Hæc Pothon.*

*Ducentis ab hinc annis aut eo amplius, Michael Alciſiodorensis Archiepiscopus claruit. Is, vt Nicolaus Clemangis in suo libello de Nouis festis testatur, congregatâ prouinciali synodo pluraq; festa aboleuit. Credo, vt etiam Clemangis testatur, offensum esse varijs abusibus, non solum Epicuræorum, ebriosorum, scortatorum, aliorumq; flagitiosorum hominum, qui diebus festis toti effunduntur in omne nefas: sed quòd videret tot Diuorum festis homines induci ad cultum creaturarum, Deiq; veri, qui solus coli vult, obliuionem.*

Michael Alciſiodorensis.

Clemangis quoq; Magister Parisiensis, & Archidiaconus Baroensis, homo pius ac doctus, politiorisq; sermonis & literaturæ sectator, in suo libello, quem contra noua festa Sanctorum edit circa annos Christi 1416. inter alia probat, vt era aliqua festa potius esse abolenda, propter ingentem abusum, quàm noua instituenda recipiendaq;. Queritur item in eodem scripto, longè diligentius & ardentius obseruari hominum traditiunculas, grauiusq; earum transgressiones ab Episcopis puniri, quàm mandatorum Dei. Queritur quoq; tam multa de Sanctis legi ac dici in templis, vt iam sacrarum literarum lectio planè omittatur. In antiqua autem Ecclesia planè diuersum fuisse morem. Itaq; iam Deum suo loco detrusum & deturbatum esse, & Sanctos pro eo in templis regnare.

Clemangis.

NOTA.

*Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracensis, in libro quem de Reformatione Ecclesie, Sigismundi Imp. iussu, scripsit, & Patribus in Constantiensi Concilio obtulit anno 1415. inter alia putat, superfluum festorum numerum minuendum esse. Verba eius hæc sunt: Prouidendum esset ne tot noua festa solennizarentur, & tot noui Sancti canonizarentur: vt, præterquam Dominicis, & maioribus festis ab Ecclesia institutis, liceret operari post auditum Officium, cum quòd in festis sæpè magis multiplicantur peccata in tabernis, choreis, & alijs lasciujs, quas docet otium: tum quia dies operabiles vix sufficiunt pauperibus ad vitæ necessaria procuranda: item vt in huiusmodi festis scripturæ apocryphæ, aut hymni noui, vel orationes, seu aliæ voluntariæ voluntates non legerentur omisis antiquis, & authenticis, & iam in Ecclesia consuetis.*

Petrus de Aliaco.

*Hæc Cardinalis ille.*

*Polydorus Vergilius quoq; de festorum multitudine & abusu hoc modo conqueritur lib. 6. cap. 8. de Inuent. rerum. Dies, inquit, alij alijs, festi festis ex paruis quandoq; causis accumulati sunt: id quòd haud scimus an expedierit, cum præsertim videamus eò rediisse Christianorū mores, vt quàm olim ex religionis vsu erat hæc instituere, tam nunc præstare videatur eadem antiquare, cum bona pars hominum otium istud festorum dierum non ad orandum, non ad diuina scripta audienda, cuius rei causa datum est, sed ad omnifariam honorum morum corruptelam augendam, in dies magis magisque impudenter consumat, dictitans se id animi gratiâ facere, quasi planè sentiens cum Platone, qui ob illud ipsum, Deum eiusmodi festa sacra instituisse aiebat. Atq; ita bellè Ethnicos, perinde in hac re, vt in nimis multis alijs, æmulamur: quod tantum abfuit, vt maiores nostri fecerint, vt etiam illud ipsum audacter ipsdem Ethnicis vitio dederint, teste Tertulliano in Apologetico, cum de Cæsarium solennibus sacris loquitur. Et mox: Faxit igitur (inquit) Deus, vt Pontifices nostri tandem aliquando istos festos dies vtiles reddant; quod facient, si minuendos, & castè agitandos curarint.*

Polydorus Vergilius.



DE ORIGINE FESTORVM

Germaniæ  
grauamina.

*Inter grauamina item centum, quæ imperante Carolo v. anno Domini 1522. in Comitij Noribergæ Legato pontificio oblata sunt, cap. 37. de eadem re sic habet: Insuper & feriarum, festorumq; tantâ copiâ laicorum vulgus non mediocriter vrgetur: Nimirum, quum tot sint religiosi facti dies, vt vix ægre tempus agricolis suppetat, quo fructus agri, tot sudoribus è terra pellectos, aliquandò aquâ pluuiâ, immodicoq; æstu, non rarò etiam grandine, aliâue tempestate periclitantes, in horrea conferant: quos tamen fructus, si non feriarum solennibus præditi forent, commodè ac citra iacturam ex agro legere, domumq; ferre potuissent. Adde, quòd feriatis quoque diebus, qui dubio procul bono consilio, ac in Dei Opt. Max. honorem, primùm benè sunt feriatî, innumera perpetrantur delicta, peccata & scelera, potiùs quàm his omnipotens colatur, venereturue. Id quod res ipsa notorium facit, tantùm abest, vt testibus hoc egeat. Eamq; ob causam Sacri Romani Imperij Status laici consultiùs putant, ac Reipub. Christianæ conducibiliùs, si effrenis feriarum (quæ animis, quàm externo cultu, Christianis, hoc est, his quibus à peccatis semper feriandum est, rectiùs celebrantur) festorumq; dierum numerus paulò coercetur in arctum, minuaturq;.*

Erasmus.

*Questus est etiam de eodem non immeritò Des. Erasmus haud vno in loco. In Annotationibus suis ad N. Testam. in cap. 11. Matth. iam olim (inquit) D. August. in epist. ad Iacuar. stomachatur & deplorat Ecclesiam Christi sic premi, vt tollerabilior propè fuerit Iudeorum quàm Christianorum conditio. Et tamen ille ob friuola quedam nudipedalia nescio quæ destomachatur. Quid si videret liberum illum Christi populum, tot legibus, tot ceremonijs, tot laqueis impetitur? Item: Quin & festorum apud Hebræos mediocris erat numerus. Ætas Hieronymi præter Dominicum diem paucissimâ nouerat festa. Nunc feriarum neq; finis, neque modus: quæ cum primitiùs ad pietatis vacationem pauca sint institutæ, nunc ad scelerum exclusionem tolli debebant, nisi sacerdotiù avaritiâ suis rebus consuleret potiùs quàm veræ religioni. Hac Erasmus.*

Laurentius  
Campegius.

*Contra multitudinem quoque festorum apud Christianos huiusmodi decretum editum fuit anno 1524. Ratisponæ per Laurentium Campegium presbyterum Cardinalem. IUSTIS de causis adducti festorum multitudinem constringendam esse duximus: statuentes & ordinantes, vt de cætero Dominica dies, quæ in gloriam Dominicæ resurrectionis ad nos vsq; à primitiua Ecclesia maximè celebris habita est: Dies quoq; Natiuitatis Christi, S. Stephani, Ioannis & Innocentium: Circumcisionis: Epiphaniarum: Paschæ, cum feria secunda & tertia duntaxat: Ascensionis, Georgij, Pentecostes, cum feria secunda & tertia duntaxat: Corporis Christi, & præsertim quatuor B. Virginis, Purificationis, Annunciationis, Assumptionis & Natiuitatis: Natalitia Apostolorum: Ioannis Baptistæ, Magdalenæ: Laurentij: Dedications Michaelis: Omnium Sanctorum: Martini: Nicolai & Catharinæ: & per Dioceses Salzburgensem festiuitates S. Ruperti, sicut hæcenus obseruatæ fuere, celebres quoque & festi habeantur. In cæteris autem festiuitatibus, quacunq; ratione vel institutis vel receptis, & quæ sub præcepto celebrari debeant, permittimus liberumq; cuiq; facimus, vt Missâ auditâ operas suas, quibus suam suorumq; alimoniam quærere cogitur, redire possit: Festis tamen Dedicacionum & Patronorum principalium, nihil derogantes, quoad eorum celebrationem in Cathedrali Ecclesia, ciuitatèque, ac loco etiam Episcopalis residentia duntaxat, cap. 20.*

CAPVT



## CAPVT V.

## Diuisio Festorum.

**H**ORVM autem festorum omnium quaedam sunt generalia, quaedam particularia. Generalia sunt, quae generatim ab omnibus celebrantur, & vocantur SOLENNITATES: ut sunt Circumcisio Domini, Epiphania eiusdem, Conuersio Pauli, Purificatio B. Mariae, Cathedra Petri, Annunciatio B. Mariae, Passio Domini, Pascha, Inuentio S. Crucis: Dies Rogationum, Ascensio Domini, Pentecoste, festum Trinitatis, festum Corporis Christi, Natiuitas S. Ioannis Baptistae, Visitatio B. Mariae, Vincula Petri, Assumptio B. Mariae, Decollatio S. Ioannis Baptistae, Natiuitas B. Mariae, Exaltatio Crucis, festum S. Michaelis & omnium Angelorum, festiuitas omnium Sanctorum, Commemoratio omnium defunctorum, Praesentatio B. Mariae, Aduentus Domini, Conceptio B. Mariae, Natiuitas Domini, festa omnium Apostolorum, & festum dedicationis Ecclesiae.

Festa autem Particularia sunt, quae tantum ab vna coluntur Ecclesia in aliqua provincia: vel etiam quae in vno sunt Episcopatu, vel in vna parochia aut villa.

Rursus horum festorum alia sunt Mobilia, sicut Dominica Septuagesimae, Sexagesimae, Quinquagesimae, Quadragesimae, Pascha, Pentecoste, &c.

Alia sunt Fixa, sicut festum Natiuitatis Christi, Circumcisionis, B. virginis, Apostolorum, Martyrum, &c.

## CAPVT VI.

## De Canonizatione Sanctorum, eiusque origine &amp; progressu.

**V**IA Canonizationes Sanctorum, quas omnibus in deterius ruentibus in Ecclesia, Romani Pontifices sibi solis vendicarunt, numerum festorum in immensum auxerunt, idcirco de ijs aliquid dicendum nobis, ut quo in pretio habenda sint cognosci possit.

Canonizatio Sanctorum, secundum Bellarminum, Tom. 1. col. 2012. est, Pontificis Romani approbatio seu testimonium publicum, de sanctitate & gloria alicuius hominis defuncti: & simul est iudicium ac sententia, qua decernuntur illi diuini honores, & cultus, & hi quidem septem à Bellarmino ibidem recensentur. Antoninus etiam parte 5. Summae, tit. 12. cap. 8 sic canonizationem definit, quod per eam Sancti proponantur à Papa, ut exemplar fidei & vitae sanctae, & ab omnibus ADORANDI & in necessitatibus INVOCANDI. Marsilius Patavinus in Defensore Pacis parte 2. cap. 21. canonizationem definit esse institutionem venerationis sanctorum.

Ritus Canonizationis ac primò de  
Præparatione ad eam.

**E**A autem fit tali formâ, & ritibus huiusmodi. Rogatus Pontifex Romanus, ut aliquem iam vitam functum ascribat in Sanctorum Catalogo, & venerandum, ut Sanctum, decernat: Ille factâ inquisitione de vita, obitu & miraculis canonizandi, quae post mortem edere dicitur, tandem definit, sed mediante magnâ vi auri, canonizationem esse faciendam. Fit igitur post hæc publicum Consistorium, in quo Pontifex cum pluuiali rubeo, & mitra pretiosa residet, & Aduocatus causae longâ oratione proponit vitam, gesta & miracula canonizandi, & demùm supplicat nomine eorum, qui de ea re scripserunt, ealem ascribendum esse à sua sanctitate in Catalogum Sanctorum Christi: utique à cunctis fidelibus pro sancto veneretur decernendum. Pontifex audito aduocato, laudat eius facundiam: dicit libenter se audiuisse tam miranda illius viri praconia: velle tamen super hac re cum fratribus suis maturius deliberare: & sic finitur Consistorium. In alio deinde Consistorio exquirat sententias Cardinalium, & ubi ex il-



DE ORIGINE FESTORVM

lis intellexerit esse omninò eum, de quo fabula agitur, Canonizandum, deliberatur dein de die Canonizationis, postea paratur & constructur suggestus ligneus tantæ amplitudinis in basilica Petri, ut super illum instituat, apteturq; Capella cum altari, Credentijs, throno Pontificali, sedibus Cardinalium assistentium Papæ, Oratorum, Pralatorum, choro pro cantoribus, & locis omnium ordinum Romanæ Curie, ad instar Capellæ Palatii Apostolici à cancellis, & supra quoad formam sedilium, & capacitatem. In eo suggestu sunt duæ sedes Papales, vna eminent ad sinistram partem, & alia est amouibilis. Ascenditur ad suggestum per pontem, cum duplici ostiolo à capite, & in imo: ornatur suggestus in extremitatibus circum circa cum herbis & floribus, & intus cum pannis & tapetis opportunis ornatur ecclesia, & suspenduntur per totum insignia Pontificis, Ecclesiæ, & imago canonizandi, atq; etiam insignia procurantium canonizationem. Fit baldachinum nouum, cum insignibus Pontificis, procurantium canonizationem, & imagine Sancti: ea suspenditur supra altare, vbi Pontifex celebrat. Fit etiam vexillum magnum cum imagine Sancti, quod portatur ante illos qui procurant canonizationem, & ponitur supra ostium supra suggestum. Cùm Pontifex præfinito die venit ad Ecclesiam, ponuntur circum circa super deambulatorium intorticia numero octuaginta, vel circa, sex librarum pro qualibet, quæ ardeant dum fit officium. Paratur cera distribuenda, in primis pro Pontifice duæ ceræ albæ duodecim librarum pro qualibet, pro Cardinalibus quatuor libræ, item pro eleuatione Sacramenti duodecim intorticia librarum sex pro qualibet: pro altari septem ceræ, & duo pro Credentijs duarum librarum. Item pro Offertorio duo magni cerei duodecim librarum, quos offert primus Cardinalis. Item tres cerei sex librarum, quos offerunt tres Oratores, seu deputati cum tribus Cardinalibus. Et omnes cerei supra dicti sunt albi, præter octuaginta intorticia Ecclesiæ. Ordinantur etiam cerei de cera communi pro Pralatis, Oratoribus & magnis nobilibus duarum librarum pro Officialibus & Cantoribus vnus libræ: pro Clero & alijs vt placuerit. Intimatur etiam Clero vrbis, vt summo mane conueniant supplicantes in porticu Ecclesiæ S. Petri.

De his quæ fiunt in die Canonizationis.

**S**Tatutâ igitur die canonizationis Pontifex paratus pluuiali rubeo & mitrâ pretiosâ, cum Cardinalibus, Pralatis & Officialibus paratis processionaliter descendit ad Ecclesiam sub baldachino. In camera paramenti distribuuntur cerei, & ab omnibus portantur accensi. Cùm verò Pontifex peruenerit ad Porticum S. Petri, excipitur ibi à clero vrbis in modum supplicantium parato. Intrat Ecclesiam Pontifex, & ascendit suggestum cum Pralatis & alijs Officialibus: clerus verò suggestum circumstat. Pontifex oratione factâ ante altare, ascendit eminentem sedem, & accipit Cardinales & Pralatos paratos ad reuerentiam. Quâ factâ descendit, & super aliam sedem sibi ante altare paratam sedet versus renes ad altare, vbi facit sermonem, referens quæ gesta sunt, & vitâ ac miracula Sancti in genere. Demùm hortatur omnes, vt secum orent Dominum, ne permittat errare Ecclesiam suam in hoc negotio. Surgit deinde, remouetur sedes, & procumbit super faldistorium cum mitrâ. Cantatur Litania à cantoribus, & nulla fit mentio de canonizando, omnibus in terram genuflexis orantibus. Finitâ Litaniâ Diaconus à dextris surgit, & versus ad populum altâ voce dicit, Orate: iterum genuflectit, & omnes prolixius orant: tum Diaconus à sinistris surgens, eodem modo dicit, Leuate, & omnes surgunt. Tunc Pontifex stans sine mitrâ incipit in voce, Veni creator spiritus, & tam ipse quàm alij omnes genu flectunt ad primum versum. Cantores prosequuntur hymnum, & Pontifex cum mitrâ ascendit ad sedem eminentem, & mitrâ depositâ expectat finem hymni: quo completo, duo cantores dicunt versum: Emitte spiritum tuum & creabuntur: & alij respondent, Et renouabis faciẽ terre. Tum Pontifex, Oremus: Deus, qui corda fidelium S. spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodẽ spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere, per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum &c. Tunc procurator cause instanter petit à Pontifice nomine procuratorio, pronunciari & declarari N. N. in Sanctorum Catalogum ascribendum, & vt sanctum venerandum à Christi fidelibus.



fidelibus. Post hæc Pontifex altâ voce, sedens tamen cum mitra, pronunciat in hunc modum: Ad honorem sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, & exaltationem fidei Christianæ, ac Catholicæ religionis augmentum, auctoritate eiusdem Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritûs sancti, & beatorum Apostolorum Petri ac Pauli, & nostrâ, de fratrum nostrorum consilio & assensu speciali decernimus & definimus, bonæ memoriæ N. N. in cœlesti Hierusalem inter beatorum choros iam receptum, æternæque gloriæ condonatum, Sanctum esse, & Sanctorum catalogo adscribendum: ipsumq; catalogo huiusmodi adscribimus, statuentes, vt ab vniuersali Ecclesia anno quolibet, in mense N. & die tali festum ipsius, & officium sicut pro vno Confessore (si sit Confessor) vel Martyre (si sit Martyr) deuotè & solenniter celebretur, & ab eo suffragia à Christi fidelibus implorentur & expectentur. Insuper eadem quoq; autoritate omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui annis singulis ad sepulturam eiusdem in tali deuoti accesserint, vnum annum & 40. dies: accedentibus verò annis singulis in octauas dicti festi ad sepulturam quadraginta de iniurijs sibi pœnitentijs misericorditer relaxamus.

Quibus finitis, procurator fiscalis rogat Protonotarios, &c. de protestatione facta per Papam, & procurator causæ simpliciter rogat de solenni pronuntiatione canonizationis, & petit instrumentum, & à Papa decerni Bullas super his opportunas. Et mox surgit Papa sine mitra & incipit, Te Deum laudamus, & chorus ad finem vsq; prosequitur. In illius fine Cardinale Diacono à dextris in cantu dicente, Ora pro nobis beate N. N. & choro respondente, Vt digni efficiamur promissionibus Christi, Papa illicò propriam orationem de eodem Sancto altâ voce decantat, dicens: Seruitutis nostrę tibi Domine iura soluētes, quæsumus, vt beati N. N. patrocini suffragante in nobis tuâ dona multiplices, & ab omnibus tuearis aduersis, per Christum Dominum nostrum. Finitâ oratione Diaconus à dextris stans ante Pontificem, dicit altè: Confiteor Deo omnipotenti, &c. & post Apostolos nominat sanctum N. N. & Papa sine mitra cruce suâ presente dicit, Precibus & meritis, &c. & in fine dat indulgentias omnibus officio tunc assistentibus.

His finitis, Pontifex incipit Terciam, & accipit sandalia, vel si magis placet, dimissâ Tertiam accipit paramenta omnia pontificalia, & canit Missam solitis ceremonijs, vel de Sancto illo: vel si aliqua solennitas esset, cantat de die cum commemoratione de Sancto: & si non pesseret, aliquis Cardinalis celebrat pro eo. Dum cantatur Credo, tres Cardinales Commissarij descendunt ad portam inferiorem suggestus, & ordinant Offertorium: & postea antequam Papa lauat manus in sede eminenti, veniunt ordinatè. Et primus, id est, Episcopus Cardinalis offert duos magnos cereos, & cum eo primus Orator offert cereum suum, & canistellum deauratum cum turturibus: Tum presbyter Cardinalis offert duos magnos panes cum mappulis, & secundus Orator cereum suum, & canistellum argenteum cum duabus columbis albis: vltimò Diaconus Cardinalis offert dua vasa vini: & tertius Orator suum cereum, & canistellum diuersorum colorum cum varijs auiculis. Cardinales osculantur genu, alij pedem summi Pontificis: proceditur deinde in Missa, vt aliàs. Desumpta hæc sunt partim ex libro 1. Ceremoniarum Rom. Ecclesiæ, Sect. 6. partim verò ex Bulla super Canonizatione Francisci de Paula à Leone X. edita, quæ extat apud L. Surium tomo 2. de vitis Sanctoum.

Hac autem deificatione septem honores Sanctis mortuis tribuuntur, vel ipsis Iesuitis vestibus. PRIMVM enim inscribuntur in Catalogo Sanctorum, id est, statuitur ac iubetur, vt ab omnibus publicè habeantur & dicantur Sancti. SECUNDO, inuocantur in publicis Ecclesiæ precibus. TERTIO, templa, & aræ in eorum honorem instituuntur. QUARTO, sacrificia tam Eucharistiæ, quàm laudum & precum, quod vulgo officium, siue horæ canonicæ nuncupatur, in honorem eorum publicè offeruntur. QUINTO, dies festi in eorum memoriam celebrantur. SEXTO, pinguntur eorum imagines, addito certo quodâ lumine in signum gloriæ, quam habere creduntur in cælis. SEPTIMO, eorū reliquia pretiosis thecis includuntur, & publicè honorantur.

Circa annos verò Christi 1000, ritus hic canonizandi Sanctos, nondum in usu fuit, sed hic pō

In canonizatione Sanctorum 7. honores eis tribuuntur.

Ritus canonizandi antiquus



DE ORIGINE FESTORVM

ritus, ut super corpus Sancti altare construeretur, ut Baronius ipse testatur Tom. 11. *Annal. ex Petro Damiani paginâ 91. Verba Baronij hæc sunt: S. Romualdum in Sanctorum numerum adscriptum quinquennio post eius obitum eo tantum ritu, qui tunc erat in usu, nempe, ut petentibus concederet Apostolica Sedes super corpus eius altare construere. Petrus Damiani affirmat in Ro. c. 79. apud Surium Tom. 3. die 19 Junij his verbis: Post quinquennium verò à Sancti viri obitu datâ Monachis ab Apostolica Sedelicentiâ, ut super venerabile corpus eius altare construeretur. Sic & idem Petrus in epistola ad Henricum Archiepiscopum Ravennatem c. 29. de alijs etiam refert, qui hoc eodem tempore vixere, supra quorum corpora altaria sunt erecta atq; de super sacrificia immolata, ut fuere Romaldus Cameriniensis, Amicus Ratisponensis, Guido Pomposianus, Firmanus Firmensis, &c. ut est videre Tom. 3. Biblioth. S. Patrum.*

Canonizationes sanctorum fiunt ad morem Ethnicum.

Ritus autem hodiernus canonizandi Sanctos, fit planè ad morem & consuetudinem Ethnicam. Apud gentes enim mos hic fuit antiquissimus, & consentiens observatio, ut eximios præclarosq; viros, qui obuiam eundo periculis, Reipub. auxissent, ob egregia facinora, & eximia beneficia patriæ, ciuibus aut cunctis mortalibus exhibita, in Deorum sedes receptis consecrarent, & in cælum tollerent, illisq; diuinos honores, & humano fastigio ampliora discernent: templaq; flamines, puluinaria, aras ac sedes immortalitatis exhiberent. Hac præmia & honores clarorum virorum Plinius lib. 2. cap. 7 Cicero lib. 2. de Natura Deorum, Eusebius de præp. Evangelica lib. 2. cap. 9. recensent. Ob id Ægyptij Bacchum, quòd vites plantasset: Osiridem, quòd ex hordeo zythum decoquere: Proserpinam, quòd ex frugibus Siculos pinsere panes docuisset: Isisdem, quòd morborum medicamenta reperisset, eaq; per somniam ægrotis suggessisset, in Deorum numerum retulerunt, & ut sacrosancta numina venerati sunt. Nec hominibus modò, sed belluis, crocodilo, felibus & cercophythis hunc honorem detulerunt: quorum exemplo aliquid quod homini vel ad vitæ, aut agrorum cultum vsui foret, reperissent. Herculi Thebano Menenius Actoris filius, annua in Opunto sacra instituit: mox eum Athenienses inter Deos retulerunt: secutus inde cetera Græciæ, aliarumq; gentium consensus, Sabellius lib. 6. Enne. 12. Imò Græci propter beneficia viuentes etiam cælo consecrârunt, & immortalitate donare consueverunt. Sicut de Platone & Agesilao legimus, atq; alijs, qui in cætu cælestium recepti, in vita diuinos honores meruere, illisq; certamina, ludos & sacra anniuersaria dicârunt, tanquam numinibus: illis præsertim qui tyrannos exegerunt, aut vindices libertatis fuerunt: hi tanquam mortale fastigium egressi omnium consensu in consilio cælestium asciti, pro Dijs haberi & coli cæpti sunt. Thuisconem Germanorum regem præsci communi omnium suffragio, ob miraculum sapientia & bonitatis, sicut indigetem & Dei interpretem ac nuncium, consecrârunt, eundemq; pro Deo habere cæperunt. Martem quoq; eius Nertham, hoc est, terram, ex qua editum crediderunt, numinibus ascripserunt. Rhodij obsessi per annum à Demetrio Poliorcete, Ptolemaeo, quòd tum opem eis tulisset, soluta obsidione, delubrum in vrbe quadrangulum extruxerunt, & diuinos honores detulerunt.

Romani suos Imperatores canonizarunt.

Romani autem præcipuè suos Imperatores, quorum operâ & virtutes eorum creuerunt, post funera immortalis honore consecrârunt, & in Deos receperunt, qui ob æternam gloriam Dei indigetes dicti sunt: Alex. ab Alexandro lib. 6. cap. 4. Sic Iulius Cæsar post mortem in Deorum numerum relatus est, non ore modò decernentium, sed & persuasione vulgi. Siquidem ludis, quos primò consecratos ei hæres Augustus ædidi, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa vndecimam horam. Creditumq; est, animam esse Cæsaris in cælum recepti: Suetonius. Nero Claudium patrem apparatusimo funere elatum laudauit, & in Deorum numerum referre præcepit, multis ei decretis cælestibus honoribus: Cuspinianus. Cyrixeni Adrianum Imperatorem tredecimum esse Deum promulgârunt. Sed & ipse Adrianus suum amasium Antinum in numerum Deorum retulit. M. Antonino Philosopho mortuo diuini honores ab omni sexu, ordine & ætate habiti. Populus, senatusq; propitium Deum dixit, eoq; processit vana persuasio, ut pro sacrilego haberetur, qui defuncti imaginem non domi coleret. Templum publicè constitutum: flamines, sodalesq; dati: Sabellius lib. 4. Enneadis 7.

Ritus



Ritus autem, quo consecrabantur seu canonizabantur Imperatores, ab Herodiano libro 4. ita ferè describitur. Defunctum vitâ corpus sumptuoso funere verè sepeliunt. Postea verò imaginem defuncto quàm simillimam fingunt, eam in Regiæ vestibulo locant supra eburneum lectum auro stratum: recumbitq; pallida effigies in modum ægrotantis. Circa lectum maximam diei partem assidet Senatus omnis ad læuam pullis vestibus amictus, ad dexteram lectæ ex omni nobilitate matronæ in albis vestibus: is enim color lugubris fuit in muliere olim, omni alioqui ornatu detracto. Id septem diebus defuncto datur, medicis velut adhuc spirantem interuisentibus, denunciabantibusq; in dies morbum ingrauescere. Ad postremum, quasi tum demum vitâ defunctum equestris senatorijq; ordinis iuuenes per viam Sacram in forum deferunt, lecto in rostris deposito. Pueri puellæq; patricij generis, composito ab utraq; parte cœtu hymnos in defunctam canunt flebili carmine emodulatos. Deinde eburneo lecto cum effigie ex foro in campum Martium translato, ingens ibi suggestus, quadratâ formâ ligneâ tantum materiâ contextitur, multis gradibus in Phari speciem fastigio assurgentibus. Singuli auro & purpurâ instrati, signis ex ebore factis, varijsq; picturis insigniter excoluntur, ac quo altiores illi minusq; patentes, eò minores his imagines prominebant. Interiùs est moles aridis referta tomibus, effigie secundo gradu collocatâ, omnibusq; adorationum generibus omnifariâ admotis, quæ certatim à tota ciuitate eò congeruntur. Nobilissimi iuuenes equestris ordinis trabeati tabernaculo obequitant, motu quodâ pyrrichio, solenni q; decursu. Circumaguntur & currus, quibus insident rectores personas illustrium principum gerentes: ac tum demum ab imperij successore face admotâ circumfusa multitudo ab imis partibus molem incendit, ac simul ignis cœpit inualescere, ex ædificij fastigio aquila emittitur, quæ principis animâ in cœlum ferre putatur. Qui per hæc cōsecratus esset, inter Deos colebatur. Sic Herodianus. Eadem referunt Alex. ab Alexandro lib. 6. c. 4. Polydorus Vergilius de Inuent. lib. 6. c. 8. & Auentinus lib. 2. Annal. in vita Antonini Pij.

Ritus Canonizandi Imperatores Romanos.

Hanc canonizandi consuetudinem & rationem posteritas sumpsisse videtur ex Cesaris Dictatoris funere, cuius forma non multum ab ea diuersa fuit. Sabellicus lib. 5. Enne. 7. Inde autem effectum, quemadmodum etiam apud Christianos postea, ut tam numerosa Deorum phalanx & caterua, de qua Plinius lib. 2. cap. 7. Eusebius lib. 5. cap. 3. Lactantius etiam & Tertullianus, ab Ethnicis conscripta sit, quæ immensas Xerxis Persarum regis copias excederet, quarum equos flumina exhausisse, milites spiculis seu telis vnâ arcu extortis solem aut eius iubar umbrasse, historia Græcorum testantur.

Multitudinis Deorum Ethnicorum causa.

Porro Canonizatio eiusmodi Pontificia non modò Ethnica, sed etiam institutum admodum præsumptuosum est: quasi cœlitibus aliquid accedat aut decedat mortalium auctoritate & suffragijs. Auentinus lib. 2. Annal. in vita Antonini Pij, miratur Ethnicos tam dementes fuisse, ut diuinitatem, quam mortales stultissimi non possidebant, sese tribuere alijs posse opinarentur: & tam stolidos extitisse, qui istis ineptissimis ludibrijs cœlum aperire crederent. Nos verò multò magis miramur, Christianos in tanta luce verbi Dei & Euangelij tam dementes & stolidos esse, ut in eadem opinione sint cum Ethnicis. Imò stultitia hæc Græca & Romana creandi Deos irrita est etiam olim etiam ab ipsis gentilibus: ac sapientissima est in hac re Agesilai sententia, qui, cum Thasij illum viuentem inter Deos retulissent, dixisse fertur: Si Deos faciendi potestatem haberent, prius seipsos Thasij Deos facerent, postea demum Agesilauum quoq; Deificarent.

Canonizationes Sanctorum præsumptuosæ.

Agesilai prudens dictum.

Tertiò, in hac Apotheosi seu Canonizatione facile potest errari, ita ut damnati sæpè Sancti pronuncientur, & pro beatis colantur: sicut accidisse scribit Sulpitius tempore Martini: quum enim populus quidam coleret nescio quem pro martyre, tandem manifestatum fuit, latronem quendam fuisse, qui ob sua scelera extremi supplicij penas luisset. Vnde etiam D. Hierony-

In Canonizationis sanctis errari potest.



DE ORIGINE FESTORVM

in *Ecclesiast. cap. 8.* se vidisse impios cum tali opinione mortuos, & sic sepultos, ut sancti aestimarentur in terra, qui etiam dum viuerent, habiti sint Ecclesiae principes. Sic in *Martyrologio Rom.* inter Sanctos numeratur & pro tali colitur *Dionysius Alexandrinae Ecclesiae Episcopus*, qui sub *Gallieno Imp.* vixit, quem tamen *S. Augustinus* in libro de *Catholicis dogmate cap. 3.* appellat fontem *Arianorum*. Et *S. Basilus ad Maximum philosophum epistola 41.* in eandem sententiam haec de eo scribit: Non omnia viri huius laudamus; sunt quae prorsus etiam damnamus. Ipse propemodum, quantum nobis liquet, primis hominibus impietatis illius *Arianianae*, quae iam passim obstrepit, seminaria praebuit, &c. Et *D. Augustinus* quodam in loco scribit, Multorum corpora honorari in terris, quorum animae torqueantur in gehenna. Quapropter eodem iure Christiani reprehendi & irrideri possunt, quo *Graeci à Nicephoro lib. 10. cap. 36.* ubi inquit: *Graecos* pudore potius affici conueniebat, ut qui homines multos in Deorum numerum retulerunt: atque eos quos nam quæso? Optandum sanè esset iustos eos & temperantes, aut aliter morum integritate probatos fuisse. Verùm contraria omnia in eis reperiuntur: quippe qui iniustitiâ, ebrietate & stupris probrosis vitam transegerint. Declarat hoc *Hercules, Dionysius & Æsculapius*: per quorum numina dum *Libanius* continuè in libris suis iurat, non erubescit tamen.

Carolus M. canonicationes damnat.

His igitur alijsq; de causis *Carolus M. Imp.* quoq; hanc canonizandi, siue homines in Diuorum numerum referendi consuetudinem non iniuriâ grauius damnat. Nam *lib. 1. cap. 3.* contra imaginum cultum, quo *Irenem & Constantinum Imp.* reprehendit, quod gesta siue scripta sua *Diualia* nuncuparint, & pluribus docet Diui nomen non nisi Deo, aut ijs, qui falso *Dij* existimantur, tribui. Verba eius animaduersione dignissima haec sunt: *Mundana* quarundam artium inventores & urbium conditores, vel sceptrata imperialia retinentes, post mortem, in deos credebantur transferri, & diui vocabantur, & simulachra illorum dijs nuncupabantur. Mendax nomen Diuale non immeritò est, quod peccatores pro suis meritis aeternis supplicijs mancipatos diuinitatem asseruere nititur esse adeptos. Cesse igitur, cesse falsi nominis ambitio, destituatur antiqui erroris vestigium, fatelcat caecae superstitionis vocabulum, abdicetur proci nominis supercilium, pellatur à fidelibus in diuos transferendorum hominum gentile mendacium. Iam veritas de terra orta est, iam ortus est fidelibus *Sol iustitiæ*: iam qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, iam habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est. Omnia falsa, veritate veniente cessata sunt. Nam si falsorum deorum gentilis opinio falsa est, post mortem in diuos transferendorum hominum fabula falsa est, diualis nominis nuncupatio vana est. Si igitur falsorum deorum gentilis opinio falsa est, diualis quoque nominis appellatio vana est. Licquidò ergo patet, rem falsam falsum nomen habere, & falso nomine eos, qui veritatis discipuli sunt, nuncupari debere. Nam etsi qui fortè catholici defunctos quosque diuæ memoriæ nuncupasse vsquam reperiantur, manifestum est, eos vsum fuisse secutos gentilitatis, & vanitatis. Sed haec & his similia Romana potius ambitio, quam Apostolica admisit traditio. Nos denique qui & veritatis sectatores, & ab ipsa veritate redempti sumus, sicut spreuimus gentilium deorum mendacium, spernere debemus gentilia vocabula, *Apostolo* docente, qui ait: Quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad *Belial*? A qua conuentione, ipso annuente, liberemur, qui nos ereptos de tenebris & umbra mortis, transtulit in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem in remissionem peccatorum.

*Pasquillus* quoque marmoreus, qui, quo *Lucillus* olim officio *Roma* functus est, eodem fungitur hodiè; indignè ferens, fatuos, indoctos, impuros & vix Christiani nominis dignos *Episcopos & Cardinales à Pontificibus* creari, *Papam* his verbis offensus est, Optimè



Optime Pontifex galerum roganti  
 Pasquillo huic tribuas roganti  
 Si imbecille sum a q̄ rude marmor:  
 Complures quoq̄ Episcopos creari  
 Ipso me mage saxeos videbis,

*Ex huiusmodi Episcopis & Cardinalibus multos Sanctos Canonizant Pontifices.*

*Superstitionem tamen hanc Ethnicam Bellarminus aliquot rationibus & argumentis defendere conatur, tanquam rem vtilem & necessariam. Primò dicit: Deum ipsum voluisse à sanctis scriptoribus annotari gloriosam vitam & mortem suorum seruatorum. Probat hoc ex Ecclesiastico qui cap. 44. & aliquot sequentibus laudat & ad cælum vsq̄ extollit sanctos plurimos, Enochum, Noe, Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Mosem, Aaronem, Phinees, Iosuaam, Calebem, Samuelem, Dauidem, Heliam & alios. Sanctum quoq̄ Lucam in Actis canonizasse vult Stephanum, Iacobum, Petrum, Paulum, Barnabam, Silam & similes: Credibile igitur esse, eodem modo Deum velle, vt deinceps etiam fiat. Respondeo, pro paribus hic sumi à Iesuita, qua sunt imparia. Quum enim Ecclesiasticus, Lucas & alij laudent fideles Dei seruos, non eos canonizant pontificio more & consuetudine: sed extollunt tantum eorum fidem & similes virtutes: non iubent illos in publicis Ecclesiæ precibus inuocare, templa & aras in eorum memoriam exstruere, eis sacrificia offerre, dies festos in memoriam eorum celebrare, imagines eorum pingere, deniq̄ eorum ossa, aliasq̄ reliquias eorum preciosis thecis includere, & publicè honorare: qui honores omnes creaturis mortuis in canonizatione pontificia tribuntur & decernuntur: sed dehortantur potius sancti illi scriptores omnes & singulos ab his, similibusq̄ idololatricis cultibus. Quantum itaq̄ cælum à terra distat, & Oriens ab Occidente, tantum differt sanctorum illorum scriptorum factum, à canonizatione ista pontificia.*

*Secundò dicit, Scripturam præcipere, vt Sanctos honoremus & laudemus. Respondeo, hoc nos non negare, est enim quasi naturale præmium virtutis honor: & Ecclesiasticus dicit 44. cap. de Sanctis, sapientiam eorum narrent populi, & laudem eorum nuntient Ecclesiæ. At non inde sequitur, Sanctos canonizandos, hoc est, cultus illos idololatricos, quorum modò meminimus, in eorum honorem instituendos, qui in pontificia canonizatione eis decernuntur. Quasi Scriptura genus tantum tradat (Sanctos esse honorandos) nobis verò liberum relinquat excogitare qualescunq̄ cultus: & quasi omnia, quæcunq̄ sint, & quomodocunq̄ fiant, modò fingantur in honorem Sanctorum fieri, Deo placeant, etiamsi honor soli Deo debitus, ad Sanctos transferatur. Honorandi sunt à nobis sancti Dei serui, verum non eo modo quo à Pontificijs honorantur & coluntur, sed vt sacra litera præcipiunt. Hoc pacto Smyrnensis Ecclesia honorauit & coluit Polycarpum Martyrem. Cum enim Ethnici dicerent, Smyrnenses reliquisse suum crucifixum Christum, & eius loco iam Polycarpum colere, hanc ignominiam ita diluunt: Christum, aiunt, nunquam possumus deserere, quippe qui mortem pro totius mundi salute sustinuit. Addunt, Non possumus alium quenquam colere, quoniam solum Deum, & qui solus colendus sit nouimus. Quomodo ergò Polycarpum & alios sanctos honorârunt & coluerunt? Ad hoc ita respondent: Martyres, vt Domini discipulos veneramur ac diligimus, veluti eos qui magistro ac Domino fidē seruârunt, optamusq̄ in fide & constantia illorum fieri consortes. Deniq̄ causam subiiciunt ob quam Polycarpi ossa collegerint: non equidem vt preciosis thecis includerent, & publicè honorarent, sed vt ex more concederent & sepelirent. Augustinus etiam contra Faustum Manichæum egregiè docet, quomodo Sancti à nobis sint honorandi & colendi. Colimus, inquit, martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, &c. Et mox: At illo cultu qui Grecè λατρεία dicitur, nec colimus, nec colendum docemus, nisi vnum Deum. Quū autem ad hunc cultū pertineat Oblatio sacrificij, vnde idololatria dicitur eorū qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendū præcipimus, vel cuiquā martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquā sancto angelo; & quisquis in hunc errorē delabitur, coram*

Bellarmini argumenta pro canonizationibus, & ad ea responsiones,

Ecclesiastici locus 44. cap. explicatur.

Sancti quomodo à nobis colendi.



ripitur per sanam doctrinam, siue vt corrigatur, siue vt caueatur. Ipsi enim sancti vel homines, vel angeli exhiberi sibi nolunt, quod vni Deo deberi norunt, &c. *De Ciuit. Dei cap. 10. id ipsum significantius docet: Nos, inquit, martyribus nostris non templa, sicut Dñs, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorū apud Deum viuunt spiritus, fabricamus. Nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed vni Deo & martyrum & nostro sacrificium immolamus: ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à sacerdote qui sacrificat inuocantur, &c. Quibus vique longè alia ratio docetur honorandi Sanctos, quàm ea quæ in canonizationibus pontificijs obseruatur.*

3. Tertiò, probat & defendit Iesuita canonizationes ex ratione imitationis. Sancti, inquit, sunt exempla quædam virtutum, quæ imitari nos conuenit. At non possumus accendi ad imitationem, nisi sciamus qui sint imitandi, quid illi egerint aut passi sint: id quod fit per canonizationem. Respondeo, Spiritum S. ob oculos posuisse nobis in verbo Dei eos, quorum virtutes imitari debemus, vt hac in parte demonstratore & doctore Pontifice Rom. opus non habeamus, qui plerunq; in suis canonizationibus idololatrias & supersticiosos homines ad imitandum proponit. Deinde, si in ædificationibus istis Papisticis virtutes tantum vitæ sanctorum recitarentur, & ad imitationem proponerentur, ferri aliquo modo illæ possent. At hoc non fit, sed simul eis quoq; decernuntur diuini honores, videlicet templa & ara: inuocatio: sacrificia: dies festi: reliquiarum etiam veneratio & cultus.

4. Quartò, probat ex coniunctione, quàm cum sanctis mortuis habemus. Sumus, ait, membra vnius corporis, & membra inuicem compatiuntur & congaudent: oportet ergò eos nobis compati, & pro nobis sollicitos esse: & è contrario nos illis congaudere, & pro illorum gloria Deo gratias agere: sed hæc sine particulari notitia fieri non possunt. Hic quæro à Iesuita, vndenam sit (si est aliqua) illa sanctorum in cælis compassio & sollicitudo pro nobis? Si dicat ex canonizatione, vt in hoc argumento velle dicere videtur, sequitur non canonizatos nobis non compati, nec pro nobis sollicitos esse: at contrarium docet alijs in locis. Deinde quantum ad nos, si propterea sancti canonizandi sunt, vt illis congaudere possimus, & pro illorum gloria Deo gratias agere, sequeretur omnes homines qui moriuntur in vera fide, & regni cælestis heredes fiunt, canonizandos esse, hoc enim officium cunctis fidelibus præstare tenemur. Vnde intelligitur rationem hanc nullam esse.

### De origine Canonizationis, & cuius sit Canonizare.

Inquisitio olim de martyribus simplex fiebat.

**H**Æc verò Canonizatio ignota fuit veteri & Apostolica Ecclesiæ, quin etiam Patribus vltra annos 800. Peruersus fuit mos et Cypriani tempore receptus ac usurpatus, vt cum aliquis martyrio occubisset, Episcopus seu Pastor sub cuius ditione id accidisset, rem gestam totam ad Primatem Episcopum scriberet, à quo maturè, adhibitis in consilium collegis Episcopis, diligens inquisitio & discussio fiebat, non quidem, an in Catalogum & numerum Sanctorum seu Diuorum referendus, eiq; diuini honores & cultus exhibendi, vt hodie fit, sed tantum, an inter martyres recipiendus esset? Huius rei ritum ac ordinem satis monstrant ea, quæ S. Augustinus in Breui. Collat. dicit 3. cap. 13. scribit, quòd Secundus Tigistanus Episcopus in Numidia scripsit ad Mensurium Episcopum Carthaginensem de his qui in ea prouincia tunc feliciter martyrio occubissent, propterea quòd sacros codices iuxta Diocletiani edictum tradere nolissent: quos omnes martyrum honore dignos esse ille rescripsit.

Hæc inquisitio de martyribus necessaria.

Erat autem huiusmodi inquisitio de Martyribus pernecessaria, quoniam & hæretici atq; schismatici aliquando pro Christi nomine à persecutoribus tormenta pati videbantur & mortem: & quidem in ipsis ferè nascentis fidei exordijs, cum omnia martyrum sanguine redundarent, teste Eusebio lib. 4. c. 14. & lib. 5. c. 15. & lib. 8. c. 20. & D. Augustinus de Donatistis idem sæpè



sapè refert: quos omnes, vt alienos à fide & communione catholica, vera Dei Ecclesia respucere consuevit: cum ex sententia Cypriani, Augustini, omniumq; Orthodoxorum, quicquid aliquis extra Ecclesiam patitur, non martyrium censendum, sed pœna perfidiæ dicenda sit.

Progressu verò temporis, vt omnia in deterius ruunt, Metropolitanus aliq; Episcopi, penes quos hanc inquisitionem ab initio fuisse diximus, multos declararunt esse martyres, qui non propter Christum, sed alias causas passi sunt. Sic Angli Elphegum pro martyre habuerunt, cum non ob fidei confessionem, et veritatis testimonium, sed propterea tantum casus sit, quòd barbari aurum, quod poscebant, apud ipsum non inuenissent, vt refert Edinerus in vita Anselmi. Illos etiam, quos Imperatores Rom. Romanorumq; magistratus iniuste damnasset, habitos fuisse martyres, Ammianus Marcellinus scribit lib. 27. dum Eupraxij ad Valentinianum Imp. verba refert. Idem etiam tradit de Diodoro & Diocle iniuste necatis, quòd Mediolani illorum, tanquam martyrum, memoriam coluerunt.

Post aliquot annos vltcrius progressi sunt Episcopi, ac in suis diœcesibus & prouincijs quos voluerunt Sanctos pronuntiarunt, & diuinis honoribus colendos decreuerunt, qui tamen alijs prouincijs penitus ignoti fuerunt. Sic canonizauit, & in catalogum Diuorum, Diuarumq; rescripsit Odogerus Episcopus Eichstadiensis Vualpurgam Abbatissam Heydenheimensem, circa annum Domini 870. Surio & Molano testibus. Bertulphum abbatem quendam canonizauit eiq; festum diem celebrem constituit eius loci seu diœceseos antistes, in qua sepultus fuerat, teste Surio de Vitis Sanctorum tom. 1. pag. 886. circa annos Domini 1073. Ad eundem modum Leo Papa 3. post annum 800. Suibertum Vuerdensem Episcopum canonizauit. De quo sic scribit Ludgerus tomo 2. c. 9. Surij: Tandem, inquit, deuotâ instantiâ Caroli (Magni) & Hildebaldi Archiepiscopi Coloniensis, venit à Colonia idem Papa Vuerdam, & ibi post alias solennitates S. Suibertum solenniter Catalogo sanctorum Confessorum adscripsit pridie Nonas Septemb. De hac canonizatione sic scribit Bellarminus tomo 1. col. 2014. Primus Pontifex (ni fallor) qui Sanctos legatur canonizasse, videtur fuisse Leo 3. Papa. Et mox: Hanc primùm legi solennem Canonizationem, ante quam fortasse fuerunt etiam aliæ, sed non mihi constat.

Sequuti sunt Pontifices Romani aliq; qui, vt alia multa, Canonizationes Sanctorum ad se rapuerunt, sibiq; solis vendicauerunt, prohibentes, ne deinceps aliquis pro Sancto coleretur, sine Romani Pontificis canonizatione, approbatione & licentia. Decreuit hoc Alexander 3. vt esse videre libro 3. Decretal, tit 45. c. 1. Audiuimus. Item, Extra de Reliquijs & Venerat. Sanctorum cap. 1. & 2. extra de Testamento venerabili. Referunt etiam Durandus in Rationali libro 7. cap. 1. Balæus & Cranzius in Metrop. libro primo capite 25.

Marsilius Patavinus autem in Defensore Pacis parte 2. c. 21. censet, auctoritatem canonizandi Sanctos soli Concilio generali fidelium committendam esse: hoc enim priuata personæ cuiuscunq; dignitatis aut conditionis sit, vel collegio particulari cuiquam competere non posse: Id probat primò ratione à periculo sumpta: Possent, inquit, peruersus Episcopus hac potestate fretus quosdam pronuntiare sanctificatos, vt ipsorum dictis aut scriptis suas roboraret opiniones peruersas in perniciem aliorum. Secundò exemplo Gregorij 4. Papæ, qui ex assensu Ludouici Imp. & omnium Episcoporum instituit, vt festum omnium Sanctorum celebraretur, vnde etiam de consimilibus omnibus similiter sentiendum. Tertio, à causa impellente, quòd olim hæc potestas Papæ concessa fuerit, nimirum, propter ipsorum vitæ sanctitatem, & doctrinæ sufficientiam: nunc verò Pontifices Rom. plerunq; profanos & indotos esse.

In hoc verò, vt in alijs multis, egregiè Ethnicos imitantur, apud quos Pontifices Maximi soli solebant decreta facere de constituendis religionibus, de ferijs, de Dijs &c. Gellio teste lib. 2. cap. 28. Lege quoque apud Romanos sancitum erat, ne quis pro Deo coleretur, qui non à Senatu Rom. canonizatus & in numerum Deorum relatus esset. Vnde quum

Pro martyribus quidam habitus, qui non propter Christum passi sunt

Episcopi quosuis Sanctos pronuntiare incipiunt

Pontifices Romani canonizationes Sanctorum ad se rapuerunt

Cuius sit Canonizare Sanctos



DE ORIGINE FESTORVM

Tiberius Caesar ad Senatum retulisset, cum prerogatiua suffragij sui, vt Christus pro Deo reciperetur, Senatus hanc vnam ob causam id respuit, quod ipse non primò ante Imperatorum rem ea de re appellatus esset: Auentinus lib. 2. Annal. & Alexander ab Alex. lib. 6. c. 4.

An Papa Romanus in Canonizationibus Sanctorum errare possit?

Papam errare posse.

PRæterea quidem Romani Pontifices abusus & errores, qui circa particulares istas canonizationes interdum acciderunt, sic, vt sæpè damnatos pro beatis, & facinorosos pro sanctis coluerint. Respondeo, hoc ipsum quoq; de Pontifice Romano dici posse, nimirum, in canonizatione sanctorum eum sic errare posse, vt sæpè facinorosos pronuntiet sanctos, qui deinde ab alijs pro beatis & sanctis colantur. Nam in genere Pontificem Rom. labi, errare falli ac decipi posse more omnium hominum, etiam saniores inter ipsos Papistas ingenuè faßi sunt. Apud Gratianum Causâ 24. q. 1. c. A recta. Glossa dicit, Certum est quod Papa errare potest: & probat hoc ibidem ex distinct. 19. c. Anastasius Lyranus in Matth. 16. c. dicit aperte, Inuentos multos summos Pontifices apostatasse à fide. Non dicit, Inuenti sunt pauci, sed multi; nec dicit, eos simpliciter errasse, sed apostatasse à fide. Gerson in lib. de Potest. Eccles. & in lib. An liceat in causa fidei à Pontifice appellare, dicit: Tam Papa, quàm Episcopus deuiabiles sunt à fide. Nota quod dicit, Tam Papa, quàm quiuis alius Episcopus. Patres Concilij Basiliensis in epistola Synodali 3. dicunt; Certum esse, Papam errare posse: & se sæpè expertos esse, & legisse, Papam errare: & errare Papam sæpè contingere, & contingere posse; et, experientiam hoc demonstrare: Cardinalis Cusanus lib. 1. c. 15. Concor. Cathol. scribit, Papam hæreticum esse posse. Alphonsus de Castro sic scribit lib. 1. c. 2. contra hæres. Papa in fide errare potest, vt melius sentientes tenent, etiam ex his qui Papatui plurimum fauent, inter quos est Innocentius eius nominis quartus Pontifex, in cap. 1. de Summa Trinit. Et lib. 1. c. 4. dicit, Se non credere, aliquem esse adeò impudentem Papæ assentatorem, vt ei tribuere hoc velit, vt nec errare, aut in interpretatione sacrarum Scripturarum hallucinari possit: & hoc probat postea ibidem, Quia constat, inquit, plures eorum adeò illiteratos esse, vt Grammaticam penitus ignorent. Hæc ille, quæ tamen in posteriore editione Iesuita castrârunt & detruncârunt nefariè.

Ex his omnibus colligo, si Papa potest hæreticus fieri, apostatate, & in multis errare, ergo etiam in Canonizatione potest multò magis errare: & hoc ipso facto probari potest. Nam vt plures alios omittam, Clementem Dominicanum monachum parricidam & interfectorem Regis sui canonizauit Papa, & ob hoc parricidium in numerum Diuorum retulit.

Papa errat in canonizatione hominum.

Ad hæc, eo ipso errat quoq; Papa, quod homines canonizat, eos in numerum Sanctorum referi, & diuinos honores eis tribuit. Nam sanctitatem aliquam homini impartiri, nullius hominis, sed solius Dei opus est, habere etiam aut iudicare aliquem pro Sancto non in hominum arbitrio, sed in Spiritus sancti iudicio positum est, quod in verbo Dei, expressum habemus: Mulò minus licet cuiquam homini, tanquam Deo, diuinos honores & cultum religiosum tribuere ac decernere.

Ex his omnibus infero cum Melchioris Cano Pontificio in Loc. Theol. c. 5. & 6. Conclus. 3. Si Pontifex in hoc errat, certè non erit absurdum Diuorum cultum omnem ab Ecclesia explodere.

Rationes Bellarm. Papam in canonizatione non errare.

Bellarminus autem tomo. 1. eolum. 2015. & seq. probare conatur, credendum esse, Pontificem non errare in Sanctorum canonizatione. Ratio eius PRIMÀ hæc est: Si liceret dubitare, an Sanctus canonizatus sit sanctus, liceret etiam dubitare an sit colendus. At hoc est falsum. Ergo & illud. Respondeo, vtrumque propositionis membrum falsissimum esse. Primum, ob enumeratas causas, quod Papa in Canonizatione possit errare, decipi ac labi. Deinde, quod nemo homini sanctitatem & diuinitatem quandam tribuere & impartiri potest: Cur igitur



igitur non dubitare liceret, an Canonizatus à Papa sit sanctus & Diuus? Alterum, quòd sine magno idololatriæ crimine homines Canonizatos non eo modo colere & venerari licet, vt Pontificij volunt, nimirum templorum & alearum exstructione, adoratione, & inuocatione in omnibus necessitatibus & festorum institutione: hi enim honores nulli creaturæ, sed soli Deo debentur: iuxta illud Deuter. 6. & 10. Dominum Deum tuum adorabis & ei soli seruias. Et Augustinus dicit tom. 10. Serm. 6. Ara est, quæ testatur pro numine id haberi cui erigitur: Nam Ethnicis, quòd numen habeant, & pro numine accipiant illam statutam, ara testatur. Quid illic faciat ara, si illud non habeatur pro numine? Nemo mihi dicat, Non est numen, Non est Deus. Sed quid habeant, pro quare habeant, quid ibi faciant, ara testatur.

Probat autem Bellarminus suam propositionem primò ex Augustini epistola 118. vbi dicit, Insolentissimæ insanix esse disputare, an sit faciendum, quòd tota Ecclesia faciat. Respondeo, loquitur ibi Augustinus secundum quid, quòd Iesuita dictum simpliciter, seu absolute & generaliter putat. Nam agit in ea epistola non solum de rebus licitis, sed etiam adianphoris, quarum obseruatio libera est, & vel in vsu seu consuetudine, & commoditate, aut consensu publico consistit. De his ibidem etiam inquit, Quicquid non contra fidem, aut bonos mores præcipitur, indifferenter est habendum. Canonizationes autem Pontificias indifferentes, & propterea liberas, licitas & legitimas esse negamus, neq; etiam à tota Ecclesia, Orientali præsertim vsurpatae fuerunt. Neq; etiam loquitur ibi Augustinus de omni quomodocunq; facto, sed quòd sciens prudensq; pio, iusto, certoq; consilio facit Ecclesia.

Secundò probat ex Bernhardo, qui in epistola ad Canonicos Lugdunenses 174. loquens de seruandis festis in honorem Sanctorum institutis, sic inter alia scribit, Ego, quæ accepi ab Ecclesia, securus teneo, & trado. Respondet, Non de omnibus & singulis quæ tradit Ecclesia loquitur Bernardus, sed de licitis & in verbo Dei fundatis tantum. Reprehendit enim ibidem, celebritatem nouam induci, quam ritus Ecclesiæ nesciat, non probet ratio, nec commendat antiqua traditio. Ergo in ea non securus acquieuit. Deinde, Bernardi tempore omnis generis errores & superstitiones inualuerunt, vt non mirum sit, si Bernardus aliquid publico & communi errori dederit: vehementer tamen laborauit, ne plures deinceps errores & superstitiones introducerentur, sed frustra.

Tertiò dicit, Omnes veteres sine vlla dubitatione Sanctos coluisse, & colendos asseruisse. Respondeo, esse fallaciam in verbo Colendi. Coluerunt Sanctos, & colendos asseruerunt veteres, sed non eo modo vt hodiè fit. Smyrnenses in sua epistola quæ apud Eusebium exstat lib. 4. c. 15. clarè indicat, vt suo tempore Sanctos coluerint, nimirum, non cultu religioso, sed dilectionis. Quòd verus Deus solus colendus sit, inquit, nouimus: Martyres verò tanquam discipulos Domini diligimus, &c. Et Augustinus contra Faustum Manichæum, Colimus, inquit, Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei. Hieronymus ad Riparium, Nos, inquit, non dico martyrum reliquias, sed ne Solem quidem & lunam, non angelos, non archangelos, non Cherubim, non seraphim, & omne nomen quòd nominatur & in præsentis seculo & in futuro colimus & adoramus, ne seruiamus creaturæ potius, quàm creatori. Rursus Augustinus de Vera religione c. 55. Non sit, inquit, nobis religio cultus hominum mortuorum: quia si piè vixerint, non sic habentur, vt tales quærant honores: sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti sui nos esse consortes. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Athanasius tom. 1. disputatione 1. contra Arianos, Apostolus, inquit, Ethnicos increpat, quòd res conditas venerentur, & quòd præterito creatore Deo, creaturis inseruiant. Isti autem (Ariani) cum Christum esse creaturam pronunciant, illi tamen quanquam creaturæ, religionis cultu ceremonijsq; inseruiunt. Quid igitur quæso ab Ethnicis differunt?



DE ORIGINE FESTORVM

Quartò dicit, Tenemur obedire Pontifici indicenti diem festum alicuius Sancti: Ergo non possumus dubitare, an sit colendus ille, qui ab Ecclesia canonizatus est. Respondeo, Negatur antecedens & consequens. Nam Papa in alias Ecclesias, præter Romanam, nullam potestatem habet, nec tenentur ei alia Ecclesie obedire. Deinde, non idem est, à Pontifice Romano canonizari, & ab Ecclesia: Non enim Papa totius Ecclesie personam sustinet. Conclusio igitur aliud infert, quàm in propositione habetur.

SECUNDVM Bellarmini argumentum est petiitum ex incommodis duobus. Nam, inquit, imprimis fraudarentur non Sancti suffragijs viuorum: nam pro canonizatis non licet orare. At si Ecclesia in hoc erraret, defraudaret eum, qui habetur Sanctus, & non est, quicumq; non oraret pro eo. Deinde fraudarentur etiam viuentes intercessionibus Sanctorum: inuocaret enim sæpè damnatos pro beatis, si Ecclesia in hoc erraret. &c. Respondeo, est in hoc argumento Petitiõ principij: pro veris, indubitatis & concessis enim sumit, quæ sunt falsa, & in controuersia. Nam mortui non amplius indigent suffragijs viuorum, siue beati, siue damnati sint. Deinde viuentes non opus habent intercessionibus defunctorum. Verbum Dei monstrat nobis vnicum intercessorem filium Dei Iesum Christum.

TERTIVM argumentum sumit à miraculis canonizatorum: Neminem enim à Pontifice canonizari ordinariè, nisi claruerit magnis miraculis, ipsq; certis & indubitatis. Negatur autem hoc fieri à Pontificibus. Quàm enim futilia, ridicula & inania sint pleræque miracula eorum qui à Papa canonizantur, ipsorum vitæ, martyrologia & Legendæ testantur. Adscribam Legendam de miraculis Hyacinthi Craconie nobili palatinorum Comitum genere nati, nec ita pridem à Clemente 8. canonizati & in numerum sanctorum Confessorum relati, ut vel pueri intelligant, quàm magna, certa, indubitata & fide digna sint illa miracula, ob quæ pleriq; à Pontificibus Rom. canonizantur. Huius Hyacinthi miracula artificiosissimè depicta & in æs incisa, Iesuitæ diuulgârunt talia. Cæcis ex utero materno natis visum restituit. In vita & post mortem 39. mortuos resuscitauit: Inter quos fuit iuuenis quidam, qui ex equo delapsus, ceruice fractâ exspirauit. Hic Hyacinthi tumulo admotus, & viuus & sanus surrexit. Ferunt etiam ancillam quandam, cuius vitula nescio quo casu extincta fuerat, accurrisse ad Hyacinthi sepulchrum, atq; supplicasse ut restitueretur sibi viuua vitula. Post domum reuersam vidisse à lanio pellem detrahi vitulae; quæ statim cæperit mouere pedem excoriatum, & eleuato capite viuua ac sana surrexit. Idem egrotos sanauit & afflictos consolatus est. Straza super aquas pallio & signo Crucis formato, Vandalum cum tribus socijs transmisit: cum diabolo super aquas luctatus est. B. Virginis statuam grandem alabastrinam, quatuor aut quinque talentorum pondere, in monasterio Kiouienfi, trans Borystenem fluuium, cum Hyacinthus viuus Tartaris irruentibus è templo fugeret, magnâ voce ipsum inelamasse perhibent; O fili Hyacinthe, effugis manus Tartarorû, et me cum filio meo dissecandâ et conculcandâ relinquis? accipe me igitur tecû: attonitoq; Hyacintho ac dicente, O gloriosa Virgo, est nimis grauis hac imago, & quomodo eam asportare poteris? respondisse Virginè: Accipe modo, quia alleuiabit pondus filius meus. Quo audito, Hyacintho eam arudine leuiorè visam, et vna manu per Borysthenem siccis pedibus ab eodem vsq; Craconiam fuisse asportatam. Segetem grandinis vi depressam oratione restituit. Hymnis angelicis, præuiâ S. Mariæ, in caelos euocatus fuit.

Franciscus cum Alexandria in Longobardia cum quodam honesto viro hospitatus fuisset, ab eo rogatur, ut propter obseruantiam Euangelij de omni appposito manducaret. Qui cum eius deuotioni assentiret, ipse accurrens, caponem septennem preparat manducandum. Manducantibus illis, infidelis quidam transiens, amore Dei elsemosynam petijt. Mox Franciscus membrum ei mittit caponis. Reseruat infidelis datum, & in crastinum, dum Franciscus prædicaret, ostendit illud, dicens; Ecce quales carnes comedit iste Frater Franciscus, quem vos, ut sanctum, honoratis. Nam hoc mihi dedit. Sed cum membrum caponis omnibus piscis videretur, velut insanus ab omni populo iudicatur. Quod cum ille didicisset, erubuit & veniam postulauit. Redierunt quoq; carnes ad suam speciem, &c. Hæc sunt inter alia infinita generis huius illa magna, clara;



certa & indubitata miracula, propter quæ canonizantur & in catalogum Sanctorum Diuorumque multi in Papatu referuntur.

Quod verò ad miracula ipsa attinet, negamus eum pro Sancto habendum, à quo, vel apud cuius sepulchrum miracula fiant. Deus enim permittit interdum etiam per falsos doctores perque malos & impios homines edi miracula. Exod. 7. Magi & malefici apud Pharaonem suis artibus signa ediderunt. Matth. 7. inducit Christus quosdam dicentes in die iudicij, Nonne Domine in nomine tuo dæmonia eiecimus? nonne in nomine tuo multas virtutes edidimus? Quibus tamen dicitur, Nunquam noui vos, discedite à me qui facitis iniquitatem. Matth. 24. dicit Dominus: Surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & signa magna edent, ita vt in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi: A Paulo 2. Thessal. 2. c. Antichristi aduentus describitur secundum operationem Satanae, cum signis & prodigijs multis. Vnde & Cyrillus lib. 7. c. 13. in Ioannem, Miracula, inquit, nihil adiciunt sanctitatis homini, cum malis & reprobis id etiam competat. Inprimis reiicienda sunt miracula, quum abducunt homines à Deo ad idola, & à veritate religionis ad superstitiones.

Instat Iesuita & ait; Si credimus sine vlla hæsitatione Cæsarem & Pompeium fuisse, quia id testantur communi consensu historici, qui tamen homines fuerunt, & mentiri potuerunt; cur non credimus, sine hæsitatione, quod testatur Deus ipse per miracula, quando nulla est ratio suspicandi contrarium? Respondetur, imparia esse, quæ Iesuita hic pro paribus sumit. Creduntur res verè ab hominibus gestæ, si ab authoribus fide dignis describuntur. Miracula autem nec omnia Dei sunt, quum & demones & impij miracula faciant. Ineptè igitur ex aliquibus Dei veris miraculis vniuersaliter argumentum petitur.

QUARTVM argumentum petit Bellarminus à preparatione. Nam, inquit, antequam Sancti canonizantur, indicuntur ieiunia & preces publicæ, &c. Non est autem credibile, Deum non adesse Ecclesiæ suæ sic dispositæ & supplicanti, Respondeo, distinguendum inter veram ecclesiam, & pseudocatholicam seu Pontificiam. Illi semper adest Christus, sicut promisit: huic verò non item, quia ieiunijs & supplicationibus supersticiosi disposita est, quas non respicit Deus. Inquit enim Isa. 29. Appropinquat mihi populus iste ore suo, & labijs me honorat, cor autem eorum procùl abest à me. Sed frustra me colunt, docentes doctrinas quæ sunt mandata hominum.

QUINTVM & vltimum argumentum sumptum est à posteriori. Nam, inquit, licet in alijs rebus Pontifices Rom. possint errare, in hac tamen nullus vnquam error deprehensus est. Resp. Falsum hoc esse ex præcedentibus intelligitur.

Obijciunt etiam nonnulli Augustini quoddam dictum, Multorum corpora honorari in terris, quorum animæ torqueantur in gehenna. Respondet Bellarminus, locum hunc fortasse non esse Augustini, se enim in eius operibus reperire non potuisse. Præterea, intelligi posse de impijs, qui honorantur superbissimis sepulchris, cum tamen animæ torqueantur in gehenna. Vel de corporibus Sanctorum non canonizatorum. Vel de corporibus fraude aliquâ suppositis pro corporibus Sanctorum. Vel deniq; de Martyribus Donatistarum, qui honorabantur ab hæreticis vt Martyres, cum animæ eorum reuera torquerentur in inferno. Respondeo ad primum: dictum hoc, in ipso etiam Papatu de veneratione Sanctorum vsitatum fuit: ideoq; ex fama publicâ apud Pontificios quoq; rectè concluditur, quid incerta sit ista veneratio & canonizatio, siue Augustini sit, siue vulgi. Secundò respondeo ad Bellarmini exceptionem 1. non questionem esse iam, de religioso cultu reliquiarum, nec de sepulchris solummodò corporum, sed in genere de veneratione & canonizatione. Ad 2. Agi de cultu publico et religioso, qui erga sanctos illos minimè traditur & permittitur apud Papistas, qui non canonizati sunt: & quorsum illis obscuris, ignotis ac incertis procurentur, cum tot habeant sanctorum canonizatorum millia? Ad 3. Neminem Papistarum, excepto Bellarmino, hoc diceret de reliquijs suorum Sanctorum, quas in altaribus, thecis, &c. depositas esse constat. Ad 4. Donatistas iam olim extinctos esse: hoc autem vulgi dictum de re præsentî vsurpatum fuisse.

E



DE ORIGINE FESTORVM

*Adstipulatur etiam huic vulgi dicto Cornel. Agrippa de Vanit. Scient. c. 98. inquit: Multos constare in fide errasse, & opiniones illorum pro hæreticis damnatas, cum tamen ipsi habeantur in Canone Sanctorum. Et Bossarius, Multos, inquit, vidi, qui malè vixerant Romæ Canonizatos, vt refert Morconus parte 2. Apologia Cath. pag. 474. Londin. edit.*

*Vt autem concludam, Melchior Canus & ipse Pontific. ius, si non affirmat Papam in canonizatione Sanctorum errare posse, tamen dubiè admodum de eo loquitur lib. 5. loc. Theol. pag. 175. Quid si, inquit, Ecclesia errat in reponendis viris iustis in numero Sanctorum, certè non esset absurdum Diuorum omnium cultum ab Ecclesia explodere: intellige eos qui post Clementem consecrati sunt: quare si in illis erraret grauius in moribus falleretur, nisi fortè nihil intersit, Diabolumne colas, an hominem condemnatum. Ne igitur tantus error in Ecclesia sit Deus prouidebit.*

CAPVT VII.

De Vigilij Festorum.

Vigiliæ festorum vnde originem traxerint.



Postolorum temporibus, & aliquandiu post ea, quum Christianis propter insidias & persecutiones assiduas tyrannorum & hostium religionis interdum vix prodire liceret in publicum, non nisi noctu & antelucanis horis ad sacra sua peragenda conuenerunt, sicut ex Plinij Secundi epistolis, & Scriptoribus Ecclesiasticis intelligitur.

Fuit & hoc vsitatum pluribus in locis in prima illa ecclesia post Apostolorum tempora, vt etiam extra persecutionis metum, tota Paschali hebdomada, præsertim verò nocte præcedente Dominicam Resurrectionis, in templis publicè vigilarent & iuiunarent. Sic enim Tertullianus lib. 2, ad uxorem scribit: Quis solennibus Paschæ obnoctantem uxorem securus sustinebit? Et Eusebius de Vita Constantini lib. 4, refert, Constantinum Paschales illas per uigilaciones ornasse lampadibus, & accendisse per totam urbem columnas seu moles cereorum. Ex Nazianz. etiam Oratione in S. Pascha apparet, noctem eam antedie Resurrectionis, per vigilem totam fuisse Christianis, luminibus ubiq; & publicè & priuatim accensis. Et Ambrosius Serm. 60. In Paschate, inquit, ieiunauimus sabbatho, Vigiliam celebrauimus, & orationibus percunctanter institimus. Rursus vigiliarum Paschæ meminit Eusebius in historia Narcisci Hierosolymitani Episcopi, de quo scribit lib. 6. cap. 9. quòd in vigilij Paschatis, deficiente oleo, oratione impetrâit, vt aqua infusa lampadibus, ad præbendam lucem facta fuerit idonea.

Ex his verò consuetudinibus & ritibus originem posteris ætatibus sumpserunt Vigilia & Ieiunia in profestis magnarum solennitatum ad templa & cæmeteria, in publicis congressibus tam mulierum quàm virorum. Theodoretus in Tripartita hist. lib. 5. cap. 32. Vigiliarum ad sepulchra martyrum auctores facit apud Antiochenos Flavianum & Diodorum. Isti (inquit, Flavianus & Diodorus Antiocheni) diuinos amatores ad sepulchra martyrum prouocantes, vigilias celebrabant, cum illis Deum laudantes. Hæc Leontius (Antiochenus Episcopus) intuens, prohibere quidem iudicauit inconsultum, quum videret multitudinem valde viris illis optimè adhærere. Sed vtens mansuetudine verborum, poscebat ab eis, vt has festiuitates in Ecclesijs potiùs celebrarent. Et illi quidem quod iubebatur egerunt, & amatores suos ad ecclesias congregârunt, vt alacriter Deum concordia voce laudarent. Ad quæ verba B. Rhenanus in margine librè annotat, sic multa in Ecclesiam introducta esse. Facta hæc sunt circa annum Christi 375. tempore Gratiani Imp.

Vigiliæ nocturnæ mulieribus interdixit.

Sed quia hæc nocturna sacra multorum scelerum causa progressu temporis esse cœperunt, ideo accessus ad ea mulieribus interdicitur Canone 35. Elibertini Concilij, vbi ita præcipitur

sur



ur: Placuit prohibere, ne foeminae in coemeterio peruigilent, eo quod saepe sub obtentu orationis scelera latenter committantur. Extat quoque Constantij constitutio lib. 16. integri Theodosiani Codicis, ut aboleantur nocturna sacrificia, Magnentio auctore permissa. Vigilantius etiam ob eandem causam has excubias maxime omnium impugnavit, publiceque execratus est. Contra vero Hieronymus grauiter repugnabat, argumentans paucorum culpam religioni damno esse non debere: quia qui peccarent vigilando in templis, possent etiam in suis vel alienis domibus eadem facere.

Sed tamen res subinde in peius ruit, sic ut in his conuentibus nocturnis pueri puellaeque amores iam licentius meditarentur, iuuenes palam strupum offerrent, senes lenocinium facerent, & matronae passim corrumpi minus erubescerent, ut Polydorus Vergilius scribit lib. 6. cap. 4. Quum itaque domus Dei hoc modo facta esset spelunca latronum, id est, stupratorum & adulterorum, ne id malum latius serperet, tandem aliquando instituerunt veteres loco vigiliarum ieiunia pridie diei cuiusque festi celebrioris: mansit tamen Vigiliarum, id est, officij nomen huiusmodi ieiunij, quae aequae observantur ac Quadragesimalia. Tale remedium datum est crescenti huic morbo, post tempora Hieronymi, qui obiit anno reparatae Salutis 420. Polydorus ibidem. De hoc Mantuanus ita canit lib. 1. Fast.

Quod nostri in templis atque vigilare solebant,  
Excubiasque pati solennia mane sequenti  
Festa recepturi: morem noua sustulit aetas.  
Nam quia nox sceleri solet esse occasio, & illud  
Observant qui furta volunt committere tempus  
Ieiunare diem visum est sapientius illam  
Quae praet, & clauso noctem dormire cubili

Et Innocentius III. circa annos demum 1210. Vigilijs Apostolorum ieiunandum esse populo Christiano praecepit, praterquam in Ioannis, Philippi & Barnaba, pro quibus Rogationum diebus ieiunare possit, ut habetur in Chronico Editui.

Ethnici quoque suas Vigilias & sacra nocturna habuerunt, quae tamen ob impudicitiam & omnis generis libidines in ijs perpetratas omnes honesti viri damnarunt. In templis Isidis & Aesculapij frequenter fuisse dicuntur nocturna vigilae: sed propter quas dici de illis potuisset, quod de Adonidis templo aliquando dictum fuit, εὐνὴν ἱερὴν. Apud Plautum in Aulularia Lyconides adolescens filiam Euclionis in Cereris vigilijs vitiasse dicitur. Sed & apud Euripidem in Bacchis Pentheus, quum audiret Orgia sacra noctu celebrari, grauiter exclamat, id vitiosum esse, & mulieribus periculosum.

Τὸν εἰς γυναικας δ' ὀλίον ἔστι καὶ σαθρὸν.

Quare & Eupolis vetus poeta Comicus in suis Baptis nocturna illa Atheniensium sacra, quae Cottytia dicebantur, quo minus damnaret, ne mortis quidem periculo adduci potuit. Olim quoque apud Myonem urbem, τῷ θεῶν Μελιχιδῶν nocturna sacra fuisse accepimus: Romulus etiam quum pro sua prudentia intelligeret, nullam esse tam castam religionem, quam hominum libido atque impudicitia non contaminet, si & adsint latebrae, & absit pudor, rectissime sapientissimaeque legem tulit, NE VIGILIAE nocturna in templo Roma haberentur. Nam quum suos ciues saepe conuenire vellet religionis causa, & hos tamen caetus congressusque virorum atque mulierum castos esse optaret, noluit in templis locum esse latendi, ne tandem ea essent lustra aut lupanaria magis quam templa. Imò etiam arcanas Bacchi initiationes summouit. Sic enim Dionysius scribit, grauiter eum damnasse διαπανυχιατικὰς ἐν ἱεροῖς ἀνδρῶν σὺν γυναιξίν, καὶ τοῖς βακχεῖαις καὶ τελεταῖς ἀπορρήτους. Hanc si Romani legem, qua oportebat & diligentia, & seueritate, perpetuo seruassent, non contaminasset sua libidine sacra Bona Dea Clodius: non irrepsissent in urbem nocturna illa nefandaque Bacchanalia, quae vix tandem ab urbe condita annis 568. sublata sunt grauisimo Senatus consulto referente sapientissimo consule Sp. Posthumio Albino. Neque verò id M. Tullius in suis legibus omisit. Vidit enim quam Reipub. interesset, diligenter seruari, quod Romulus initio sanxerat. Sic itaque & ipse statuit: NOCTURNA mulie-

Vigiliae abolitae & in earum locum Ieiunia in profectis instituta.

Ethnici quoque habuerunt Vigilias sed honesti viri illas damnarunt.

Pentheus.

Eupolis.

Romulus.

Cicero.



## DE ORIGINE FESTORVM

rum sacrificia ne sunt, præter illa, quæ pro populo ritè fiant. Néue quem Initi-  
 anto, nisi, vt assolet, Cereris, Græco sacro. Sed audiamus & eius, & Atticibac de re  
 quam subiecit disputationem, atq; iudicium. Exstat enim apud eum libro secundo de Legibus,  
 his verbis: M. At verò quod sequitur, quomodo aut tu assentiare, aut ego repræ-  
 hendam, sanè quæro Tite? A. Quid tandem id est? M. De nocturnis sacrificijs mu-  
 lierum. A. Ego verò assentior, excepto præsertim in ipsa lege solenni sacrificio ac  
 publico. M. Quid ergo aget Iacchus Eumolpidæq; vestri, & augusta illa myste-  
 ria, siquidem sacra nocturna tollimus? non enim populo Romano, sed omnibus  
 bonis firmisq; populis leges damus. A. Excipis credo illa, quibus ipsi Initiati  
 sumus. M. Ego verò excipiam: nam multi cùm multa eximia diuinaq; videntur  
 Athenæ tuæ peperisse, atque in vitam hominum attulisse: tùm nihil meliùs illis  
 mysterijs, quibus ex agresti immaniq; vita exculti ad humanitatem, & mitigati  
 sumus: Initiatiq; vt appellantur, ita reuera principia vitæ cognouimus. Neque so-  
 lùm cum lætitia viuendi rationem accepimus, sed etiam cum meliore spe morien-  
 di. Quid autem mihi displiceat in nocturnis, poëtæ indicant Comici. Quæ licen-  
 tia Romæ data, quidnam egisset ille, qui in sacrificium cogitatam libidinem intulit,  
 quo ne impudentiam quidem oculorum adijci fas fuit? A. Tu verò istam Ro-  
 mæ legem rogato: nobis nostras ne ademeris. M. Ad nostra igitur reuertor, quibus  
 profectò diligentissimè sancendum est, vt mulierem famam multorum ocu-  
 lis lux clara custodiat: initienturq; eo ritu Cereris, quo Romæ Initiantur. Quo in  
 genere seueritatem maiorem Senatus vetus authoritas, de Bacchanalibus, &  
 Consulum exercitu adhibito, quæstio, animaduersioneq; declarat. Atq; omnia no-  
 cturna (ne nos duriores fortè videamur) in mediâ Græcia Diogondas Thebanus  
 lege perpetua sustulit. Nouos verò Deos, & in his colendis nocturnas peruigila-  
 tiones sic Aristophanes facetissimus poëta veteris comœdiæ vexat, vt apud eum  
 Sabazius, & quidem alij Dij de peregrinis iudicati, de ciuitate eijciantur. *Has  
 ille.*

## CAPVT VIII.

### De Octauis festorum celebriorum.

Origo Octauarum festorum maiorum.

**O**ctauas festorum ex veteri lege sumpserunt Christiani. Nam Leui. 23. c. sic præcipitur  
 de festo Tabernaculorum: Dies quoq; Octauus erit celeberrimus atq; sanctis-  
 simus: &c. Confirmat hoc Baronius etiam, qui in suis Notis ad Martyrologi-  
 um Rom. Ianuar. die 2. sic scribit: Octauam festorum sanctissimam & celeberrimam  
 esse debere, diuina lex sanxit Leuit. 23. c. Vnde sancta Ecclesia tempore Euangeli-  
 cæ gratiæ est mutuata exemplum, vt celebriores quasdam solennitates etiam Oc-  
 tauarum additione illustraret: sanctè etenim pieq; Dei Ecclesiam ex antiquis  
 illis ritibus quædam accepisse testatur S. Leo Papa Serm. 7. de Ieiunio septimi  
 mensis.

## CAPVT IX.

### DE DOMINICA die, & eius antiquitate.

Dominica dies antiquissima.

**D**ominicam diem mox post Christi in celos ascensionem, & quidem ab Aposto-  
 lis institutam fuisse nemini dubium esse debet. Habemus enim ea de re testimonia,  
 non obscura Scriptura. Actoy. 20. capit. dicitur, discipulos conuenisse τὴν εὐαγγελισ-  
 τὴν ἡμέραν τὴν πρώτην τῆς σαββάτου, ad frangendū panem. Et Paulus 1. Cor. 16. cap. scribit, vt vnâ  
 quæq; die sabbathorū quisq; apud se recondat, &c. Vbi omnes interpretes per VNAM  
 SABBATHORUM

S A B A



SABBATHORVM diem Dominicam intelligunt. Sic Marci ultimo dicitur, mulieres ad monumentum Christi venisse summo mane τῆς μιᾶς σαββάτων vna die sabbathorum. Et quia non habetur VNA SABBATHI, sed VNA SABBATHORVM, ne quis intelligeret fortè vnum aliquem dierum Paschalium, quod Paulus à Midelburg Forosempronienſis Episcopus lib. 1. de die Paſſionis Domini cap. 2. fecit, quòd multum interesse putauit dicere, VNA Sabbathi, & VNA sabbathorum, quòd vna sabbathi significet primam septimanæ diem post sabbathum, sed eo sensu non posse exponi vnam sabbathorum: idcirco Marcus Euangelista seipsum & reliquos quasi declarat & interpretatur, versu 9. dicens, Resurrexisse Iesum manè πρώτη σαββάτη primâ die sabbathi, hoc est, septimana, seu primâ die post sabbathum Paschæ. Dicitur autem dies Dominica VNA sabbathi, id est, prima dies hebdomadis, phrasi Hebraica, quâ vnum accipitur pro primo, & sabbathum pro hebdomade, vt Hieronymus aduersus Vigilantium significauit. Deinde Apostolus & Euangelista Ioannes in Apocal. cap. 1. disertè mentionem facit τῆς κυριακῆς ἡμέρας Dominica diei. Et quia expressè addit articulum præpositiuum, non de quauis die (sunt enim omnes dies Domini) sed de certa aliqua, & quidem de illa tantum loquitur quæ nobis adhuc hodiè est religiosa ac celebris. Vnde simul apparet, Dominica diei obseruationem scriptam traditionem esse.

Explicatur locus Mar. 16.

Dies Dominica cur vna sabbathi dicatur,

Post tempora autem Apostolorum vetustissimi etiam auctores diei Dominicae, & conuentuum quos Christiani in ea celebrarunt, mentionem subindè faciunt. Iustinus Martyr in Apologia 2. scribit, die Solis, id est, die Dominica Christianos solitos fuisse ad sacrificium Eucharistiae conuenire. Meminit etiam Dionysius Corinthiorum Episcopus in fragmento epistolæ ad Romanos, quod extat apud Euseb. lib. 4. historiae Ecclesiasticae cap. 23. in quo inquit, Sanctam hodiè Dominicam diem peregrinamus, &c. Vixit sub Vero & Commodo Imp. circa annos Christi 174. Tertullianus quoque, qui vicinus fuit valdè Apostolorum temporibus, in libris suis passim diei Dominicae meminit: & in libro de Idololatria, inter Christianorum solennitates primo loco numerat Dominicam diem, & ait, Christianis quoque die festum vel solennitatem esse.

### Cur Christiani Sabbathi Iudaici loco diem Dominicam obseruent.

**H**Anc autem diem Dominicam Apostoli in locum reiecti Sabbathi Iudaici substituerunt & ordinarunt, in qua ipsi suis cætus & conuentus ecclesiasticos celebrarunt: PRIMO, Ne viderentur Iudaismo, & Iudaicis ceremonijs: vel potius superstitionibus astricti & alligati: & sic testarentur simul obrogationem Mosaicorum festorum, libertatemque Christianam. Hanc rationem affert Ignatius, qui Apostolorum ætatem mox est consecutus, in epistola ad Magnesium. Vnde in Laodiceno Concilio quoque, quod celebratum est post mortem Iouiniani Imp. circa annos Dom. 364. sancitur can. 20. Non oportere Iudaizare Christianos, & in Sabbatho vacare, sed potius operari in eadè die, Dominicam præponendo Sabbatho. Quod si inuenti fuerint Sabbathum Iudæorum obseruantes, anathemate ibidem feriuntur. SECUNDO, quòd die Solis, vt Mathematici Dominicam vocant, Deus mundum creauit. TERTIO, quòd Christus hac die à mortuis resurrexit, & redemptionem humani generis perfecit, & sic in gloriam regni Noui Testamenti intrauit. Has duas rationes Iustinus profert Apologia 2. Et posteriorem Augustinus quoque reddit epist. 119. vbi inquit: Dies Dominicus Christianis resurrectione Domini declaratus est, & ex illo cœpit habere festiuitatem suam. Idem etiam testatur de Ciuit. Dei lib. 22. cap. 30. Et de verbis Apostoli Serm. 15. Domini, ait, resuscitatio promisit nobis æternum diem, & consecrauit nobis Dominicum diem, qui Dominicus vocatur, quia eo Dominus surrexit. Maximus Taurinensis Episcopus homilia 3. de Pentecoste indicat, Dominicum diem idè solennem esse, quia in eo Saluator velut Sol oriens, discussis infernorum tenebris, luce resurrectionis emicuerit. In historia quoque Tripartita lib. 1. cap. 9. Sozomenus



DE ORIGINE FESTORVM

refert, Constantinum Imp. honorasse Dominicum diem, quia in eo Christus resurrexisset à mortuis. Hugo in Psal. 119. Patres, ait, veteris Testamenti hebdomadi, id est, septenario seruebant, obseruantes septimam diem, septimam septimanam, septimum mensem, septimum annum decadis, qui dicitur Iubilæus: Patres verò Noui Testamenti Ogdoadi seruiunt, id est, octonario, seruantes octauam diem, id est, Dominicam, ob reuerentiam Dominicæ resurrectionis, & missionis Spiritus sancti. **QUARTO**, Cælius Rhodig. lib. 7. cap. 42. *Antiq. Lect. Sabbathi loco Christianos diem Solis, ut Mathematici vocant, colere, eumq; Domino adscripsisse, dicauisseq;, & illius cultui totum mancipasse primæ Ecclesiæ fideles scribit, quòd nullà magis re imaginari præpotentis, ac vniuersa supereminentis Christi maiestatem congruentius possumus, quàm per splendidissimum Solis lumen. Nam scriptum est, Et in Sole posuit tabernaculum suum. Et exijt de tribu Iuda, cuius signum leo est, solare animal. Sed & in Repub. Plato visibilem filium Dei Solem dixit, quem nos intelligimus imaginem inuisibilis filij, qui lux vera, illuminans omnem mentem, expressius habet simulacrum Solem hunc, qui lux est imaginaria, illuminans omne corpus.*

Dominicæ diei libera fuit obseruatio.

*Esi verò ex his constet, Dominicum diem iam tum Apostolorum temporibus Iudaici Sabbathi loco solennem fuisse, non inuenitur tamen vel Apostolos, vel alios lege aliquâ & præcepto obseruationem eius instituisse: sed illam fuisse liberam inde colligitur, quòd non solum Dominicâ die, sed quartâ etiam & sextâ feriâ Ecclesiasticos conuentus celebrârunt, ut Augustinus & Epiphanius indicant. Et Socrates historia Ecclesiast. libro 5. cap. 22. de diuersa Paschatû, aliorumq; rituum obseruatione prolixè disputans, clarè inquit: Nemo Apostolorum quicquam de illo (Paschatû festo) sanciuit. Et paulò antè: Nusquam, ait, Apostolus, nec ipsa Euangelia, iugum seruitutis illis imponunt, qui ad prædicationem accedunt: sed Paschatû festum, & alios dies festos, ipsi homines suis quicq; locis propter remissionem laborum, & memoriam salutiferæ passionis, sicuti voluerunt ex consuetudine celebrârunt. Neq; Seruator hoc, aut Apostoli, nobis lege aliquâ obseruandum esse mandârunt. Quòd propterea repero, ut videas, quum in primitiua Ecclesia ipsius quoq; Dominicæ diei obseruatio, nullâ lege præcepta, sed libera fuerit, quàm iniquè Antichristus cum ecclesia Christi posterioribus sæculis egerit, qui festa plurima non in honorem Christi, sed Sanctorum mortuorum instituta, summâ deuotione Christianis colenda obseruit, pro quibus etiamnum hodiè Iesuitæ, tanquam pro aris & focis, depugnant.*

Constantinus M. Dominicam diem primò lege præcepit.

*Constantinus Magnus Christum verâ fide amplexus, obseruationem & sanctificationem huius diei primus sanciuit: nouâ enim lege diuulgatâ indixit, ut per vniuersum orbem terrarum omnes Dominicam diem celebrarent & venerarentur, ut Eusebius indicat in vita eius lib. 43. & Sozomenus lib. 1. cap. 8. Quòd etiam sequentes ipsum Imperatores fecerunt.*

Cur Christiani primitiuæ Ecclesiæ suum Sabbathum  
Dominicam diem appellârint: vbi & de nominibus  
dierum Septimanæ apud Christianos.

Iudæi dies hebdomadæ per sabbatha computarunt.

**I**udæi dies Septimana Sabbathorum nominibus compararunt: diem enim septimam, quâ ab omni opere, iuxta præceptum Domini, quiescunt, Sabbathum: proximam sequentem, quæ nobis Dominica est, primam sabbathi, vel vnâ sabbathi, aut sabbathorû, & sic dinceps nominârunt. Non quòd omnes sabbathorum, hoc est, requiescitionum dies esse potuerint: sed quòd à requiescitionum die, quæ suo nomine & cultu singularis excellabat, prima sabbathi, vel secunda sabbathi aut sabbathorum, vel tertia, vel cætera suo quâq; censerentur ex ordine, ut Beda testatur lib. de Natura rerum cap. 2. Verùm ne hæc quidem ratio ab initio obseruata fuit in populo Dei, sed, ut Philastrius in libro de Heresibus testatur, dierum numerus, primus, secundus, tertius, quartus, quintus, sextus, septimus à Deo primò appellatus fuit.

Gentiles



Gentiles autem quum obseruationem hebdomadae vel à Iudæis vel à Christianis didicissent, mox hanc in laudem suorum deflexere deorum: primam diem Soli, secundam Lunæ, tertiam Marti, quartam Mercurio, quintam Ioui, sextam Veneri, septimam Saturno consecrantes: quare de re plura alio loco diximus.

Ethnici diebus hebdomadae planetarum nomina imposuerunt.

Iudæicam dierum hebdomadae computationem per Sabbatha, Christiani diu retinuerunt, imò Epiphanius adhuc dies sic numerat. Syluester autem Rom. Pontifex huius nominis primus, nec Iudæos, nec gentiles imitari volens, statuit vt dies hebdomadae, ad numerum FERIARVM digererentur, vocarenturq; prima, secunda, tertia, quarta, &c. feria, ad eum propè modum, quo apud Hebræos dies appellatione sabbathorum distincti erant, nisi quod nomina sunt diuersa. Saturni verò diem antiquo legis vocabulo Sabbatum & primam feriam, quæ in locum dii Solis subiecta fuerat, Dominicam appellari voluit: idq; fecisse dicitur rogatu Constantini M. vt Durandus in Rationali libro 7. cap. 1. & Polydorus Vergilius libro 6. cap. 5. de Inuent. rerum indicant. Gyraldus in libro de Annis & mensibus ex Nicephori quadam Oratione & Politiano, hoc inuentum Constantino M. soli tribuit, simul tamen refert, virum multæ lectionis & diligentia Bedam hoc Syluestro ascribere.

Christiani ab initio septimanae dies etiam per sabbatha computauerunt, Syluester autem Papa per ferias computare iussit.

Quòd autem Simson Metaphrastes apud Aloykium Lippomanem & Laur. Surium tomo 6. de Vitis Sanctorum indicat, Syluestri inuentum esse, vt primus dies hebdomadis Dominicus nominaretur, falsum est: iam antea enim hic dies Domino sacratu erat, & Ioannes in Apocalypsi expressè Dominica diei mentionem facit. Credibile autem istud institutum fortè hoc temporis minis seruatum Constantinum & Syluestrum per hunc modum innouare voluisse.

Metaphrastes error.

Ceterum quòd diem hanc non Iesu, vel Christi, aut simili nomine, sed Domini seu Dominicam diem appellauerunt, factum est in Christi Domini nostri honorem, vel vt refrigeraretur memoria rerum ab ipso hac die gestarum: vnde Augustinus dicit, De verbis Apostoli Serm. 15. Dominicus hic dies idcirco dicitur, quia eo die Dominus resurrexit: vel vt ipso nomine docerent illum totum Domino consecratum esse debere. Ob has causas ipsæ aedes quoque, in quibus sacri coebebantur cœtus DOMINICA veteribus dici cœperunt. Nam B. Rhenanus, diligentissimus vscustatis indagator, in suis ad Eusebij ecclesiasticam historiam Scholijs, Primi, ait, illi Christiani templa in honorem Christi Domini erecta DOMINICA appellabant, in quibus precum, sacrarum lectionum, Eucharistiæq; causâ conueniebatur. Erat autem apud veteres DOMINI vocabulum paulò frequentius quàm Christi, iuxta consuetudinem Apostolicam, & solennem Euangelicæ historiarum modum. Proinde, quoniam Dominum semper habebant in ore, etiam ipsa loca, in quibus propter Dominum coibant appellauerunt DOMINICA. Vnde Germani etiam nùm Episcopalia templa, quæ certè primaria sunt, & reliquis antiquiora Doms vocant, & illorum Canonicos Domherren. Hac Rhenanus. Parirationis & diei primæ hebdomadis hoc nominis indicum videtur.

Prima dies hebdomadae cur Dominica dicatur.

FERIAS autem dies septimanae nominauerunt, à feriando: quia toto tempore à vitijs feriari debemus, non quòd sit à necessarijs vitæ operibus feriandum. Vel dicuntur à fando, id est, loquendo: quoniam, sicut legitur Gen. 1. Dominus dixit & facta sunt. Durandi Ration. lib. 7. cap. 1. Ethnici dies illos quibus feriabantur, & nullū opus fieri licebat, vocauerunt Feras, à feriendis victimis, quæ tunc immolabantur: vel à ferendis epulis, quæ tùm maximè ex pecorum frugumq; prouentibus fiebant. Polydorus lib. 6. cap. 5.

Dies septimanae cur Feras dicantur.

Hæc autem dierum ratio sic à Syluestro instituta, hodiè in rebus diuinis tantum locum habet, aliàs nomina pristina Ethnicorum Deorum recuperauerunt. Pudendum autem est simulq; dolendum, Deos gentium inter Christianos, & quidem Euangelicos tam memorabile monimentum habere. Vnde non immeritò Philastrius Brixienfis Episcopus, non spernendæ eruditionis

Præsul, cuius & honorificè in Epistolis ab Augustino facta est mentio, in eo libro

quem de Hæresibus scripsit, hanc quoque consuetudinem pro hæresi habendam esse putauit. Eundem errorem damna-

uit etiam D. Augustinus in Psalmum 93.

E A



DE ORIGINE FESTORVM  
Non esse ieiunandum diebus Dominicis.

**N**on esse ieiunandum Dominicis diebus ex Ignatii epistola ad Philadelphianos intelligitur. Vbi tamen nimis violenter contra doctrinam Apostolorum, & libertatem Christianam in hac verba erumpit: Quicumque Dominicam & Sabbathum (hic aliqui interponunt NON, sed in Græco non extat, nec conuenit cum sententia eius) ieiunauerit, præter vnum Sabbathum Paschæ, ipse est Christi interfectoꝝ. Quæ tamen planè supposititiâ esse videntur. Nam Tertullianus in libro de Corona militis testatur quidem, quòd suâ etate ieiunium Dominico die nefas duxerint: fatetur tamen, veteres hoc obseruâsse sine vllò scripturæ testimonio, solius traditionis titulo & consuetudinis patrocinio. Meliades autem Papa circa annum Christi 313. hoc lege primùm constituit, quòd eo die Ethnicis & Manichæi hæretici deuotè ieiunarent. Sic enim ad Hispaniarum Episcopos inter alia scribit: Ieiunium Dominicæ diei, & quintæ feriæ nemo celebrare debet, vt inter ieiunium Christianoꝝ & gentilium, veraciter credentium, & infidelium, atque hæreticorum vera, & non falsa discretio habeatur. *Distinct. 3. de Consecr. c. Ieiunium.* Sequutum est Gangrense Concilium circa annum Christi 324. celebratum, in cuius *Can. 18.* ita sancitur: Si quis, tanquam hoc continentia conuenire iudicans, die Dominico ieiunauerit, aut in eiusdem diei contemptum, anathema sit. *Distinct. 30.* Si quis, tanquam. In Carthaginensi 14. Concilio habito anno 401. iuxta Prosperum, iuxta Marianum autem 418. *Can. 64.* præcipitur, Vt Dominico die ieiunans non credatur Catholicus. In Casaraugustana synodo anno 517 in Hispanijs habita *ca. 2.* sancitur, Ne quis ieiunet die Dominicâ causâ temporis (de *Consecr. distinct. 3.* Ne quis timoris, legitur) aut persuasionis, aut superstitionis, &c. *Distinct. 30. c. si quis presbyter.* Ex Concilio quodam Martini Papæ huiusmodi Canon contra Manichæorum superstitionem citatur: Si quis presbyter, propter publicam pœnitentiam à sacerdote acceptam, absq; aliqua necessitate die Dominicâ pro quadam religione ieiunauerit, sicut Manichæi, anathema sit. Epiphanius quoq; *tom. 1. lib. 3. hæresi 75.* indicat, diem Dominicam à ieiunio exceptam fuisse in ipsa etiam Quadragesima: quòd etiam testatur in *Compendiaria via de fide Catholica.* Idq; postea lege sancitum fuit in Atheniensi synodo *cap. 12.*

Die Dominica non flexis genibus orandum.

**A** pud veteres quoque Christianos diebus Dominicis nefas erat de geniculis adorare: hoc est, non licebat flexis genibus, sed stando precari, vt testatur Tertullianus in lib. De Corona militis. Ad quem locum B. Rhenanus, Hodie, inquit, hoc tantum fit adlectionem sacrosancti Euangelij, item in vespertino sacro paschalis hebdomadæ, ex vetustate relictum. Geniculari in adorando velut pœnitentis est. Qui stans adorat, tanquam iam veniam consequutus, gratias agit. Hæc illi. Quia ergò Christus suâ resurrectione, in cuius memoriam Dominica dies celebratur, vicit mortem, idè institutum fuit à veteribus hac die hilari animo gratias pro tanto beneficio agere Domino. Fatetur tamen Tertullianus citato loco, Christianis hoc in more fuisse sine vllò scripturæ sacræ loco, ex sola traditione & cōsuetudine, Vnde apparet quâ fide dignum sit, quòd *dist. 30. cap. Si quis presbyter, ex Concilio quodam Martini Papæ canon citatur, in quo indicatur, ab Apostolis traditum esse, vt per omnes Dominicas, & per omnes dies Paschæ vsque ad Pentecosten, non prosternant se in oratione causa humilitatis: sed recto vultu ad Dominum fungantur orationis officio, quòd in his diebus gaudium resurrectionis Dominicæ celebretur. In Concilio autem Niceno 1. can. 20. primò sancitum est lege, vt Dominicâ die non genua flectentes, sed stantes ad orationem, vota Domino reddant. De Consecr. distinct. 3. Quoniam sunt. Et repetitur in generali Concilio Constantinop. 6. cap. 90. sed est vnus, vt multi alij huius synodi, ex supposititijs canonibus. Meminit huius ritus etiam Hilarius in Psalmos. Ambrosius Sermone 62. & Augustinus epist. 119. cap. 15. Alexandri 111. quoque*



quoque hac de re lib. 2. Decretal. tit. 9. c. 2. Quoniam in parte. huiusmodi decretum extat: Diebus Dominicis & alijs præcipuis festiuitatibus, siue inter Pascha & Pentecosten, genuum flexio nequaquam fieri debet, nisi aliquis ex deuotione id velit facere in secreto, &c. Ex quo intelligimus post huius demum Pontificis tempora, qui Pontificiam sedem occupauit anno Christi 1160. hunc ritum cessasse.

Dominicâ die Processiones habendæ.

**A**gapetus Papa circa annos Christi 585. decreuit, vt diebus Dominicis Processiones in Ecclesijs fierent. Balæus in eius vita. Caranza in Marginalibus annotationibus ad Epistome Conciliorum fol. 194.

Exercitia veterum Christianorum Dominicâ die: vbi & de sanctificatione & profanatione festorum,

**I**ustinus Apologiâ secundâ indicat, quæ fuerint olim Christianorum Dominicâ die exercitia, & quomodo ea celebrata fuerit. Omnes, ait, Urbani & rustici ex agris in vnum congregantur, & primò leguntur scripta Prophetica & Apostolica. Secundò, præses orationem habet & exhortationem, vt bona quæ lecta sunt imitentur. Tertio, cœtus omnis surgit ad preces. Quarto, celebratur communio Eucharistiæ. Quintò, conferuntur elemosynæ ad sustentationem pauperum, pupillorum, egrotantium, exulum, &c. Ignatius, vnusquisq; nostrum, inquit, sabbathum celebret spiritualiter, meditationi legis diuinæ operam dans, non corporis indulgentiæ opus creationis & administrationis diuinæ cum admiratione, considerans: & in tali sabbathismo celebret quisq; Dominicam.

Quibus exercitiis festi dies ab antiquis celebrati.

Mox tamen refrigescente studio Dei, non solum hæc pia & religiosa studia penitus intercederunt, & promouum id non est, propter quod vnice primi Christiani feriatum sunt, sed diem Dominicam aliosq; dies festos in honorem Dei institutos, Ethnicorum prorsus more & imitatione, partim ritibus atq; ceremonijs quibusdam ineptis, & superstitionis, partim comessationibus & epulationibus, seu potius belluationibus immanissimis, partim deniq; ludis turpibus & obscenis celebrârunt, ac profestos fecerunt. Fatentur hoc Patres in Africano quodam Concilio can. 27. vbi testantur, conuiuia & saltationes in Natalibus martyrum in morem gentilium celebrari.

Pia festorum exercitia intermissa.

Quocirca plarimi omnibus seculis pij & moderati viri fuerant, qui hunc abusum grauitè reprehenderunt, & de eo conquesti sunt. Tertullianus in Apologetico c. 42. Quis hoc, inquit, sustinere aut defendere potest? Iudæis dies festos exprobrat Spiritus sanctus: Sabbathata, ait, vestra, & neomenias & ceremonias odit anima mea: nobis, quibus sabbatha extranea sunt, & neomeniæ, & feriæ aliquando à Deo dilectæ Saturnalia, & Ianuariæ, & Brumæ, & Matronales frequentantur, munera cômendant, strenæ consonant, lusus, conuiuia cōstrepan. O melior fides nationū in suâ sectam: quæ nullam solennitatem Christianorum sibi vendicat, non Dominicum diem, non Pentecosten etiam si nōssent, nobiscum communicassent, ne Christiani viderentur. Nos ne Ethnici pronunciemur, non veremur. Quibus vtiq; verbis Tertullianus grauitè si temporis Christianos reprehendit, quod sua festa haud aliter quàm Ethnici celebrarent. Vtitur autem argumentatione à minore ad maius, quo efficacius ipsos suæ dementiae conuincat. Et ita vult dicere: Si Deus Iudæorum festa propter illorum abusum odit, quæ tamen ab illo præcepta & instituta fuere, quanto magis odio habet Ethnicorum festa à diabolo ad Dei contumeliam instituta. Deinde, si hæc ipsa Iudæorum festa, quæ olim Deo grata fuerunt, nunc Christianis abominatio esse debent, quanto magis iidem alieni esse debent ab Ethnicorum festis, quæ Deo non modò nunquam grata, sed semper inuisa fuerunt. Denique, si Ethnici tam strenui suæ religionis sunt cultores, vt nullam Christianorum festiuitatem obseruent, ne Christiani esse videantur, quæ ergo hæc est amentia, atq; perfidia, quòd Christiani Ethnicorum festa colunt?

Tertullianus grauis querela.



DE ORIGINE FESTORVM

Augustinus.

De comessationibus, quae diebus Dominicis & festis exercentur, extant grauissima iustissimi magis D. Augustini querela ad Aurelium Episcopum, epistolâ 64, quae etiam dist. 44. cap. comessationes habentur. Item de Sabbatho ad Bonifacium libro 1. contra duas epistolas Pelagij. Idem in Psalmum 91. Iudaeos reprehendit, quod Sabbathis suis à bonis operibus cessent, non autem à malis: quum iuxta Chrysostomum Concione 1. de Lazaro, Sabbathum non otij, sed spiritualis negotij causâ datum sit. Ibidem satius esse dicit, sabbathis arare, quam saltare. In quam sententiam quoque in libro de decem chordis, satius esse dicit, Iudaeos in sabbatho operari, quam spectaculis interesse: & mulieres eorum die sabbathi nere, quam totâ die in Neomenijs impudicè saltare.

Gregorius M.

De diei Dominica profanatione Gregorius Magnus suo quoque tempore conquestus est, in epistola ad Augustinum Anglum: vbi inter cetera dicit, Laicos & seculares illo die plus solito ceteris diebus accuratius cibos carniûm appetere, & non nisi noua quadam auiditate vsq; ad medias noctes sese ingurgitare, dist. 4. c. Deniq; Hugo etiam in c. 4. Luca. Vult, inquit, Dominus festa celebrari, vt melius tunc vacare possimus orationi & contemplationi, nō comessationibus & porationibus, sicut multifaciunt, qui putant festorum Domini celebrationem consistere in comessationum & ebrietatum amplificatione, quod est magis festa violare. Polydorus Vergilius ait, apud Christianos nulla alia de causa fieri gratiorem diem festum iuuentuti, quam vt otium sit ad ducendas choreas. Et lib. 6. c. 8. de Inuent. Bona, inquit, pars hominum otium festorum dierum non ad orandum, non ad diuina scripta audienda, cuius rei causâ datum est, sed ad omnifariam bonorum morum corruptelam augendam, indices magis magisque consumit: dicitans se id animi gratiâ facere, quasi planè sentiens cum Platone, qui ob illud ipsum Deum eiusmodi festa sacra instituisse aiebat. Atque ita bellè Ethnicos, perinde in hac re, vt in nimis alijs multis æmulantur: quod tantum abfuit vt maiores nostri fecerint, vt etiam illud ipsum audacter isdem Ethnicis vitio dederint, teste Tertulliano in Apologetico. Et in Dominica orationis interpretatione idem ait: Dies festi eâ de causâ instituti sunt, quò eos precibus ac diuinarum literarum studijs daremus, secundum illud Decalogi præceptum, Sabbatha obseruato. Verùm quòta hominum pars dies festos rectè agit, quum non aliud fermè tempus hodiè magis detur omnis generis ludis, choreis, amoribus, compositionibus, aleis, pacitionibus atque nundinis: propterea haud dubiè expediret, vt ita tandem prouideretur, quo illi aut castius celebrarentur, aut saltem minuerentur, ne lasciuia iuuentuti tantum amplius spacij esset, sese contra præceptum Domini damnosis artibus exercendi, corrupendiue, si malum aliter sanari minus posset.

Sed nullo vnquam tempore maior fuit occasio hac de re conquerendi, quam hodiè. Negari enim non potest, quod Dominicis alijsq; festis diebus non vtamur ad auditum verbi Dei, ad preces, ad vsum sacramentorum, ad lectiõem scripturae sacrae, & ad similia pia atque honesta exercitia, sed quod abutamur ijs potius ad computationes, ebrietates, helluationes, ludos, pugnas, spectacula, mercatus, choreas, & alia tam sedulo, quam si lege aliquâ ita fieri oporteat: adeoq; non Christiana festa, sed potius Ethnicorum Saturnalia, Matronalia, Lupercalia, & Bacchanalia, cum magna Christiani nominis ignominia colimus. De qua impia & scelerata festorum Christianorum profanatione Thomas Naogeorouus libro 4. Regni Papistici ita canit:

Inspice postremò, quo pacto sabbatha seruent.  
Mane statim primo culti spaciuntur in vrbe  
Vestibus absurdè sectis, gressuq; superbo,  
Longisq; armati gladijs, pars visit & agros,  
Portasue ante omnes quædam nugalia tractat,  
Fabellisq; diem, risuq; orditur inepto.  
Conueniunt alijs, stillaticiumq; lyæum

Compotant



Compotant auidè, surgendi vt nulla facultas  
 Præstetur potis: interdum in sedibus ipsis  
 Suffocati efflant animam, sociosq; relinquunt.  
 Perpauci Missam curant, sanctissima quamuis  
 Credatur cunctis, adeunt nec templa precatum:  
 Sed vel longa domi sumunt ientacula manè,  
 Continuantiq; vices potu, dum vesper olympo  
 Promicat: aut cedunt sermones per fora, & ante  
 Templi vestibulum. Porrò post prandia ludunt  
 Aut saxi iactu, aut cursu, celerique sagittâ  
 Impulsuq; pilæ leuis, aut spiramine plenæ.  
 Bombardis certant alij ludouæ, palæstræ,  
 Aut gladiatorum saltem certamina spectant.  
 Sub tectis partim alueolo, chartisue iuuantur.  
 Pars sedet ante fores, & famam denigrat omni:  
 Aut noua componit, litesq; & iurgia plantat.  
 Inter ludendum verò non desit Iacchus:  
 Qui simul inuasit sensus, mentemq; retorsit,  
 Et leuibus rixam verbis pugnamq; capessunt:  
 Atq; hæc consueta est festæ conelutio lucis,  
 Noxia vel capiti, & cunctis temulentia membris.  
 Ad vespertinos cantus preculasq; vocantur  
 Campanæ pulsus: non sese verteret vllus,  
 Ludendo pergunt, templum cantusq; precesq;  
 Credunt sacrificiis rectè, ludicq; magiaris.  
 Pars amat interea, charamq; requirit amicam,  
 Aut struit insidias teneris fraudemq; puellis  
 Hinc petulans cogit choreas ducitq; iuuentus,  
 Et socias fœdè rapidum conuertit in orbem,  
 Stringitur & nullâ mollis petulantia lege.

*Quod si Plutarchus pu. ait, Iudæos sabbatho suo Bacchum colere, quod tunc poculis certant, & comessationibus, ebriitateq; dediti essent, & propterea sabbathum vocasse à σαββαζι, quod Bacchum, aut Bacchi filium significat, vt ex Amphithio & Mnasea Cælius Rhod. lib. 4. c. 15. indicat: quantum rectius de nobis hodiè diceret, quod Dominicâ die Bacchum & Venerem coleremus.*

*Imperatores itaq; Christianissimi hunc festorum abusum impium suis edictis & legibus tollere, vel saltem coecere & reprimere sunt conati. Constantinus enim M. sancit, vt Dominicâ die à iudicijs alijsq; causis vniuersi vacationem habeant, & in eorum orationibus occupati sint: vt Sozomenus lib. 1. cap. 8. historia Ecclesiast. & in Tripartita hist. lib. 1. cap. 9. Nicephorus quoq; lib. 7. cap. 46. referunt. In Codice etiam Tit. de Ferijs, huiusmodi decretum Leonis & Anthemij Imp. extat: Dies festos maiestati altissimi dedicatos nullis volumus voluptatibus occupari, nec vllis exactio-  
 Imperatorum leges contra profanationem festorum, & præcipue diei Domin. cæ, vexationibus prophanari. Dominicum itaq; diem, semper honorabilè ita decernimus venerandum, vt à cunctis executionibus excusetur, nulla quenquam vrgeat admonitio, nulla si deiusionis flagitetur exactio, taceat apparitio, aduocatio delitescat, sit idè dies à cognitionibus alienus præconis horrida vox filescat. Et mox: Nec tamen huius religiose diei ocia relaxantes, obsceniorū quenquā patimur voluptatibus detineri. Nihil eodè die ibi vendicet scena theatralis, vel circense certamè, aut ferarū lachrymosa spectacula, etiam si in nostrū natalem celebranda solennitas inciderit, differtatur. Amissionem militiæ, proscriptionem patrimonij sustinebit, si quis vnquam*



DE ORIGINE FESTORVM.

die festo spectaculis interesse, vel cuiuscunq; iudicis apparitor, prætextu negotij publici seu priuati, hæc quæ lege hac statuta sunt crediderit remoranda. *Vide quo res hodierno die deuenierint: alij militiae dignitate, alij patrimonij, exuebantur, si tantum spectaculis die Dominicâ interfuissent: iam nihil ferè scelerum est, quod non maximè Dominico die sacro perpetretur. Et Carolus M. in suis Constitutionibus prohibuit, vt mercatus die Dominico nullo in loco habeatur, sicut Ansegissus lib. 1. de Francorum legibus cap. 139. indicat.*

Conciliarum  
decreta.

Nec minus etiam concilia sabbathi Christianorum sanctificationem præceperunt, & profanationem eiusdem prohibuerunt. Nam in Synodo Tarraconensi anno 480. celebrata ca. 4. sancitur, Ne die Dominico presbytero aut Episcopo causam aliquam ventilare liceat. Et in synodo Aurelianensi 111. tempore Childeberti Regis Francorum & Vigilij Papa habitata anno Christi 539. iuxta Panuinium, ita can. 27. decernitur. Quia persuasum est populis Dominicâ die cum caballis, & bobus, & vehiculis itinerare non debere, neque vllam rem ad victum præparare, vel ad nitorem domus, vel hominis pertinentem, nullatenus exercere: quæ res quia ad Iudaicam magis, quam Christianam obseruantiam pertinere probatur, id statuimus, vt Dominicâ die, quod ante fieri licuit, liceat. De opere tamen rurali, id est, agricultura, vel vinea, vel sectione, vel messione, excussione, vel exacto sepe, censuimus abstinendum, quo facilius ad Ecclesiam venientes, orationis gratiâ vacent. Quod si inuentus fuerit quis in operibus supra scriptis, quæ interdicta sunt, se exercere: qualiter emendare debeat, non in laici distractione, sed in sacerdotis castigatione consistat. Idem prorsus statuit in synodo apud Palatium Vernis sub Pipino Rege habitata anno 755. Matisconensis synodi 2. canon. eadem de re sic habet: Videmus populum Christianum temerario more diem Dominicam contemptui tradere, & sicut in priuatis diebus, operibus continuis indulgere: propterea per hanc synodalem nostram epistolâ decernimus, vt vnusquisq; nostrum in sacrosanctis Ecclesijs admoneat sibi subditam plebem. Et si quidem admonitioni consensum præbuerint suis proderunt vtilitatibus: sin autem, subiacebunt poenis à nobis diuinitus definitis. Custodite itaq; diem Dominicam, quæ nos denuò peperit, & à peccatis omnibus liberauit. Nullus vestrum litium fomitibus vacet: nullus causarum actiones exerceat: nemo sibi talem necessitatem exhibeat, quæ iugum ceruicibus iumentorum imponere cogat. Estote omnes in hymnis & laudibus Dei animo corporeq; intenti. Si quis vestrûm proximam habet Ecclesiam, properet ad eandem, & ibi Dominico die semetipsum precibus lachrymisq; afficiat. Sint oculi manusq; vestræ toto illo die ad Deum expansæ: ipse enim dies requietionis perpetuus, ipse nobis per septimæ diei vmbra insinuatus noscitur in lege & in prophetis. Iustum igitur est, vt hanc diem vnanimiter celebremus, per quam facti sumus quod non fuimus. Fuimus enim ante serui peccati, sed per eam facti sumus filij Iustitiæ. Exhibeamus Domino liberam seruitutem, cuius nos no uimus pietate de ergastulis liberatos erroris, non quia hoc Dominus noster expetit, vt corporali abstinentiâ diem Dominicam celebremus: sed quærit obedientiam, per quam nos, calcatis terrenis actibus, ad cælum vsq; misericorditer prouehat. Si quis itaq; vestrûm hanc salubrem exhortationem parui penderit, aut contemptui tradiderit, sciat se pro qualitatis merito principaliter à Deo puniri, & deinceps sacerdotali quoq; iræ implacabiliter subiacere. Si causidicus fuerit, irrepabiliter causam amittet: si rusticus aut seruus, grauioribus fustium ictibus verberabitur: si clericus aut monachus, mensibus sex à consortio suspendetur fratrum. Hæc namq; omnia, & placabilem erga nos Dei animum reddunt, & plagas morborum vel sterilitatem amouent atq; repellunt. Noctem quoq; ipsam, quam nos insperatæ luci inaccessibili reddidit, spiritalibus exigamus excubijs. In synodo Tolitana anno 585. can. 23. ita sancitur: Irreligiosa consuetudo est, quam vulgus per sanctorum solennitates & festiuitates agere consuevit; nimirum quod populi, qui de-

bent



bent officia diuina attendere, saltationibus turpibus inuigilant, cantica nō solū mala cantant, sed etiam religiosorum officijs perstreperunt. Hæc igitur de cætero fieri prohibemus. *De Consecrat. dist. 3. c. Irreligiosa. In Synodo Antisiodorensi anno 614. celebrata iuxta Panuinium ca. 16. præcipitur, Ne liceat Dominica die arare, vel alia opera ruralia exercere. Idem etiam sancitur in Cabillonensi 1. synodo, anno 658. habita, ca. 18. In vniuersali Concilio Constantinopolitano 6. in Trullo habito ca. 19. præcipitur, vt diebus omnibus, præcipue verò Dominicis, populum doceant Episcopi. In Synodo Dingulofinensi inferioris Bauariæ sancitur, vt festo die Solis, otio diuino intentus quisq; profano negotio abstineat. Item præcipitur, vt qui hoc die vehiculariam, aut huiusmodi operam fecerit, iumenta eius publicentur; si contumax esse perrexerit, in seruitutem redigatur. Auentinus lib. 3. Annalium. In synodo Foroiuliensi circa annum 794. habita, sancitur ca. 13. vt dies Dominica inchoante noctis initio, id est, vespere sabbathi, quando signum insonuerit, vel hora est ad vespertinum celebrandum officium, non propter honorem sabbathi vltimi, sed propter sanctam illam noctem primi sabbathi, hoc est, Dominicæ diei, cū omni reuerentia, & honorifica religione ab omnibus Christianis veneretur. Præcipitur etiam, vt abstineat quisq; ab omni peccato, & ab omni opere carnali terrendo, à proprijs etiam coniugibus, vt nulli rei, quam orationi vacet; vtq; omnes concurrant ad ecclesiam, cessante omni causarum strepitu, ad laudandum Deum. In Moguntina synodo, quæ iussu Caroli M. habita est anno Domini 813. iuxta Sigeb. in Chron. statuitur ca. 37. Omnes dies Dominicos cum omni veneratione obseruandos, & in ijs à seruili opere abstinendū: Item, vt mercatus in eis minimè sit, nec placitum seu iudicium, vbi aliquis ad mortem, vel ad pœnam damnatur. Idem etiam decernitur in synodo Remensi ca. 35. Turonensi 3. ca. 4. Arelatensi 4. ca. 16. Triburiensi ca. 35. Parisiensi ca. 50. Erfordiensis, vt est videre de Consecrat. distinct. 4. c. Placita. Ca. 35. eius synodi quam Leo IV. Papa iussu Lotharij & Ludouici Imp. habuit ita sancitur: Volumus vt sacerdotes admoneant viros & mulieres, qui festis diebus ad ecclesiam concurrunt, ne saltando & turpia verba decantando choros teneant ac ducant, similitudinem paganorū peragendo: quia tales si cum minoribus peccatis ad ecclesiam veniunt, cum maioribus reuertuntur. Si verò non cessant admoniti à communione modis omnibus suspendantur. Vnde apparet, Christianos his temporibus circa ipsa templa in festis diebus saltasse & cantasse. Gregorius IX. qui Pontificatum est adeptus anno 1227. constituit, vt homines & iumenta diebus Dominicis & festiuis omnino quiescant, nisi vrgens necessitas instet, vel nisi pauperibus, aut ecclesiæ gratis fiat. Chron. Aeditui. In Colonensi synodo anno 1536. habita, ca. 10. partis 9. ita sancitur: Volumus, vt in ferijs prohibitæ sint nundinæ, claudantur cauponæ, vitentur comestationes, ebrietates, lites, lusus improbi, choreæ plenæ insanij, colloquia praua, cantilenæ turpes: breuiter, omnis luxus.*

Quemadmodum autem sic à plerisq; in defectu, ita à multis quoq; in excessu peccatum est, quod obseruationem festorum attinet. Nam, vt supra ex Aurelianen. 3. synodo intelleximus, fuere, qui festis diebus ne cibum quidem præparare, aut alia ad vitæ sustentationem necessaria agere, licere putarent, Iudaicâ omnino superstitione. Imò fuere, qui pro piaculo habuerunt, Dominicâ die vel serobes scindere. Narrat enim Cranzius in Metropoli lib. 4. c. 8. Olaum regem Suetiæ animum alijs rebus incendens, cultello interea baculum in sarmenta conscidisse. Quum autem ab astante hanc ob causam de violatione sabbathi argueretur, serobes istas diligentissimè collectas, manuiq; suæ impositas incendi iussit: vt in se vlsceretur, quod incautus contra Dei præceptum vanâ persuasionem admiserat. O superstitionem anilem.

Obseruârunt autem diem Dominicam, aliaq; festa à vespere ad vespere: & initium feriarum significabatur vespere campana pulsu. Sub annum verò salutis 1203. Vuilhelmus Scotia rex Concilium procerum regni sui coegit, in quo decretum est, vt dies Dominicus, initio factus ab hora duodecima Saturni diei, vsque ad diem Lunæ sacer esset, neque quis

Excessus in obseruatione festorum.

Festa à vespere ad vespere obseruata.

F



DE ORIGINE FESTORVM

quam res profanas exerceret: idēq; campanæ pulsu populo indicaretur, ac postea sacris rebus operam darent, concionibus interessent, vesperas quas vocant, audirent, constitutâ aduersus transgressores graui multâ, vt *Hector Boëthius testatur, libro 13. de Scotis.*

IANVARIVS.

Festa & Memoriae Sanctorum quæ mense IANVARIO à Christianis celebrantur: vbi primò de CALENDIS IANVARIIS & CIRCVMCISIONIS festo.

Christiani, eorum suum annum à Calen. Ianuar. auspicentur.

**V**M in anno auspicando diuersi fuerint diuersarum gentium mores, causam, ob quam Christiani à Calendis Ianuarijs potius, quàm ab alio aliquo mense, annum suum auspicentur, hanc potissimum affert *Baronius* in suo *Martyrologio*, quòd his ferme diebus Christus redemptor noster mundo affuso tenebris nascens, illuxerit. Sed hæc vera causa non esse videtur. Dubitatur enim non sine gratibus causis, An Christus hoc tempore, hisq; ferme diebus, vt *Baronius* inquit, natus fuerit, sicut loco suo indicabitur. Sed hæc verissima esse videtur ratio, quòd Christiani simpliciter, & absq; omni causa Romanum, seu Iulianum annum, vt omnium optimè ordinatum, retinuerunt.

I. Circumcisionis festum recens est.

Quod autem ad CIRCVMCISIONIS festum attinet, quòd primo eius die celebratur, admodum id videtur esse recens. Nam non solum veteres Patres eius mentionem nullam faciunt, sed ne *Isidorus* quidem, *Micrologus*, *Amalarius*, *Rabanus Vualfridus*, & *Strabo*, quæ describunt officia omnium festorum. In Constitutionibus etiam *Caroli M. C. de Ferijs*, l. omnes dies, & *Synodi Moguntinæ ca. 36.* Circumcisionis nulla fit mentio, sed eius loco OCTAVAE Natiuitatis Christi: quemadmodum & in sequentibus Canonibus synodorum, Calendarum Ianuariarum. Confirmat hoc etiam *Baronius* his verbis: Qui egerunt de diuinis officijs, tantum de octauis Domini tractatus inseribunt, prout habet *Ordo Rom.* *Albinus Flaccus c. 3.* *Amalarius lib. 4. c. 32.* *Micrologus c. 30.* & *Concilium Moguntinum c. 36.* *Iuo Carnotensis*, qui floruit circa annos Domini 1090. et *S. Bernhardus* qui claruit anno 1140. Sermones habent de ipso festo Circumcisionis, adeoq; illi primi sunt, quod ego quidem sciam, qui eius meminerunt. Postea in Concilio Oxoniensi anno Domini 1222. & vniuersali Lugdunensi anno Christi 1244. celebrato, in Catalogo festorum per anni circulum seruandorum, primò quoq; ponitur. *Maximi* quidem *Taurinensis Episcopi*, qui circa annum Domini 450. claruit, quædam homilia huic inscriptum habet titulum, in Circumcisione Domini: sed quia mox sequitur. Siue de Calendis Ianuarij, videtur prior illa inscriptio à recentioribus addita. Nam Circumcisionis mentio nulla fit per totam homiliam.

Calen. Ianuar. à Priscis Christianis celebrata.

Certum tamen est etiam olim in veteri ecclesia Calendas Ianuarias à Christianis obseruatas fuisse, & in Christianum festum commutatas, sic tamen vt ritus & superstitiones Ethnicæ, hoc die vsitatas, non abiecerint, sed retinuerint potius, et posteris suis etiam quasi per manus tradiderint. Omnes enim illæ superstitiones Ethnicæ, quas *lib. de Festis Ethnicorum* in Calendis Ianuar. commemorauimus, & olim hoc die sunt obseruata à Christianis, & etiamnum hodiè pertinaciter obseruantur à nobis. Discurrunt namq; noctu tam senes quàm iuuenes promiscui sexus cantantes præforibus diuitum, quibus felicem annum cantando precantur & optant. Hoc autem quum noctu fiat, nemini dubium esse debet, quin sub hoc pretextu multa obscæna et turpia perpetrentur simul. Eadē nocte plurimi mensam varij generis epulis parant & ornant, putantes se per totum anni spacium talē ciborum abundantiam habituros. Alij poculum plenum aquâ vel vino in mensa ponunt, quòd si exundet, et ultra margines poculi intumescat, fertilitatem: sin minus, caritatē eius anni ominantur: quam consuetudinē *D. Hieronymus lib. 18. in Isaiam* indicat, veterem fuisse idololatriam apud Ethnicos in cunctis vrbibus, maxime verò in *Aegypto*, & *Alexandria*.

Calen. Ianuar. Ethnico more à Christianis celebrantur.



*Alexandria. Totus dies per omnes vrbes, vicos ac compita, comotationibus, comessationibusq; non solum in publicis, sed etiam priuatis adibus consumitur, non sine choreis saltationibusq; impudicissimis. Bonifacius Germanorum Apostolus ad Zachariam Papam scripsit, venisse ad se, qui dixerint, se vidisse annis singulis in ipsa vrbe Roma, & iuxta Ecclesiam S. Petri in die nocteq; Calendarum Ianuar. paganorum consuetudine choros ducere per plateas, & acclamationes ritu gentilium, & cantationes sacrilegas celebrare, mensasq; illa die vel nocte dapibus onerare, & nullum de domo sua ignem, vel ferramentum, vel aliquid commodi vicino suo prestare velle; nec id Zacharias negauit.*

*Srenas quoq; vlerò citroq; mittimus, & Dulciarijs nos mutuo honoramus, quæ nos vocamus Helsefen & Helseweggen.*

*Ab hoc deniq; Circumcisionis festo vsq; ad Quadragesimæ ieiunium, personæ induuntur, & vestium mutationes fiunt, viciniq; ad vicinos hac ratione comitant, turpi insaniendi bacchandiq; studio. Quam vestium mutationem nos Germani hodiè nostrâ linguâ Mummerey vocamus, à Latina voce Mutare. Ijs etiam, qui ita laruati vicinos suos saluant, occilla & oscilla secum deferunt, & ita pecuniam extorquent: quod nos vernaculo sermone ein umbschantz appellamus. Hoc prorsus fit ad imitationem ludorum Sigillarium, Oscillarium & Occillatorum, qui pars erant Saturnaliorum, & circa mens. Ianuarium passim in domibus priuatim, non publice, exercebantur inter familias: Macrobio, Polydoro lib. 5. cap. 2. Laxio lib. 10. cap. 10. de Repub. Romana, & Langio epistolâ 61. testibus.*

*De his ritibus & consuetudinibus Thomas Naogeorgus libro 4. Regni Papistici ita cecinit:*

Post cælis Iani tribuuntur dona Calendis,  
Atq; etiam strenæ charis mittuntur amicis:  
Coniugibusq; viri donant, gnatisq; parentes,  
Et domini famulis, anni felixq; precantur  
Principium gentis Pagano more togatæ.  
Debita nemo petit totis his octo diebus,  
Selectisq; onerant dapibus mensasq; focumq;  
Pancq; vescuntur miro, magnisq; placentis.  
Ludunt, compotant, ineunt conuiuia lati:  
Vt si fortassis cepto moriantur in anno,  
Se tamen explerint prius, antiquamq; nouarint Hoc modo amicitiam.

*Et sic quidem annum veterem terminamus, nouumq; auspicamur, inauspicatis prorsus dirisq; auspicijs. Adeoq; bellè Gregorij M. consilio paremus, qui Paganorum festa sensim in Christiana festa commutanda, & quædam ad similitudinem facienda esse voluit, lib. 9. ca. 71.*

*Multa autem in huiusmodi superstitiones scripsit Tertullianus in lib. de Idololatria. Ambrosius Sermons 17. de Calendis Ianuarijs, Est mihi, inquit, aduersus plerosq; de vestris, fratres, querela non modica: de his loquor, qui nobiscum Natalem Domini celebrantes, gentilium se ferijs dederunt: & post illud cœleste conuiuium superstitionis sibi prandium parauerunt: vt qui antea latificati fuerant sanctitate, inebriarentur postea vanitate; ignorantes, quòd qui vult regnare cum Christo, non possit gaudere cum seculo. Et mox: Si nos sumus templum Dei, cur in templo Dei colitur festiuitas idolorum? Cur vbi Christus habitat, qui est abstinentia, temperantia, castitas, inducitur comessatio, ebrietas atq; lasciuia? Item, Quomodo potestis religiosè Epiphaniam Domini precurare, qui iam calendas, quantum in vobis est, deuotissimè celebrastis? Ianus enim homo fuit vnus conditor ciuitatis, quæ Ianiculum nuncupatur, in cuius honore Calendæ Ianuariæ à gentibus sunt nuncupatæ. Vnde qui Calendas Ianuarij colit, peccat, quoniam homini mortuo defert diuinitatis obsequium, Rursus: Ergo fratres omni studio gentilium festiuitas*

Ritus qui huius  
vruntur Chris-  
tiani in Calen-  
d. Ian. damnati.



rem & ferias declinemus, vt quādo illi epulantur & leti sunt, tunc nos simus sobrii atq; ieiuni, quò intelligant, lætitiā suam nostrā abtinentiā condemnari. *Maximus Taurinensis Episcopus*, in illa homilia quam in Circumcisione Domini *de Calendis Ianuarijs* habuit, Christianos ab his ludis bacchantium Ethnico more seriò dehortatur: & monem istum, vt prorsum hominibus, nedum Christianis indignum, grauiter reprehendit & insectatur. *Causa 26. quæst. 7.* citatur locus ex *Augustino*, in quo præcipitur, ne obseruentur *Calendæ Ianuarij*: in quibus cantilenæ quædam, & comestationes, & ad inuicem donationentur, quasi in principio anni, boni fati augurio: nam qui hæc obseruet, magis ad sui damnationem, quàm ad salutem tendere. *Eadem de re Constantinopolitani Concilij sexti Canon 62 sic habet*: *Calendas quæ dicuntur, & vota brumalia, quæ vocantur, & qui in primo Martij mensis die fit, conuentum ex fidelium ciuitate omninò tolli volumus: sed & publicas mulierum saltationes multam noxam exitiumq; afferentes: qui etiam eas, quæ nomine eorum, qui falsò apud Græcos dñj nominati sunt, vel nomine virorum ac mulierum fiunt saltationes ac mysteria more antiquo & à vita Christiana alieno, amandamus & expellimus, statuentes, vt nullus vir deinceps muliebri veste induatur, vel mulier veste viro conueniente. Sed neq; comicas vel satyricas, vel tragicas personas induat, neq; execrandi *Bacchi* nomen, etc. In *Turonensi synodo 2. statuitur ca. 23.* ne pro Christianis habeantur, qui *Calendas Ianuarij Ethnicorum* ritu colant. In *synodo Antiochorensi, anno 614. celebrata, sancitur ca. 1.* non licere *Calendis Ianuarijs* vecolo aut ceruolo facere, vel *strenas diabolicas* obseruare: sed illo die sic omnia præstanda, vt etiam reliquis diebus.*

*Bonifacius ille, de quo antea petu à Zacharia Papa, vt huiusmodi ritus Calendarum Ianuar. Romæ abolerentur, quò exteræ nationes quoq; facilis in officio contineantur. Zacharias ergò conuocatâ synodo anno 742. tale decretum facit*: Si quis *Calendas Ianuarias, & brumam* ritu *Paganorum* colere, vel aliquid noui facere propter nouum annum, aut mensas cum dapibus vel epulis in domibus præparare, & per vicos, & plateas cantiones, & choros ducere præsumperit, quod magna iniquitas est coram Deo, anathema sit. 26. q. 7. *Polydorus Vergilius etiam consuetudinem hanc induendi personas, & mutandi vestes grauissimè insectatur lib 5. cap. 2. de Inusnt.* Nostri, inquit, morem induendi personas ad imitationem *Ethnicorum* nò vno vel altero die, nec sacrorum causâ, sed turpi insaniendi studio, duos continuos menses ante *Quadragesimæ* initium, stolidè seruant, sub quibus inueteratâ iam lasciuitendi licentiâ, sexcenta flagitia quotidie faciunt, & illud impunè: perinde quasi eo modo cuiq; liceat esse scelerato, nihilue maleficij creditur committi, si vera hominis facies non videatur, perinde ac si non pateamus etiam Deo, quem nemo ambigit, fandi atque nefandi iustum esse iudicem, qui & improbos pœnâ & probos præmio semper afficiat. Vna omnium regionum *Anglia* eiusmodi personatas belluas hæctenus non vidit, nec quidem vult videre, quando apud *Anglos*, in re hæc præ alijs, certè sapientiores, lex est, vt capitale sit, si quis personas induerit. Hæc ille. Apud *Rom.* etiam infame fuit, fæminam pro mare, vel marem pro fæmina lasciue se gerere. *L. vestis §. muliebria. & seq. ff. de auro & arg. leg. cuius quidem legis Commentatores nonnulli tradunt, eos infames qui sic se vestiant.* *Athenienses* istiusmodi *γυναικωδὰς* & euiratos homines appellârunt *Batalos*, ab obscenò quodam ticine & histrione, cui nomen *Batalus*: qui primus sandalijs & vestimentis muliebribus in scenam prodijt. *Galli* retinent adhuc istud nomen, & vocant *Bateleux*. *Batali* meminere *Plutarchus* in vita *Demosthenis* et *Suidas*, qui scripsit, *βαταλί* ἔδειν esse *μαλακῶς* αἰχρῶς δὲ γειν, molliter ac turpiter viuere. *Rothomagenses* miserabiliter anno 1430. combusserunt fæminam armis viri indutam: quod etiam prohibet *Deus cap. 22. Deuter.*

II.

*MACARIUS*, cuius memoria celebratur 4. Non *Ianuar.* monachus fuit *Syriæ*: qui quum pulicem se pungentem occidisset, & sanguis exisset, seipsum accusans, quòd propriam iniuriam vindicasset, nudus sex menses propterea in deserto mansit, vbi tandem à crabronibus laceratus



laceratus è vita excessit hoc die. *Iacobus de Voragine Legenda 18. & Petrus de Natalibus lib. 2. cap. 35. de Sanctis.*

**ANTHERVS** Papa 20. occiditur sub Maximino Imp. & sepelitur in cœmiterio Callisti viâ Appiâ 3. Non. Ianuarij. Platina & alij.

**GENOVEFA** virgo Parisiensis eodem die à concubibus suis colitur, ob multa miracula quibus patriam à plurimis periculis liberavit, idq; ex institutione Innocentij Papæ, vt *Iacobus de Voragine Legenda 113.* indicat, non tamen quotus hic Innocentius fuerit refert. Pingitur cum candela in manu & demonio ad pedes ligato: nugantur enim, quòd duo cerei in manu eius accensi sint: & quòd plures obsessos à demonio, oratione & crucis signaculo emundârit:

**DANIELIS** Leuitæ & Martyris festum 3. Non. Ianuar. quoq; celebratur à Patavinis, non quòd eo die occisus, sed corpus eius inuentum sit. *Petrus de Natalibus lib. 2. cap. 40.*

**PRISCVS** Presbyter, Priscillianus & Benedicta Romæ sub Iuliano Apostata comprehensi, gladio occisi sunt prid. Non. Ian. & propterea eorum memoria hoc die celebratur. *Pet. de Natalibus lib. 2. cap. 42.*

**TELESPHORVS** Episcopus Romanus 9. Nonis Ianuarij colitur, quòd eo die sub Antonino Imp. martyrio coronatus & sepultus esset in Vaticano iuxta B. Petri corpus. *Pet. de Nat. lib. 2. cap. 46.*

**SIMEON** Stylites, qui annis quadraginta, haud procul ab Antiochia, in columna duodecim, postea verò 40. cubitorum, instar ciconiarum, vixit, hoc ipso die honoratur festo, quòd tunc in suo illo nido expirâisset. Vide historiam apud *Euagrium lib. 1. cap. 13. & 14. Metaphrastem, Lippomanem, Surium & Pet. de Natal. lib. 2. cap. 45.*

## EPIPHANIA.

**E**piphanix vocabulum Græcum est, Latinis apparitionem seu manifestationem significat. Nomen est autem festi, cuius primò mentionem faciunt *Naxianzenus Oratione in sancta lumina, Ammianus Marcellinus lib. 21.* vbi dicit, *Iulianum Apostatam, ne detegeretur, quòd esset idolorum cultor, voluisse hoc festo præsentiam suam exhibere, quod, inquit, Christiani celebrantes mense Ianuario, Epiphaniæ nomine nuncupant: & Chrysostomus de S. Philogonio, quocunq; tandem tempore cœperit. Græci autem & Aegyptij festum hoc sic nominârunt ab eo, quòd per baptismum mundo Christus manifestatus esset. Inscriptio Orationis secunda Naxianzeni in sancta Epiphaniarum lumina, etiam τῶν φωτῶν ἑορτῆς, id est, Luminarium festum appellatam fuisse hanc solennitatem indicat, quòd Baptismus etiam illustratio dicitur, vt apparet ex eadē Oratione. Hoc etiã nomine Cyrillus monachus eam appellat in Actis quæ de Euthymio conscripsit. Quia verò Natiuitatem Domini & Baptismum eodem die factum putârunt Græci & Aegyptij, idcirco veranq; festiuitatem vno & eodem simul die solenni celebrârunt: quemadmodum indicatur argumento Epistolarum Theophili, libris Paschalius præfixo, per Cassianum Scytham. Sic enim ibi dicitur: Intra Aegypti regionem mos iste antiquâ traditione seruetur, vt peractâ Epiphaniarum die, quam prouinciæ illius sacerdotes, vel Dominici baptismi, vel secundum carnem natiuitatis esse definiunt, &c. Constat hoc etiam ex Chrysostomo in Lucam c. 2. in Natali Domini. Et Frisingensis lib. 7. cap. 32. Græci, inquit, Natiuitatem Domini Epiphaniæ continuantes, duas illas festiuitates vnâ faciunt. In Occiduis autem Ecclesijs Natiuitatis Christi & Epiphaniarum duæ distinctæ semper fuerunt festiuitates, vt in eodem argumento Theophili ostenditur, & Durandus etiam testatur in Rationali lib. 6. cap. 16. Et quidem terciâ decimâ die à Natiuitate Christi Epiphania celebratur ab Occidentalibus, propter triplicem Christi apparitionem hac die factam: vnde & in antiquis libris dies Epiphaniarum semper pluraliter legitur: atq; ideò etiam triplici nomine insignitur, scilicet Epiphania, Theophania & Bethphania. Epiphania dicitur, quantum ad illam apparitionem Domini, quæ facta est Magis per stellam. Secunda apparitio fuit eadem die in baptismo, multis tamen à Natiuitate an-*

III.

IIII.

V.

VI.

Epiphaniæ  
etymon.Natiuitas Christi  
& Epiphania à Græcis simul celebratâ.

In occiduis ecclesijs Natiuitas Christi, &amp; Epiphania diuersa sunt festa

Epiphania  
quid.



DE ORIGINE FESTORVM

Theophania  
quid.

Bethphania  
quid.

Phagiphania  
quid.

Epiphaniæ  
origo.

nis euolutis, scilicet die 13. tricesimi vel tricesimi primi anni. Et dicitur Theophania, quia ibi Trinitas apparuit: pater in voce, filius in carne, spiritus sanctus in columba. Tertiam apparitionem factam voluit anno à baptismo Christi euoluto, quum esset 30. annorum, & 13. dierum, quando nimirum se manifestauit vel declarauit esse Deum per mutationem aqua in vinum: quamuis Baronius Tomo 1. Annal. probare conetur pag. 96. 97. baptismum Christi & miraculum in Cana vno eodemq; anno & die facta esse. Hæc apparitio dicitur Bethphania, quia facta fuit in domo quum esset in nuptijs. De his tribus apparitionibus fit solennitas hac die. Durandus in Rationali lib. 6. c. 16. Additur à quibusdã huius festi quartum nomen Phagiphaniæ, quòd hoc ipso die quinq; millia hominum quinq; panibus satiavit, vt refert Iacobus de Voragine in Legenda aurea ex Beda, & hymno illo qui in multis ecclesijs cantatur, & incipit, Illuminans altissimus. Dubitatur autem, an hac die ædiderit Christus hoc miraculum, tum quòd in originali Bedæ no sic expressè legitur: tum quòd Ioannes cap. 6. vbi hoc miraculum describit, dicit: Erat autem in propinquo Pascha,

Fuit autem hæc dies apud Romanos celebris olim in honorem Augusti Cesaris, propter Parthiam, Egyptum & Mediam debellatam, & Romano imperio additam. Hanc ergo solennitatem in melius Ecclesia commutare volens, Epiphaniarum festum in eius locum instituit. Durandi Rationale lib. 6. cap. 16.

De Magis & Stella quæ eis apparuit  
in Natiuitate Christi.

Quum Epiphaniarum solennitas celebretur inter alias causas, in memoriam apparitionis seu manifestationis Christi per stellam Magis factæ, non contra institutum nostrum erit indicare, qui nam hi Magi fuerint, vnde venerint, & quæ aut qualis illa stella sit quæ eis apparuit, quum res hæc tota fabulosis & stolidis Monachorum & similium narrationibus valde obscurata sit: earum tamen aliquas referam, vt istius generis hominum audacia & stupiditas cognoscatur.

Magus quis.

Matthæus Euangelista eos, quibus stella in Oriente apparuit, Μάγισ Magos vocat. Est id Persicum vocabulum, quo peculiare sapientissimorum hominum genus, ipso quoq; Cicerone de Diuinatione teste, appellatum fuit, qui & augurandi & diuinandi scientiã instructi, nõ solum religionẽ curarunt, sed etiam Regibus à consilijs fuerunt. Testatur hoc quoq; Porphyrius: Magus, inquit, Persarum linguã idem significat, quod apud nos altissimarum rerum interpretes & cultores. Diogenes etiam Laertius scripsit: Magos Deorum cultui iustificare, preces illis, vota & sacrificia (quasi soli ab ijs exaudiantur) offerre: de Deorum substantia ac generatione asserere, diuinationem prædicationemq; exercere, sibi Deos apparere asserentes. Plato in Alcibiade priore dicit, Magos Persarum fuisse sapientissimos. Et Strabo libro 16. testatur, Magos id fuisse apud Persas, quod apud Indos Gymnosophistæ, apud Græcos Philosophi, apud Latinos Sapientes, apud Gallos Druidæ, apud Assyrios Chaldæi. Vnde Bap. Mantuanus lib. 1. de Festis sic canit:

Ille penes Persas Magus est, qui sidera norit,  
Qui sciat herbarum vires, cultumq; Deorum;  
Persepoli facit ista Magos prudentia triplex.

Officij igitur & dignitatis nomine, quam apud suam gentem habebant, eos appellat Euangelista, non ab illudendo, vt quidam volunt, quòd Herodem illuserint, non redeuntes ad eum. Chrysostomus, putat sic eos nominatos, quòd fuerint malefici: sic enim Magi Pharaonis dicuntur etiam. Equidem negari non potest, in tantum progressu temporis auctam Persicorum Magorum vanitatem, vt non solum obseruatione syderum futura prædicerent, sed artibus quibusdã



busdam, & maleficijs, & scire se omnia, & facere posse profiterentur. An verò hi Magi tales fuerint, affirmare pro certo non possum. Si fuerunt, admiranda est Dei bonitas, qui Christo vix dum nato, tam procul (vt Theodoretus loquitur) diaboli vates ad sui adorationem euocauit, & Gentium primitias ex ipsis inferorum penetralibus liberauit, idq; per extraordinarium prorsus praeconeum, nouum videlicet sydus.

Quicquid sit, illud tamen hinc iam constare puto, Magos hos non fuisse REGES, sicut temere omnino, & falso iam diu creditum fuit in orbe Christiano. Testatur id etiam descriptio horum Magorum ab Euangelista facta, quae certè nihil dignitatis regia praese fert. Adhuc non regie ab Herode vocantur: mittuntur ab Herode, ac demum insidijs eius elabuntur. Adde, quòd istos, si reges fuissent, & ab Arsacidis tunc Persidis regione positos, missi, non ita facile admisisset Herodes Parthorum hostis iuratus. Deniq; historia sacra id non tacuisset. Vnde Bap. Mantuanus lib. de Sacris sic canit:

Nec reges, vt opinor, erant, nec enim tacuissent  
Historiae sacrae authores: genus istud honoris  
Inter mortales quo non sublimius vllum.  
Adde quòd Herodes, vt magnificentia regum  
Postulat, hospitibus tantis regale dedisset  
Hospitium, secumq; lares duxisset in amplos.

Error autem ex sinistro intellectu Psalmi 72. est exortus, in cuius versu 10 sic legitur: Reges Tharsis & insularum munera offerent: reges Arabiae & Saba dona adducent. Haec autem de spirituali regno Christi debent intelligi, ad quod reges quoq; accessuri sint, vt Ecclesiae nutritij fiant. Deinde ad Magos hos referunt, quos ab Oriente venisse Matthaeus disertè dicit, quae Psalmus hic de Regibus Occidentis et Meridiei loquitur. Tharsis enim Iudaeae respectu ad Occidentem spectat, Saba verò ad Meridiem.

Deinde verò veterum hanc esse traditionem Ecclesiae volunt: quod probare conantur ex Tertulliano, Augustino, Hilario, Hieronymo, & recentibus alijs nonnullis scriptoribus. Etsi verò his opponere possemus non minoris auctoritatis Patres, Chrysostomum, Theodoretum, Cyprianum, Nyssenum & Cyrillum, qui ne verbo quidem regiae istius maiestatis mentionem faciunt, etiam vbi hanc historiam diligenter pertractant: tamen inspiciamus loca, quae ex Patribus ab aduersarijs citantur, & illorum stupiditatem atq; malitiam mox deprehendemus. Tertullianus in libro contra Iudaeos, verba illius Psalmi huc applicans, inquit: Nam & Magos reges ferè habuit Oriens, & Damascus Arabiae retrò deputabatur. Hic verò bis hallucinatur Tertullianus. Primò quòd Magos hos ex Arabia, atq; adeò Damasco Iudaeae admodum vicina regione fuisse putat, qui tamen ex Persia aduenerunt. Deinde, quòd Orientem Magos reges ferè habuisse dicit. Nam Magos quidem in maxima auctoritate apud Persarum reges fuisse, nemo negabit. Cicero lib. 1. de Diuinat. dicit, Nullum Persarum regem esse potuisse, qui non antè Magorum disciplinam scientiamq; percepisset. Adhuc, sine auctoritate & consilio Magorum ne ipsis quidem regibus quicquam agere licebat: Magos autem propterea dictos fuisse reges aut habitos pro regibus, nullo testimonio probari poterit. Et si maximè scripserit haec obiter Tertull. locum illum Psalmi detorquens, non tamen sequitur propterea Ecclesiae fuisse traditionem. Hilarius autè locum Isa. 45. cum altero illo Psal. 72. comparat quidè, sed ita, vt istos minimè reges fuisse dicat. In eo autè manifestè errauit, quòd laborè Egypti partim allegoricè de magia interpretatur, partim de itinere à Magis confecto in Bethleem intelligit: nam Aegyptus non fuit ad Orientem, sed ad Meridiem Iudaeae sita. Hieronymus etiam in Psal. 72. non dicit, eos fuisse reges, sed regum typos, qui secundum illam prophetiam ex regionibus istis ad Christi cognitionem sine accessuri. In Augustini autè loco citando suam isti homines stupiditatem & inscitiam produnt. Sic enim legitur in eius lib. 3. de Mirabilibus scripturae, cap. 4. Magi Hierosolymam venerunt, inde, ineuntis Israelitarum oraculis vatum de eodem nato vbi nascendi locum acciperet, monente subdolo sermone, reges alacres eunt. Quis enim non animaduertat corruptam & depravatam esse lectionem, studiose an secus incertum

Magi quibus  
stella in Nativitate Christi appa-  
ruit, non fuisse  
reges.

Magos fuisse  
Reges non est  
traditio Ecclesiae.

Tertulliani  
lapsus.

Hilarij error.

Augustini lo-  
cus corruptus.



DE ORIGINE FESTORVM

Vnde natus error, quod hi Magi reges fuerint.

est, & monente subdolo sermone regis (Herodis videlicet) vel vt in multis exemplaribus habetur, monente subdolo sermone rege (scilicet Herode) alacres eunt, legendum esse? Videtur igitur Ioan. Molano, & ipsi pontificio cap. 57. de Picturis, receptam hanc opinionem de Magis istis primùm obtinuisse ex his quæ die Epiphaniarum in Ecclesiastico officio canuntur ex Psalmis, Reges Tharsis & insula munera offerent, &c. ea tamen ipse quoq; vt nos supra, interpretatur: & adducit Lindanum, qui dicit, authores veteres, qui Magos hos Reges esse scripserint, probabilibus tantùm coniecturis, non historiæ autoritate innixos.

Epiphania non rectè Festum trium Regum dicitur.

Ex hac autem vana persuasione natum est, vt festum hoc vulgò Trium regum solennitas diceretur. Tres enim fuisse inde colligunt, quòd tres munerum species à Matthæo describuntur, aurum, thus, & myrrha. Egregia certè ratio, quæ probabitur iustū exercitum secum habuisse Abigaelè, quum obuiã irerè Dauidi, eiq; offerret ducentos panes, duos vres vini, quinq; arietes, quinq; sata polentæ, centū ligaturas vnae passæ, & ducentas massas caricarū. Non autem quid singuli, sed quid illi simul omnes Christo obtulerint, ab Euangelista narratur. Quidam ex veteribus quatuordecim illos fuisse asseuerarunt: quod tamen ipsum quoq; nullã certã ratione nititur. Numerus eorum incertus est.

Magorum nomina ficta.

Verùm enim uerò non hîc substitit illorum hominum impudentia, quin nomina quoq; Magorum commenti sunt, quæ Hebraicè dicantur Appellius, Amerius, Damascus: Græcè, Galgalath, Magalath, Sarachin: Latinè, Caspar, Balthasar, Melchior, vt refert ineptissimè, et Hebraicæ ac Græcæ linguæ imperitissimus Iacobus de Voragine in Legenda 14. Et vt nihil deesset ad impiam prophanationem, mos etiam iste verè magicus inoleuit, vt fictis his Caspari, Balthasaris, & Melchioris nominibus, cum crucis signo ter repetito, puræ chartæ vel pergamenæ inscriptis & collo appensis, quosuis morbos, scilicet, depellant.

Magi venerunt ex Persia.

Venisse autem eos ex Persia Chrysostomus apertè testatur. Et proinde falsum est, quòd dicunt ex Tharsi, Arabia & Saba venisse: quod sigmentum supra quoq; refutatum est. Falsum est etiam, quòd tertium ex his Magis Ethiopem esse dixerunt, propter Sabam nimirum, quæ Æthiopiæ sedes regia olim fuit. Probant hoc etiam picturæ paulò vetustiores, & Colonienses recentiores quoq; in quibus omnes tres candidi pinguntur, Ioan. Molano de Picturis teste. Volunt deniq; nonnulli venisse eos ex vrbe Susa, in qua Academia fuit liberalibus studijs celeberrima, itinere ducentorum & triginta miliarium.

Christus reuelatus Magis in Persia per stellam.

Quomodo autem, & quâ ratione Christus Magis his in Persia, longissimo itinere distante à Iudæa, reuelatus fuerit, illijpsi indicant, quando apud Matthæum Stellæ mentionem faciunt, quam viderint in Oriente, & ab eadem illos postea à Bethlehemum vsq; deductos fuisse Euangelista testatur.

Stella quæ Magis in Persia apparuit, qualis fuerit.

Quaritur hic primò quæ, aut qualis hæc stella fuerit? Astrologi respondent, Stellam fuisse primam, hoc est, cœlestem à solis Magis & sapientibus obseruatam: quod etiam Chrysostomus innuere videtur, quum dicit, Stellam hanc ab omnibus visam fuisse, sed non ab omnibus intellectam. Afferunt porrò Astrologi fuisse hanc stellam constellationem quandam syderalem, hoc est, plurium stellarum concursum & congressum, puta, superiorum Planetarum, Saturni videlicet ac Iouis conuentum. Huiusmodi autem coniunctiones, rarò admodum contingentes, si in capite Zodaici, vel in principio alicuius triplicitatis acciderint significare putantur, iuxta Astrologorum doctrinam, maximas in mundo alterationes, & non solum regnorum mutationes, sed & nouos hominum conuentus, nouas religionum ac ceremoniarum leges portendere. Sic coniunctio illa Saturni & Iouis quæ anno Christi 1500. accidit, nouos illorum sacrorum ritus ab Hysmaèle Sophi inductos, & reformationem paulò post in Ecclesia Christi factam, nec non morbum illum contagiosum, medicis antea incognitum, quem alij Gallicum, alij Hispanicum morbum vocant, significasse creditur. Alij non cœlestem stellam, sed elementarem fuisse arbitrantur, ex genere Cometarum vel impressionum ignitarum, quas in aère nonnunquam apparentes Astrologi Stellas secundas vocant. Sed Sydus nouum & extraordinarium fuisse tota narratio declarat. Nam si fuisset stella aliqua ex ijs quæ in firmamento fixæ sunt, aut ali-

as suas



as suas in superiori mundi parte certas periodos habent, antea quoque conspecta esset tot seculis, iam à mundi initio elapsis. Deinde differt proprietatibus ab alijs stellis. Primò, loco: nam in aëre, & quidem regione eius inferiori seu propinqua apparet. Demonstrat etiam Magis iter, ac testatur Matthæus, quòd supra tam domum constituerit, ac indicis certissimi vici fuerit, ubi puer Iesus tùm egit. Alia stellæ naturales propter ingentem à terris distantiam, non possunt aliquam domum ita exactè ostendere. Secundò, motu. Nam ceteræ stellæ suum habent motum, à quo non aberrant. Cometæ quoq; sequuntur illud sydus, à quo maximè excitati & accensi sunt, & tandem plerunq; ad Septentrionem feruntur. Hæc autem stellæ accomodat se Magis iter facientibus, non celerius properat, non tardius subsequitur: non declinat à certa via, sed quasi fax quadam ratione prædita Magis præluceat, ac deducit ad eum ipsum locum, quò tendunt: monstrat eum, quæ toto pectore videre cupiunt. Tertio, reliquæ stellæ noctu tantùm fulgent, interdum radijs solis oppressæ latent. At hæc stellæ nihil obfuscatur Solis radijs, sed interdum lucem clarissimam fundit, quum Magis dux via fuerit. Quarto, significations. Nam nulla alia stellæ, præter hanc, significavit unquam Messiam promissum esse natum. Eadem causæ probant, hanc stellam non fuisse quoddam Meteoron, aut impressionem aliquam ignitam, in aëre temerè generatam. Nam ea citò disparent, aut alios habent motus ac significations. Non temerè igitur à Chrysostomo in caput 2. Matthæi affirmatur, consentaneum esse, quandam invisibilem virtutem in specie syderis figuratam, seu, ut paulò post loquitur, virtutem quandam plenam rationis fuisse. Talia enim sunt huius stellæ opera, ut nonnulli non inconuenienter existimauerint, angelum stellæ specie, iussu diuino Magis præluxisse. Testantur enim historiae sacræ, aliàs quoq; angelos flammæ specie conspectos fuisse: hæc sententia est Chrysostomi. Alij dicunt, non fuisse impossibile omnipotenti Deo, & authori totius machinæ mundi, in honorem filij sui Iesu Christi nouam stellam condere, eiq; peculiare hoc officium demandare, ut hoc pacto Magos ad Messiam deduceret: eòq; peracto, eam postea rursus subtrahere, & in præiacentem materiam conuertere. Nonnulli Spiritum sanctum fuisse volunt, qui iam in specie ignis apparuerit, sicut postea in forma columbæ. Has sententias enumerat Augustinus lib. 3. de Mirabilibus Scripturæ cap. 4. Remigius in Originali, & Iacobus de Voragine Legenda 14.

Hæc verò muta stellæ docere per se Magos hos tantum mysterium non potuit, sed accessisse aliud oportuit, quo ad tantum suscipiendum iter, & rem tam inuidiosam tanto feruore persequendam impellerentur, prophetiam videlicet Bileami, vetustissimi & celeberrimi totius Orientis Magi. Eius prophetiæ verba sunt, Orietur stellæ ex Iacob, Num. 24. quæ usq; ad hunc cum Magorum percontatione congruunt, ut eò prorsus respexisse videantur. Ac refert sanè Iacobus de Voragine, & Petrus de Nata. cap. 47. lib. 2. Magos Persidis elegisse ex seipsis duodecim, qui per singulos annos ascenderint montem Victorialm, & tribus diebus ibi commorantes sese lauasse, & orasse Deum, ut sibi stellam, de qua Bileam prædixerat, ostenderet. In die igitur Natiuitatis Domini, dum iidem sic ibi manerent, stellam ad eos venisse, quæ habuerit formam pulcherrimi pueri, super cuius capite crux splenduerit, & Magos sic alloquantem esse, Ite velocius in terram Iudæ & ibidem Regem quem queritis inuenietis. Sed & Danielis olim apud Magos scripta dubium non est, quin fuerint pretiosa, ac fortassis etiam accuratius quàm apud ipsos Iudæos obseruata, in quibus doctrinam de Messia summâ fide & dexteritate tradidit, additis etiam quibusdam præfagijs quo tempore expectandus ille esset. Suetonius etiam in suo Vespasiano, & Tacitus referunt, in toto Oriente veterem & constantem opinionem fuisse, in fatis esse, ut ex Iudæa oriundi rerum potirentur. Turpiter igitur se ipsos fallunt Astrologi, quando Magos hos per Astrologiam in Christi natiuitatis cognitionem peruenisse volunt, & inde suæ vanitatis & audaciæ prophane patrocinium captant. Nam Magi huius artis ductu in Christi cognitionem non venerunt, quam circa stellas naturales & earum motum ordinariū versari scimus. Istam verò quæ Magos deduxit, non vulgarem fuisse probauimus: quemadmodum & illud, quòd muta hæc stellæ tantum mysterium per se Magos docere non potuerit.

De tempore etiam, quando primùm hæc stellæ exorta sit, & Magi Bethleem peruenerint.

Stellæ quæ apparuit Magis, ut docuerit eos natum Christum.

Astrologorum error.

Stellam quando primò viderint Magi.



DE ORIGINE FESTORVM

runt, an tempore puerperij, vel quoto tempore post, quaritur? Epiphanius lib. 1. cap. 20. & lib. 2. cap. 51. asserit, secundo natiuitatis anno Magos Christum visitasse: idq; ex Herodis facto, qui hi mulos interfecit. Usitata opinio est, decimo tertio die post natiuitatem Christi Magos aduenisse. Vnde etiam die 13. à Natiuitate Domini hoc festum Epiphaniarum celebratur. Si quæras, quomodo fieri potuerit, ut in tam paruo tempore, per tanta terrarum spacia venire potuerint? respondet Iacobus de Voragine ex Hieronymo, vsos fuisse Dromedaris pro equis, qui vno die longius iter conficiant, quàm equus tribus diebus. Non autem habetur in Commentarijs Hieronymi in Mattheum. Ex Remigio quoq; dicit, puerum, ad quem properarint, eos in tam breui spacio adducere potuisse.

Ritus in Epiphaniarum festo.

Quia verò creditum fuit Magos hos Reges fuisse, propterea in honorem & memoriam eorum varij ritus hac die hinc inde obseruantur. In Gallia vnus ex ministris aulicis Regis eligitur Rex, cui Rex ipse, ceteriq; proceres inter epulandam ministrant. Idem etiam in Germania obseruatur hoc die per Academias & vrbes à studiosis & ciuibus: ut nimirum aliquem ex sese Regem sorte creent, cui apparatus conuiuium magnificum, in quo ceteri ipsi tanquam Regi, & simul hospiti ministrant. Fit hoc ad imitationem gentilium. Apud Romanos enim Saturnaliorum diebus moris fuit, ut domini famulos suos conuiuio exciperent, ipsiq; seruorum officio fungerentur. Idem etiam apud alias gentes usurpatum fuit.

De his autem alijsq; ritibus & consuetudinibus, quæ in Epiphaniarum solennitate obseruantur, ita canit Thomas Naogeorgus lib. 4. Papiſtici Regni:

Venit hinc lux alma Magorum,  
 Qui procul ex Persis nato donaria Christo  
 Stellâ portârunt duce. Reges hosce fuisse,  
 Et tres duntaxat censent, creduntq; Papiſtæ.  
 Conueniunt igitur multi certiq; sodales,  
 Atq; creant aut sorte aut per suffragia regem:  
 Is creat inde sibi regali more ministros.  
 Tum conuiuantur multis luduntq; diebus,  
 Largo continuasq; trahunt ex ordine mensas,  
 Dum loculi vacui fiant, & creditor instet.  
 Horum etiam pueri confestim exempla sequuntur,  
 Et rege electo pompas mensasq; frequentant,  
 Vel nummis furto raptis, sumptuue parentum,  
 Ut simul & luxum discant, scelerataq; furta.  
 Hac etiam luce ædium herus, comisq; patronus  
 Quisq; facit magnam pro opibus cœtuq; placentam,  
 Vnum cui nummum, simul vt conspergitur indit.  
 Hanc fecat in multas, vt turba domestica suadet,  
 Particulas, datq; vni vnâ cuiq; attamen istâ  
 Lege, suas habeant puer vt, virgoq; magiq;  
 Quæ dein pauperibus sub eorum nomine dantur.  
 Ast omnes inter cui pars fortè obrigit illa  
 Quæ nummum retinet, rex ille agnoscitur, & mox  
 Tollitur à cunctis clamore ad sydera magno,  
 Qui cretâ acceptâ, crucibus laquearia pingit  
 Omnia: Vis ingens illis & magna potestas  
 Dæmonas aduersum, lemuresq; artesq; magorum.  
 Tanta potest rex, tanta crucees, quas dextera pingit  
 Aut pueri insani, aut famuli, dominiue prophanti  
 Cautè bis senas obseruant deniq; noctes  
 A natali, vt thus succendat in ædibus vnus

Quisq;



Quisq; pater, mensaq; imponat nocte propinquā  
 Integrum panem, ad prunas & thuris odorem.  
 Cernuus ipse astat primus, naresq; oculosq;  
 Fumigat, ac aures, & aperto ore haurit odorem.  
 Hunc sequitur contunx, & tota domestica turba.  
 Hoc prodesse ferunt, ne dentes, lumina, nares  
 Atq; aures anno morbis vexentur in illo:  
 Postquam omnes fumum thuris cœpere Sabæi,  
 Prunas insperso thure ilicet arripit vnus,  
 Ast alter panem, reliqui quos ritè sequuntur,  
 Circumeuntq; ædes prælato lumine noctu,  
 Vt ne dira fames defectu panis & escæ  
 Intret, neu Sagæ noceant molimina diræ:  
 Sunt qui duntaxat faciunt tris talia noctes,  
 De causis iisdem, totum tutosq; per annum  
 Se credunt fore: se Christo audet credere nemo.  
 Noctibus his etiam diuinant, atq; diebus,  
 Totius ingressi de tempestatibus anni,  
 Vnum mensem vni tribuentes sorte diei.  
 His etiam cœunt iuuenes per rura diebus,  
 A scaule assumpto, vicosq; vrbesq; propinquas  
 Vestibus accedunt cultis, cantantq; domatim  
 In propriam cuiusq; incondita carmina laudem.  
 Vnde ferunt nummos, magnamq; per otia prædam  
 Vel sibi, vel templo vicini: quasi non alioquin  
 Passim à mendicis populus, monachisq; grauetur.  
 Sunt vrbes, vbi coniuncti pueri atq; puellæ  
 Hæc eadem faciunt: simul ac noctescere cœpit,  
 Poma nucesq; ferunt cum nummis atq; placentis.

*In Italia quoque moris fuit olim hac die futurum Pascha populo indicare & annunciare. Sacerdos namq; vel alius post Offeritorium altæ voce dicebat: Annuncio charitati vestræ gaudium magnū, quod erit omni populo, quia Septuagesima erit tali die, & Pascha tali. Id tamen non vbique in ipsa etiam Italia obseruatum fuit. Durand. Rationale libro 6. cap. 16.*

**IULIANVS** Antiochenus relicta sponsa Basilissâ, cum qua iam cubile intrauerat, monasterium extruit, in quo mille monachorum pater efficitur. Tandem sub Diocletiano & Maximiano Imp. supplicio afficitur à Martiano Antiochen. præside, 7. Idus Ianuarij. Pet. de Nat. lib. 2. cap. 52. VII.

**ERHARDVS** Episcopus Frisingensis obiit anno 453. tempore Childerici regis Francorum: sed canonizatus demùm est à Leone 9. circa annos Christi 1050. vt Auentinus testatur lib. 5. Annal. Eius festum celebratur die 8. Ianuarij. VI. 16

**MARCELLINVS** Anconitanus Episcopus, podagricis doloribus excruciatu, colitur 5. Id. Ian. quòd tunc mortuus esset. Pet. de Nat. lib. 2. cap. 59. IX.

**PAVLVS** Eremita primus, insidias sub Decio ob religionem Christianam animaduertens, fugâ salutem consuluit, & annos natus 15. eremum vastissimam adiit, vbi in specum sub montis radicem se recepit, vnde ad vitæ finem nusquam discessit, hominem etiam nunquam vidit, præterquam supremo vitæ die Antonium & ipsum Eremitam. Moritur in illo specu annos natus 113. quarto Idus Ianuarij, eamq; ob causam memoria eius tunc celebratur. Hieronymus & alij in eius vita.

**NICANOR**, qui fuit vnus ex septem diaconis, ab Apostolis electis, Act. 6. in Cy X.



DE ORIGINE FESTORVM

pro martyrio coronatus, ibiq; sepultus est 4. Idus Ianuar. eodem die colitur. Hieronymus.

XI. HYGIVS Episcopus Rom. 10. sub Antonino Pio occiditur, & sepelitur 3. Idus Ianuar. quo & festo honoratur. Platina.

XII. SATYRIVS quum in Achaia simulacrum prateriret, illudq; corrueret, ab infidelibus comprehensus & decollatus est pridie Id. Ian. vnde & festum eius tunc celebratur. Petrus de Nat. lib. 2. cap. 66.

XIII. HILARIVS Pictaunorum Episcopus, & Arianismi strenuus impugnator, de quo Iacobus de Voragine multa fabulosa narrat, mortuus est anno Christi 372. sub Valentiniano & Valente Imp. Idibus Ian. quibus & festo die colitur. Testatur id etiam Bap. Mantuanus lib. 1. de Fastis ita canens:

Hic quoq; natalis tuus est memorandus Hilari  
Tertia post decimam Iani cum frigida tellus  
Sub niue dormiret, te lux ascendere ad astra  
Vidit: &c.

XIII. FELIX Presbyter sub Diocletiano & Maximiano martyrium passus est Roma, 19. Calend. Februar. iuxta portam Pincinam, ubi & sepultus, & progressu temporis Ecclesiae eius nomini dedicata est: Ipse quoq; Felix in Pincis inde cognominatus fuit. Pet. de Natalibus lib. 2. c. 74.

XV. MAVRVS Benedicti Abbatis Casinensis caenobij discipulus mortuus est ex grauissimis lateris doloribus 18. Cal. Februar. quo die & memoria eius celebratur. Pet. de Natal. lib. 2. cap. 79.

XVI. MARCELLVS Episcopus Rom. 31. detrusus à Maxentio Imp. in cacabulum ad custodienda animalia publica, pedore ac situ ibi mortuus est, & sepultus à Lucina 17. Cal. Februar. vnde & festum eius tunc celebratur. Platina.

XVII. ANTONIVS Aegyptius Eremita, aetatis suae anno 20. vendidit quae habebat, partem quae sorori concessit, reliqua pauperibus distribuit. Et initio quidem locus à sua villa remotioribus solus habitavit. Cum autem annum aetatis 35. ingressus esset, in eremum secessit, duriores quam antè vitam sibi proponens. Ibi quum per annos 20. latuisset, in publicum tandem prodijt, & familiaritatem cum Monachis alijs, ad quos saepe accessit, coluit. Ingressus est & vrbes Christum fideliter predicans. Tandem inde rediens in durissimam eremum se contulit, ubi ad montem sublimem habitaculum suum constituit, moriturq; anno Christi 361. 16. Cal. Feb. vnde & dies ille ei sacer est. Hieronymus enim de S. Hilarione scribit, quod cognito, licet longè absens, Antonij obitu, illuc magno labore se contulerit, ut anniuersariam illius dormitionis diem, eodem in quo defunctus erat loco praeijs nocturnis vigilijs celebraret. Roma hoc die pueri S. Spiritus visant Sudarium.

XVIII. PRISCA nobilis & senatorij ordinis ciuis Romani filia, passa est sub Claudio Imp. 15. Cal. Feb. Pet. de Nat. lib. 2. cap. 90.

XIX. PONTIANVS Spoletanus, omni suppliciorum genere excruciatu tempore Antonini Imp. quòd idolis Ethnicis sacrificare nollet, tandem martyrio coronatus, sepultusq; est 14. Cal. Feb. Pet. de Nat. lib. 2. cap. 102.

XX. SEBASTIANVS ortus ex Narbonensi Gallia, primae cohortis Diocletiani Imp. princeps, sed Christianus fuit, inscio tamen Imperatore: qui multos Christi fideles & martyres exhortationibus suis ad constantiam animauerat & in fide retinuerat. Delatus igitur apud Imperatorem comprehendi iussus est, & in apertum campum deduci: ubi à militibus trunco arboris alligatus & sagittis quam plurimis transfixus, corpus, verò eius in cloacam abiectum est. Bergomensis lib. 8. Petrus de Nat. lib. 2. cap. 106. Passus est, ut idem refert, circa annos Domini 288. Cal. Febr. Sagittarij & sclopetarij patrocinio eius hodiè vtuntur, quòd sagittarum ictibus interemptus sit. Roma in titulo Eudoxiae ad Vincula S. Petri altare ad luem propulsandam erectum est tempore Agathonis Papae. Hinc prouenisse videtur, ut posterioribus temporibus hunc Sanctum ad euitandam imminentem pestis cladem patronum elegerint.

AGNES



AGNES nobilissima Roma ciuis, ob insignem & excellentem corporis formam, ab Ethnica ei cuiusdam Pratoris urbani filio adamata fuit. Sed eius connubium quum repudiaret puella Christi ina, nuda in lupanar tracta est, ubi tamen mirabiliter pudicitia eius custodita est, & Ethnicus repressus. In ignem etiam coniecta exuri non potuit, tandem iugulata est anno Christi 306. 12. Cal. Feb.

Belech in Rationali c. 75. nugatur, Agnetis festum celebrari cepisse propter quoddam miraculum, quod octauo die eius parentibus ad tumulum Agnetis lamentantibus contigerit. De quo Antoninus tit. 8. cap. 1. § 39. ita scribit: Cum octauo die parentes eius iuxta tumulum ipsius vigilarent orando, viderunt eorum virginum fulgidis vestibus radiantem, inter quas viderunt B. Agnetem simili veste fulgentem: & à dextris eius agnum stantem niue candidiorem. Hinc agnus à pictoribus ei semper adpingitur, & à Romanis mulieribus ei quotannis hoc die offertur, ex cuius lana pallia archiepiscopalia conficiunt: de quo Naogeorgus lib. 4. Papistici regni sic canit:

Virginis Agnetis sequitur lux, haud ea sanè  
Germanis adeò solennis, festaq; verùm  
Grata est Romanae multum primoribus aulae,  
Principium vt magnae praedae, quaestusq; futuri.  
Namq; in ea binos agnos candore niui  
Agnetis templi monachae primam super aram  
Dum celebrantur sacra, Dei cantatur & agnus,  
(Ad rem nempe haec cuncta) solent offerre quotannis.  
Hos dein Pontificis mittunt in laeta ministri  
Pasqua, tondendi dum opportuna appetat hora.  
Candida dentosae miscetur cum altera lana,  
Inde q; praegnantem torquentur stamina fuso,  
Ex quibus arguta texuntur pallia dextra.

Visio haec Agnetis facta parentibus narratur etiam cum alijs multis fabulosis historijs apud Ambrosium Serm. 90. Erasmus autem Sermones illos omnes supposititios esse asseuerat. Et 90. Sermonis Appendicem dicit indicare artificem. Baronius quoq; Tom. 3. Annal. pag. 260. eum incerti authoris esse affirmat.

MENRADVS seu MEGINRADVS Berchtoldi Comitum à Sulgouu ad Danubium habitantis filius, Augia diuitis relicto monasterio, in tenebrosissimam solitudinem apud Helueticos anno Domini 860. concessit, ibiq; cellam sibi extruxit, ubi tamen anno 863. à latronibus duobus (qui Tiguri postea capti rota igniq; adiudicati sunt) trucidatus, corpus autem ad Augiam diuitem reuectum, ibiq; honorifice sepultum fuit, 12. Calend. Februarij, & propterea memoria eius eo die quo Agnetis celebratur. Eleuatum tamen, & ad pristinum locum, in quo occisus erat, corpus eius translatum fuit anno Christi 1039. 6. O. Febris.

VINCENTIVS Hispanus fuit, Leuita sanctissimus, qui Valentiae sub Praeside Daciano, anno 300. 11. Calend. Febr. martyrium fecit. De quo Bergomensis in supplemento ex Sermone quodam D. Augustini haec citat: Magnum & admirandum spectaculum noster animus cepit: nec immanissimam & perniciosissimam, sicut solent in theatris, quarumcunq; nugarum; sed planè utilissimam & fructuosissimam voluptatem oculis interioribus hausimus, quum B. Vincentij passio legeretur. Iuuat videre inuictam martyris animam contra insidias antiqui hostis, contra saeuitiam Daciani, contra dolores mortis, carnis acerrimam conflictatione certantem, & in auxilio Dei cuncta superantem. Nam Dacianus ipse, sanctissimum hominem in equleo primùm leuatum toto corpore distendi fecit, distentumq; diuersis vulneribus cruciari, cruciatum etiam pectinibus lacerari, carnificesq; ad crudelius sauiendum verberibus fecit vrgeri. Eiusdem deinde corpus in craticula positum, vncis ferreis aperiri, & ardentes laminas infigi, ac sale ignito aspergi, laceratumq; in teteris

XXIII

G



mo carcere fecit includi: ibiq; testas acutissimas congeri, in lignoq; pedes eius affigi, & sine humano solatio derelinqui. Verum in probatis Augustini Sermonibus ista hodie non leguntur, sed apud Iacobum de Voragine Legenda 25. & Petrum de Natalibus lib. 2. cap. 111. vbi etiam addit, defuncti in carcere corpus in campum tractum, & feris auibusq; deuorandum expositum, postea vero in mare proiectum fuisse, sed in litore inuentum à pijs quibusdam sepultum, & tandem Valentiam deductum esse.

XXIII.

EMERENTIANA & ipsa ciuis Romana, sociâq; Agnetis in martyrio indiuisa fuit. Quum enim Agnetis corpus à Christianis sepeliretur, vix Ethnicorum, eos lapidibus impetentium, manus euaserunt. Emerentiana autem ad sepulchrum eius stans intrepida, quum gentiles de impietate & crudelitate redargueret, lapidibus obruta interficitur. Eius corpus iuxta Agnetis à parentibus eius sepelitur, 10. Cal. Febr. Pet. de Natalibus lib. 3. cap. 13. & Messeth de Sanctis Sermone 1. de Agnete.

XXIII.

TIMOTHEVS Pauli discipulus, natus fuit Lystris Lycaonia, vt putatur: quia ibi eum Paulus inuenit primum, Act. 16. adolescentem admodum. Quum ministro & comite eo Paulus vti cepisset, vsq; adeo eum temporis processu deamauit, vt nec charius eo, nec pretiosius quicquam habuerit. Tandem rogatus à Paulo, vt Ephesi maneat, ibiq; Ecclesiam instruat, de qua re ei præcepta per totam priorem ad Timotheum epistolam præscribit, Ephesi substitit. Quâ occasione Eusebius lib. 3. cap. 14. Sophronius & alij pleriq; primum eum Episcopum factum Ephesiorum tradiderunt. Sed quomodo & quandiu Ephesina Ecclesia doctor & gubernator præfuerit, certi & explicati nihil apud aliquem probatum auctorem traditur. Quare nec pro certo affirmare possumus, eum Ephesi, quod ad porticum templi Diana propius accedens, idololatriam Ephesiorum redarguisset, palis & lapidibus obrutum, martyrium consummasse 9. Cal. Febr. quod pleriq; tradiderunt, vt Antoninus, Vincentius lib. 38. cap. 10. & Petrus de Nat. lib. 3. ca. 17. ex Polycrate presbytero.

XXV.

CONVERSIOPAVLI, cuius historia legitur Act. 9. facta dicitur 8. Calend. Febr. à Iacobo de Voragine Legenda 28. & Petro de Natalibus libro tertio, cap. 20. Vnde & tunc memoria eius celebratur. Mentio autem huius festi primò fit seculo demum duodecimo à nato Christo à probatis authoribus. Nondum tamen vbiq; celebratum Innocentij tertij tempore, hoc est, circa annos 1200. ex eius Epistola patet, quæ extat inter eius Decretales libro 1. in qua monet Vuormatiensem Episcopum, vt festum Conuersionis Pauli ipse celebret, & faciat per suam diocesin solenniter celebrari.

De tempore  
Conuersionis  
Pauli,

De tempore autem, quo hæc Pauli Conuersio facta est, diuersa admodum & inter se pugnantis sententia reperiuntur. Quidam existimârunt, Paulum post septennium ab Ascensione Christi conuersum fuisse: & hoc ex Hippolyto Thebano Michael Glycas parte 3. Annal. & Nicephorus lib. 2. cap. 3. Euodij autoritate confirmare voluerunt. Hi omnes putant, post septem demum annos ab Ascensione Domini S. Stephanum lapidatum esse. Eusebius contra, eam factam narrat anno à Natiuitate Christi 34. & imperij 19. Tiberij Caesaris: vide eius Chronic. Sed vtraq; sententia consistere non potest. Prior falsa est, cum tempus martyrij S. Stephani eodem anno Ascensionis Domini contigisset certum sit. Posterior certis rationibus confutatur. Cum enim à lapidatione Stephani, quæ celebratur 26. Decemb. quod tunc facta creditur, vt ibi indicabitur, vsq; ad Pauli conuersionem non amplius quàm triginta dierum spatium intercedat; non credibile est, tot tantaq; à morte Stephani ad Conuersionem vsq; Pauli tam breui tempore accidere potuisse. Nam post eius martyrium Saulus vt Lucas Act. 8. testatur, vastabat Ecclesiam, intrans per domos, & trahens viros ac mulieres, ducebat in custodiam: eo etiam tempore facta est dispersio discipulorum per regiones, quando Ananias Damascum profectus, ibi Euangelium prædicauit, conuertensq; ad fidem nonnullos, collegit Ecclesiam, de quo nuncius Hierosolymam perlatus est; quem cum accepisset Saulus, vt est Act. 9. accessit ad Principem Sacerdotum, & petijt ab eo epistolas Damascum ad Synagogas: acceptas deferens & appropinquans Damasco, admirabiliter ad Christum conuertitur. Hæc non vnus mensis, sed vix in integri anni spatio fieri potuerunt. Verior itaq; est de anno secundo sententia, quam etiam probat Eusebius cap. ultimo in Acta Apostolorum.

ECC



Est hic dies apud plebem criticus, utpote cuius serenitas fructuum abundantiam, venti bella, nebula pestem, nix & pluuia caritatem indicare creduntur. Unde hi sunt versiculi qui omnium ore circumferuntur:

Clara dies Pauli bona tempora denotat anni.  
Si fuerint venti designant praelia genti.  
Si fuerint nebulae pereunt animalia quaeque.  
Si nix, si pluuia, designant tempora cara. Sed concludendum:  
Ne credas certè, nam fallit regula saepe.

Est enim hoc genus diuinationis, quod *μετεωρικὸς νοῦλος ἢ ἀνωδὸν*, Latine popolare vel plebeium nominant, quia imperita plebi in usu est, & propterea etiam saepe fallit: nam non inquisitis causis euentuum in natura, nec considerato signorum cum rebus significatis consensu, ex ijs solum, quae ut plurimum eodem modo euenire ijsdem antegressis signis animaduertunt ac notant, de multiplicibus euentibus, de tempestatum caeliq; mutationibus, de frugum & fructuum prouentu, de ubertate vel caritate annonae, de aeris salubritate vel infectione, deq; bellis & similibus modò feliciter, modò infeliciter diuinant.

POLYCARPVS celebris inter Apostolicos viros, qui nimirum proximè post Apostolos aetate vixerunt, fuit Smyrnensis Ecclesiae Episcopus. In persecutione autem sub M. Antonino Vero mota, ad ipsos quoq; Christianos qui Smyrnae agebant ventum est. Nullius verò retrifacitoris vir sanctissimus reus agi poterat: sed idè tantum trucidandus iudicabatur, quòd excellentissimus doctor Christi haecenus fuisset, sanamq; doctrinam in Asia propagasset, demig; idola Ethnica demolitus fuisset. Non autem Praeses solum eius loci licetoribus mandata capiendò & perimendo integerrimo sene dabat, sed ipsimet auditores Polycarpi, sententiam mortis in eum tulerunt, & adiudicatus igni à Praeside spontè odio farentes sarmenta ad ignem comporcantur. Verum haec omnia, & quàm praeclare se in ipso supplicio gesserit, in epistola Smyrnensium continentur, quae extat apud Eusebium lib. 4. cap. 15. Passus est autem annum agens aetatis 86. 7. Cal. Febr. Hieronymus de viris illustribus De celebrando die Natali S. Polycarpi haec in Smyrnensium epistola leguntur: Nobis in vnum aliquando coactis, Dominus praestabit, ut celebrem eius martyrii diem instar natalis festi cum exultatione & gaudio, quantum fieri potest, maximo recolamus.

XXVI.

IOANNES CHRYSOSTOMVS mortuo Nectario Constantinopolitano Episcopo, communibus suffragijs populi & cleri, iussu Arcadij Imp. in eius locum electus est. Cum autem in Episcopatu fidelem sese exhiberet Dei ministrum, calumnijs falsorum fratrum, virorum politicorum, aulicorum, haeticorum, Ethnicorum, & inprimis Eudoxiae Imperatricis, efficitur apud Imp. Arcadium, ut in exilium mitteretur: in itinere, dolore capitis & febrì correptus, diem suum obiit 14. Nou. Socrates lib. 6. cap. 21. Sozomenus lib. 8. cap. 28. anno Domini 408. Proclus autem Episcopus Constantinop. corpus eius Constantinopolim transtulit, iussu Theodosij Iunioris, multoq; honore in Ecclesia Apostolorum condidit, anno 35. post depositionem eius, vice sima septima Ianuarij, quo die memoria eius in Graecorum Ecclesia ex eo tempore celebratur. Socrates lib. 7. cap. 45.

XXVII.

CAROLVS Magnus Imperator, circa annum Domini 1164. vel iuxta Auentinum 1166. de sarcophago leuatus, et Sanctorum catalogo ascriptus est ab Adriano 4. Papa, Friderici primi Imp. intercessione, in magno Episcoporum ac Principum conuentu, ac celebri festiuitate, tripudiantibus omnibus ad memoriam victoriosissimi quondam Imperatoris, & nunc sanctissimi principis. Festum autem eius celebrandum decernitur 5. Calend. Febr. quòd eo die ardenti febrì correptus, laterum dolore, quem vocant pleuriticidem, extinctus sit, anno Christi 814. Cranzius lib. 6. cap. 46. Metropolis. Auentinus lib. 4. Annal. fol. 338. in German. edit. Munsterus lib. 3. cap. 214.

XXVIII.

IULIANVS Episcopus Cenomanensis, qui Simon ille leprosus esse creditur, quem Dominus à lepra liberauit, quiq; in Bethania eum conuiuio excepit, eodem die colitur cum Carolo, quòd tunc obiisset. Antoninus tit. 6. cap. 25. § 4. Petrus de Nat. lib. 3. cap. 35.

G 2



DE ORIGINE FESTORVM

XXIX. FABIANVS, quem Pet. de Nat. lib. 3. cap. 42. Sabianum nominat, passus est in territorio Trecaſino sub Aureliano Imp. qui dum in Hispania & Gallia resideret, & ad Trecaſum venisset, Fabianum Christum predicantem comprehensum decollauit 4. Cal. Februar.

XXX. ADELGVNDIS quam alij ALDEGVNDIM nominant, ex regali prosapia orta anno Dominicae incarnationis 630. in Francia regnante Dagoberto Clotarij filio, nuptias honestas & à Deo concessas fugiens, in monialem consecratur, & monasterium Malbodiense extruit, in quo cum multis sui similibus degens, tandem in dextera mamilla cancro morbo corripitur, qui corpus illius exastuans, vsq; ad vltimum diem, qui 30. fuit Ianuarij, depastus est.

XXXI. DE SEPTVAGESIMA, SEXAGESIMA ET SEQUENTIBUS Dominicis in genere.

**Q**uia Septuagesima presenti hoc anno Christi 1591. incidit in diem 31. Ianuarij, ideo de illa, quemadmodum & de Sexagesima, Quinquagesima, Quadragesima, &c. in genere dicendi occasionem esse puto. Vbi ante omnia notandum, Dominicas septem proximè ante Dominicam Passionis peculiaribus insigniri nominibus. Prima enim ex septem vocatur Septuagesima secunda Sexagesima, tertia Quinquagesima, quarta Quadragesima, seu prima Quadragesimæ, quinta secunda Quadragesimæ, sexta tertia Quadragesimæ, septima, quarta Quadragesimæ. Deinceps autem non dicitur quinta Quadragesimæ sed Dominica Passionis.

Porro Septuagesimæ, Sexagesimæ & Quinquagesimæ nomina apud nullum probatum auctorem ante Gregorium Minuentionem inueniuntur. In Gregorij autem huius Antiphonario, et Sacramentario officia harum Dominicarum describuntur: quem etiam auctorem horum nominum fuisse Eccius innuere videtur homilia 3. huius Dominicae. Mentionem deinde earum faciunt multi auctores post Gregorium.

De nominibus Septuagesimæ &c. diuersæ sententiæ.

De nominibus autem Septuagesimæ &c. diuersa sunt sententiæ. Beda, Alcuinus & alij dicunt, ad ieiunium Quadragesimæ additam esse à quibusdam hebdomadam vnā, & illam consequenter nominasse Quinquagesimam. Alios addidisse aliam, quam Sexagesimam vocarint fuisse qui & tertiam adiecerint, eamq; Septuagesimam nominasse. Nam, vt in Ecclesiastica historia inuenitur, alij alijs ad passionis Dominicae recordationem, ieiunijs, alijsq; pijs exercitijs sese & maturius accingebant, & diutius exercebant liberè & non coactè, pro cuiusq; voluntate & arbitrio. Alij volunt Dominicas has sic nominari à dierum numero, quibus incipiunt & finiuntur. A Septuagesima enim vsq; ad Sabbathum in Albis præcisè sunt dies septuaginta: à Sexagesima ad feriam quartam post Pascha sunt dies sexaginta. A quinquagesima ad Pascha vsq; dies sunt quinquaginta. Verùm hoc pacto omnis Dominica Septuagesima, Sexagesima & Quinquagesima dici posset, si numeraretur dies 70. 60. et 50. nec curetur vbi finiantur. Alij igitur aiunt, denominari quidem has Dominicas à Paschate, sed *συνεχόμενως*: nam à Septuagesima ad Pascha sunt dies 70. id est, 64. à Sexagesima vsq; ad Pascha sunt 60. dies, hoc est, 57. à Quinquagesima vsq; ad Pascha sunt 50. dies. Verùm hac ratione Septuagesima esset potius appellanda Sexagesima: nam dies 64. magis dici deberent sexaginta quàm septuaginta. Rupertus Tuitiensis ergo putat, hæc nomina non à numero dierum desumpta esse, sed à numero Dominicarum. Voluerunt enim veteres ante Dominicam Passionis præmittere septem celebres Dominicas, quibus in memoriam reuocarent, spiritualem captiuitatem nostram, sicut per Passionis Dominicam & sequentem celebratur memoria redemptionis nostræ à captiuitate ista. Hæc sententiâ prima Dominica ex septem illis dicitur Septuagesima, quia est prima ex septem. Secunda dicitur Sexagesima, quia est prima ex sex. Tertia dicitur Quinquagesima, quia est prima ex quinque sequentibus. Quarta dicitur prima Quadragesimæ ob eandem causam, vt Rob. Bellarminus Iesuita indicat.

Septuagesima vsque ad octauam

Hoc toto tempore, quod est inter Septuagesimam, & diem à Paschate octauam, nefas est in Papatu de more solenni coniuges consecrare & eorum celebrare nuptias, ex decreto Iheronimi

si



sis Concilij anno 507. habiti: sic enim legitur 33. q. 4. c. 10. Non oportet à Septuagesima vsq; in octauas Paschæ, nuptias celebrare. In eodem decreto adijciuntur etiam tres hebdomadae ante ferias Ioannis Baptistæ; item tempus totum quod à primo Dominico die Aduentûs vsque post Epiphaniam numeratur. Si contra factum fuerit iubentur coniuges separari. Vide ibidem decretum Synodi Laodicensis can. 52. & Martini Bracharen. c. 48. Quibus etiam annumeratur tempus intermedium à primo Supplicationum die, quas Rogationes vocant, ad diem octauum post Pentecosten. His adde Vigiliis, & quatuor temporum Ieiunia. Ita verò bonâ anni parte, nempe toto ferme Febuario, Martio & Decembri, & magnâ parte Ianuarij, Aprilis, Maij & Iunij, & quidem omnes omnium ordinum homines, statis his temporibus à nuptijs arcent.

uam Paschæ  
non licet nu-  
ptias celebrare

Hæc autem siue superstitio siue tyrannis ab Ethnicis profecta videtur. Nam his quoq; statim fuere dies, quibus nefas arbitrati sunt coniuges iungere, sed non tam multi ac tam frequentes omnino, quàm Papistis: nisi forte apud Persas, quibus matrimonia contrahere initio duntaxat verni Equinoctij permittebatur, reliquo anni tempore non item, vt Alexand. Geni. di. lib. 2. c. 5 testatur. Apud Romanos verò postridiè Nonarum, Iduum & Calendarum, nefas habebatur uxorem ducere, quòd ij dies Pontificum decreto atri censerentur, ac proinde velut tristi omne infames ac detestabiles erant. Præter hos, qui singulis mensibus recurrebant, alij erant non pauci, pari religione infausti, qui in eadem ferè tempora incidebant, quæ paulò antè indicauimus à Papistis obseruari. Primum enim mense Febuario totis vndecim diebus, qui parentalibus dicati erant, à nuptijs abstinere debuerunt, quod his versibus testatur Ouidius libro secundo Fastorum.

Consuetudo  
hæc ab Ethni-  
cis sumpta est.

Dum tamen hæc fient, viduæ cessate puellæ  
Exoptat pueros pinea teda dies.  
Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri.  
Comat virgineas hasta recurua comas  
Conde tuas Hymenæe faces, & ab ignibus atris  
Aufer: habent alias mœsta sepulchra faces. Et paulò post:  
Non tamen hæc vltra, quàm quot de mense supersunt  
Luciferi: quot habent carmina nostra pedes.

Tribus quoq; diebus Martio mense quibus Martis feriæ celebrabantur cum supplicationibus, eadem tenebantur religione, ob victoriam quam Minerua de sua virginitate à Marte repertauerat: neq; auspicias nuptias fore arbitrabantur, quæ eodem celebrarentur mense, ancylibus nondum conditis in Maris templo. De hoc sic Ouidius lib. 3. Fast.

Nubere si qua voles, quàmuis properabitis ambo,  
Differ: habent paruæ commoda magna moræ  
Arma mouent pugnam: pugna est aliena maritis:  
Condita cùm fuerint, aptius omem erit.

Mense Maio etiam Lemuralium dies similiter atri & nuptijs infausti habebantur, Ouidio teste, lib. 5. Fast.

Habebat præterea Iunius quoq; mensis dies aliquot nuptijs infaustos: de quibus apud Ouidium lib. 6. Fast. Sanctifidius ita loquitur:

Hanc ego quum vellem genero dare, tempora tedis  
Apta requirebam, quæq; canenda forent.  
Tunc mihi post sacras monstratur Iunius Idus  
Vtilis & nuptis, vtilis esse viris.  
Primaq; pars huius thalamis aliena reperta est:  
Nam mihi sic coniunx, sancta Dialis ait  
Donec ab Iliaca placidus purgamina Vesta  
Detulerit flauis in mare Tybris aquis,  
Non mihi detonsum crinem depectere buxo;



DE ORIGINE FESTORVM

Non vngues ferro subsecuisse licet:  
 Non tetigisse virum, quàmuis ille sacerdos,  
 Quàmuis perpetuâ sit mihi lege datus.  
 Tu quoq; ne propera, melius tua filia nubet  
 Igneâ cum purâ veste nitebit humus.

*Ex his quisq; iudicare potest, quos habeant Papista huius suae tyrannidis & superstitionis auctores, de quorum imitatione iure gloriari possint, quamq; bellè hac inter se conueniant. Matrimonium diuinorum Sacramentorum honore dignantur: eiusdem autem consecratione solenni, & nuptiarum celebratione ijs ipsis diebus interdiceret, quos volunt sanctiores ac religiosiores ceteris haberi. At non fuerunt inanes ac inuiles Clericis & Episcopis tyrannica ac superstitiosa ista leges: fuerunt enim illis pecuniarum quaestiosa aucupia. Nam cum tam varijs decretis homines frequenter irretitos tenerent, necesse habuerunt relaxationibus suis, quas vocant dispensationes & indulgentias, tricas impedimentorum tam multiplices extricare, quibus eos tanquam pedicis compedibus intriacatos vinctos tenebant.*

DE SEPTVAGESIMA IN SPECIE.

Septuagesima  
 tur instituta.

**S**eptuagesima instituta dicitur tres ob causas. **PRIMO**, propter suppletionem. Quidam Senim non modò non feriâ quintâ ieiunârunt, ob quam Sexagesimam institutam fuisse, postea dicemus, sed ne Sabbathis quidem. Durandus in Rationali lib. 6. cap. 24. hoc Innocentio primo tribuit, quem decreuisse ait, ne Sabbatho ieiunarent, eò quòd Dominus in Sabbatho in sepulchro quieuerit, in signum futurae nostrae quietis. Hoc verò falsissimum est: imò contrarium profusus decreuit Innocentius Epist. 1. ad Decentium: Sabbatho, inquit, ieiunandum esse ratio euidentissima demonstrat. Nam si diem Dominicum ob venerabilem resurrectionem Domini nostri Iesu Christi non solùm in Pascha celebramus, verùm etiam per singulos circulos hebdomadarum, ipsius Dei imaginem frequentamus, ac sextâ feriâ propter passionem Domini ieiunamus: Sabbathum prætermittere non debemus: quoniam inter tristitiam & lætitiâ temporis illius videtur inclusum, &c. Extat etiam de Consec. dist. 3. Ieiunium. Idem author eodem loco, Iacobus etiam de Vorigine Legenda 32. & Petrus de Natal. lib. 3. cap. 45. aiunt, sed sine omni authore, Melitadem & Siluestrum Papas, statuisse, vt bis in omni hebdomade comederetur, ne propter abstinentiam Sextæ natura nimis debilitaretur. Tamen ex Augustino intelligitur, Asiaticos & alios nonnullos ex Apostolorum quâdam traditione Sabbathis non ieiunasse. In suppletionem igitur seu redemptionem septem dierum Sexagesimæ, adhuc vnâ septimanam addiderunt, quam Septuagesimam nominârunt. **SECUNDO** celebratur Septuagesima propter significationem. Per hoc enim tempus significatur Pontificijs deuiatio, exilium & afflictio humani generis ab Adamo vsq; ad finem mundi: vnde & toto tempore Septuagesimæ cantica lætitiæ intermittuntur. **TERTIO** propter representationem septuaginta annorum Babylonice captiuitatis. Vnde sicut Israelita tunc organa sua deposuerunt, dicentes, Quomodo cantabimus canticum Domini, &c. sic & Papista hoc tempore cantica laudis deponunt. Absurdissimum autem est, inter dies exilij, deuiationis & captiuitatis computare diem Resurrectionis Domini, qui est dies lætitiæ, gaudij & perfectæ libertatis.

FEBRVARIVS.

FESTA ET MEMORIÆ SANCTORVM QVÆ FEBRVARIO  
 Mense à Christianis celebrantur.

I. **I**gnatius Calendis Febr. colitur, quoniâ tunc passus dicitur. Fuit discipulus Ioannis Evangelistæ, et postea tertius post Petrû Antiochenus Episcopus creatus. Cum autem Traianus Imp. feliciter res in Oriente gessisset, captâ Babyloniâ, et profligatis Persis, qui in Asiam irruptione fecerant, cum passim alibi, tùm verò vel in primis Antiochia Deos suos



suos, tanquam praelara huius victoria authores, publicis encomijs ornari ac celebrari curavit, & in miseros Christianos id facere detrectantes, sauire iussit. Istâ igitur crudelitate permotus Ignatius, ipsum Imperatorem, in sua Ecclesia commorantem, adit, idololatriam & immanam persecutionem redarguit. Coniicitur igitur in vincula & Romam vsq; deducitur, vbi leonibus obijcitur. Illi carnibus & ossibus eius tenerioribus deuoratis, crassiora tantum & firmiter ibi reliquerunt, Nicephoro teste. Iacobus de Voragine Legendâ 36. indicat, duos leones famelicos ipsum tantummodo prafocasse, carnes eius non tetigisse: quam rem admirantem Traianum mandasse, ne prohiberentur si qui corpus eius sepelire vellent. Eius ossa post multos annos à Christianis Antiochiam translata sunt. Ex quo tempore dies translationis sub Theodosio posteriore Imp. celebris haberi cœpit, circa annũ Domini 450. iuxta Nicephorum lib. 14. cap. 44. quem deinde Gregorius sacerdotum princeps magnificentius celebrandum instituit, teste Eua-grio lib. 1. cap. 16.

BRIGIDAE memoria eodem die celebratur, quod tunc diem suũ obierit, anno Domini 518. iuxta Sigebert. in Chron. vel iuxta Panuinium 521. Fuit illa virgo Scotica tempore Iustini I. Imp. Eam quum parentes eius nuptui tradere vellent, virginitatem illa perpetuam elegit, cumq; lignum altaris pro more tetigisset, statim viride factum fuisse dicitur, in testimonium sanctitatis eius, & sic mansisse vsq; in præsens. Petrus de Natal. lib. 3. cap. 69.

## PURIFICATIONIS Mariæ festum:

112

Paulus Diaconus lib. 16. de Romanorum gestis, Nicephorus lib. 17. c. 28. Sigebert. in Chron. <sup>Festi huius origo,</sup> referunt, anno Iustiniani Imp. VIII. tremotu & concussione ruptam terram, ac dimidiam vrbis Pompeiopolitanae in Misia partem absorptam. Auditas esse voces miserabiles hominum pereuntium, qui auxilium implorabant: verum frustra. Sanguinem quoq; e nubibus decidisse, in hominum vestimenta: ac subsequuta varia morborum genera, quibus miseri mortales in ipsa quoq; imperatoria vrbe Constantinop. absumpti sint. Motus ergo tot, tantisq; calamitatibus et præsagijs maiorum malorum Pius Imperator, instituit in Christi honorem festum secundo die Febr. celebrandum, quod ὑπαπαντής, hoc est, obuiationis per Simeonem in templo factæ, dictum fuisse Nicephorus lib. 17. cap. 28. Eccius homiliâ 3. de Purificatione Mariæ ex Nicolao de Lyra, & Vrspergensis in Iustiniano testantur: cuius obseruatione se ab hac lue liberari posse sperabant. Factũ hoc anno 542. vt Sigebertus, Paulus Diaconus & Funkius in Chro. referunt.

Sunt inter Papistas qui putant, Paulo Diacono, Nicephoro, Sigeberto & alijs nullam tribuendam esse fidem de tempore solennitatis huius, eã potissimum ratione persuasi, quod dicunt, reperiri tum Gregorij Nazianzeni, tum aliorum quoq; Patrum homilias in hac solennitate habitas; affirmantes, homiliam Nazianzeni tam celebrem, inscriptam Ad sancta lumina, in huiusmodi festo die Occursus Domini habitam fuisse: putant igitur festum suum Purificationis Mariæ, quod etiam Luminarium & Candelarium vocant, ante Nazianzeni tempora celebratum fuisse. Inscriptio verò eius homiliae est, In sancta Epiphaniarum lumina, eamq; in die Epiphaniæ, quo Græci quoque celebrare consueuerunt Christi baptismum, qui φωτισμός, hoc est, illuminatio seu illustratio dicitur, habitam esse, superius, cum egimus de Epiphania Domini, aperte demonstrauimus. Et tam crasse errant, vt ipse quoque Baronius eos refutet in suis ad Martyrol. Rom. Notis. Ego sanè, inquit, illud adseuerare non dubito, nullum vel Latinorum vel Græcorum Patrum, qui ante Iustinianum Imp. vixerunt, Sermonem in festo die occursus Domini scriptum reliquisse, nisi quis excepiat Patrum Cõmentarios in 2. c. Lucæ, quo rei gestæ historia narratur, quæ vel ab illis explicata est in suis ipsorum Cõmentarijs, vel certè de ea ad populũ verba fecerunt, vt apud Latinos S. August. fecisse videtur, qui in Sermone quodã habito in die Natalis Domini multa de Simeone Domino occurrente recenset. Eiusmodi ferè generis sunt homilię Patrũ, quas Surius tomo 1. descripsit. Sed aliud prorsus est Christi domini facta laudibus predicare, aliud eorũ causã festos dies indicere et celebrare.

Dictum etiam hoc festum fuit ὑπαπαντή: item, festum Simeonis & Annæ, præsentationis occursus, &c. Posterioribus demũ temporibus à Pontificibus Rom. mutatum hoc festum;

G 4



DE ORIGINE FESTORVM

nomen quoq̄ nouum accepit, vt Mariæ eiusq̄ Purificationis festum diceretur, prius Christi fuerat: in memoriam eius, quod Maria secundum præceptum Domini, quod extat Leuit. 12. in templum venit vt purgaretur, Luc. 2. Durand. Rational. lib. 7.

Festum hoc ex  
Echaicifimo  
natum.

Institutum est autem à Pontificibus Rom. in Occidentalibus ecclesijs, festum hoc cum suis ceremonijs, ad imitationem festi Ethnici. Proserpinam in principio mensis Febr. Pluto ob formam præstantissimam rapuerat, & uxorem duxerat, iuxta Poetarum fabulas, deamq̄ fecerat. Quam Ceres mater eius facibus accensis in Æthna Sicilia monte diu quæsierat. Ideò Romanæ mulieres in huius rei memoriam Calendis Februarij festum luminum celebrârunt, de nocte urbem lustrantes, eam facibus et candelis ardentibus ambiendo. Secundò, de quinto in quintũ annum lustrârunt etiam urbem cereis & facibus accensis, in honorem Februa Martis matris, vt filius eius victoriam sibi de hostibus concederet, cuius matrem tam solenniter honorarent. Tertio, per dies duodecim continuos huius mensis, Plutoni, cæterisq̄ dijs infernalibus ijdem sacrificabant. Iunoni etiam Februata hoc mense rem diuinam fecerunt in Lupercalibus, quibus mulieres februabantur à Lupercis. Hæc festa Februa vocârunt, non tam quod celebrarentur in honorem Februi & Februa, quam quod essent februa, id est, quædam lustrationes, piamina & expiationes urbis Romæ, præterea viuorum et mortuorum. Nam Sabinorum linguâ Februum purgamentum significabat. Vnde ab his Februis, id est purgamentis, mensi quoq̄, in quo fiebant, nomen est impositum. Hinc & Plutarchus in Romulo Februarium mensem Græcè καθάρσιον, hoc est, expiatorium sonare indicat. In quam sententiam etiam Iuba Marusus nomen ei esse à tollendis atq̄ abolendis spectrorum terriculamentis, maniumq̄, quibus parentabant, phantasmatis scripsit, Athenæo teste.

Superstitiones istæ Ethnicæ & profanæ obseruabantur Romæ, post ea quoq̄ tempora, quando abiecto gentilismo, Christianam profiterentur religionem. Damnârunt quidem eas urbis eius Episcopi: sed quum haud facile in vniuersum tolli & abrogari possent, ipsi in melius eas commutare conati sunt: quod tamen sic factum ab ipsis, vt nomen saltem mutatum, eadem autem superstitiones & ceremoniæ impiæ retentæ sint. Fatentur hoc ingenuè Durandus in Rationali lib. 7. cap. 7. Belet in Rationali lib. 7. cap. 18. Bernardinus de Busto in Mariali par. 7. Serm. 1. Eccius hom. 3. de Purificatione Mariæ. Meffret. ex Innocentio Sermone 1. de Purificatione Mariæ. De eodem Baronius quoq̄ in suis Notis ad Martyrol. Rom. sic scribit. Ante Christi aduentum cereorum in singulos distributio à Gentilibus fieri consuevit in Saturnalibus, quæ agebantur mense Decembri, vt tradit Macrobius lib. 1. Saturnal. Putamus igitur, sicut & de multis alijs contigit, vsum illũ superstitionis Gentilium sacris ritibus expiatum & sacrosanctum redditum, in Dei ecclesiam laudabiliter introductum esse. Citat etiam Bedam hoc ipsum affirmantẽ lib. de Temporibus rat. c. 10. cum enim ibi de lustrationibus urbis Romæ cereis et facibus accensis factis egisset, hæc addit: Hanc lustrandi consuetudinem benè mutauit Christiana religio, cum in mense eodem, die S. Mariæ, plebs vniuersa cum sacerdotibus ac ministris hymnis modulatæ vocis per ecclesias, perq̄ congrua urbis loca procedit, datosq̄ à Pontifice cuncti cereos in manibus gestant ardentis: & augescente bonâ consuetudine, id ipsum in cæteris quoq̄ eiusdem B. matris festiuitatibus agere didicit, &c. Quibus etiam astipulatur B. Rhenanus, qui in Annotationibus suis ad lib. 5. Tertulliani contra Martionem, Negari equidem non potest, inquit, ardentium cereorum, quos hodie Christiani eo die, qui purificatæ Mariæ dicatus est, ex more circumferunt, à Februalibus Romanorum sacris originem sumpsisse. Pertinaci Paganismo mutatione subuentum est, quem rei in totum sublatio potius irritasset.

Nomen vade  
hoc festum  
habet.

De immutatione autẽ nominis huius festi ex Paganismo in Christianismum, sic Iacobus de Voragine Sermone 82. de Sanctis scribit. Festum istud, ait, in honorem matris luminis transfulerunt: vt in eius honorem deferamus lumina, quæ nobis genuit verum lumen: vt iam non fiat in honorem Proserpinæ sponsæ dei infernalis, sed ad honorem sponsæ Dei cœlestis. Nec iam fiat ad honorem Februa matris dei belli, sed ad honorem matris Dei pacis. Iam non fiat ad honorem curiæ infernalis,

nalis,



nalis, sed ad reginæ omnium angelorum. Et merito translatio ista facta est. Honorabant Romani Proserpinā, vt sic à suo sponso acquirerent gratiam: honorabant Februam, vt sic à Filio suo impetrarent victoriam: honorabant dæmones animas punientes, vt inclinarent eos ad misericordiam. Sed ista tria à matre Dei recepimus, scilicet gratiam, misericordiam & victoriam. Et ideo cantat Ecclesia: Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, &c. Ipsa enim viuus dat gratiam: ideo dicitur, Maria mater gratiæ. Defunctis impetrat misericordiam: ideo subditur, Mater misericordiæ. Et vniuersali Ecclesiæ de hostibus obtinet victoriam: ideo additur, Tu nos ab hoste protege. Sed hæc blasphema & impia sunt in Filium Dei, qui sic priuatur honore, de quo dicit apud Prophetam, quòd eum nemini daturus sit.

*Ceremonia autem huius festi, quæ in locum rituum ab Ethnicis obseruatorum successerunt, hæ sunt. Primum quæ allata ab vnoquoq; in templum candela vel cerei & faces in Missa benedicuntur & consecrantur: deinde distribuuntur: tertio, fit processio, in qua plebs vniuersa portans cereos ardentes in manibus, per Ecclesias procedit.*

Ceremoniæ  
huius festi.

### Ritus consecrandi CEREOS in Festo Purificationis Mariæ.

**R**itus verò, quo à Pontifice Romano cerei in hoc festo benedicuntur & consecrantur, sic in lib. 2. Ceremonialis Rom. Ecclesiæ describitur. Primo ordinantur candelæ in loco conuenienti benedicendæ, & distribuendæ per illos, ad quos spectat: videlicet duo cerei magni ponderis, 20. librarum, deaurati, depecti: & alius minor etiam pulchre ornatus ponderis duarum librarum, vel circa, quæ Pontifex in processione in manu portat. Item faculæ ceræ albiæ pro Cardinalibus, Regibus, & maximis principibus, ponderis trium librarum vel circa. Item faculæ in numero sufficienti pro Oratoribus, & Prælati ceræ communis, ponderis duarum librarum quælibet. Item faculæ vnius libræ in numero sufficienti pro Subdiaconis, auditoribus, clericis Camera, Acoluthis, Cubicularijs, Ceremoniarijs, Scutiferis Papæ & alijs Officialibus. Item faculæ mediæ libræ in numero copioso pro populo. Admiscentur etiam Credentiarij Papæ, vt manè ordinent in eo loco, vbi Candelarum distributio futura est, in angulo super altare, vel in alio loco cōdecenti, vasa & aquam pro lauandis manibus Papæ, cum mantili & gremiali, ac medulla panis: Præparent etiam clerici Capellæ in loco conuenienti duo candelabra, & cum luminaribus vas aquæ benedictæ cum aspersorio, & thuribulum cum nauicella. Item paret Baldachinum pro supplicatione habenda pro Pontifice. Deinde hora congruenti Papa indutus amictu, alba, cingulo, stola, pluuiali rubro, & mitra simplicibus venit ad Capellam vel Ecclesiam, vbi candelæ sunt benedicendæ. Tunc facta oratione ante altare, cum sederit, Cardinales faciunt reuerentiam in cappis consuetis, duo vltimi remanent in assistentia Papæ. Et Diaconi duo assistentes vadunt ad capiendum paramenta: illis reuertentibus illi duo vltimi vadunt ad sedes suas & ibi capiunt paramenta. Cardinales alij interim in locis suis, & Prælati extra Capellam capiunt paramenta violacei coloris ordini suo conuenientia. Diaconi Cardinales portant planetas plicatas ante pectus, quibus omnibus paramentis Pontifex benedicit candelas more solito. Solent tum, quando Papa benedicit, & distribuit candelas in parua Capella ad euitandam frequentiam, Cardinales & alij Officiales omnes accipere paramenta in Camera, & venire cum Papa parati sacris vestibus, non tamen supplicantium more. Et tunc Cardinales cum paramentis supra dictis faciunt reuerentiam prædictam Pontifici. Papa verò ministrantibus Episcopis librum & candelam, & assistentibus duobus Diaconis Cardinalibus more solito stans detracta mitra, benedicit candelas versus ad illas submissa voce legendo, dicens: Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo. Oremus. Domine sancte pater, &c.



DE ORIGINE FESTORVM

cum quatuor sequentibus, prout in Ordinario. Incepta quinta oratione per Pontificem, vocatur prior presbyterorum Cardinalium, accedit ad Pontificem, cum eo duo Acoluthi cum superpellicijs induti, vnus cum thuribulo & nauicella, alius cum vase aquæ benedictæ, & aspersorio. Finita benedictione, imponit incensum in thuribulum more consueto, deinde accepto aspersorio de manu presbyteri Cardinalis, stans sine mitra aspergit tertio candelas, & deinde incensat ducens ter thuribulum, sedet post hæc, & imponitur ei mitra. Tum prior Episcoporum Cardinalium accedit ad Papam, & accipit duos magnos cereos de manu Camerarij, vel eius locum tenentis, cui cleri Camerae eos subministrant, & illos dat Papæ cum debitis reuerentijs osculando primo cereum, deinde manum Pontificis, cum Pontifex eos tangit. Qui cerei deinde dantur ad mandatum duobus nobilibus, quorum insignior vadit ad dexteram, alter ad sinistram Papæ, & ibidem stantes eos tenent ad finem Missæ. Post magnos cereos datur Pontifici alius cereus minor ornatus, quem deinde seruat vnus ex cubicularijs Camerae. Isto vtitur Papa in toto officio. Cum Papæ cerei dantur, cantores incipiunt, Lumen ad reuelationem, &c. Cereos omnes distribuendos debent ministrare clerici Camerae stantes à loco vbi sunt candelæ, vsq; ad Papam, & illos dare vsq; ad manum Diaconi Cardinalis Papæ assistentis à parte candelarum, qui illas ministrat. Ut verò Papa accepit suas candelas, duo auditores à Credentiarijs Papæ mappulam sumentes eam per Cardinales assistentes gremio Pontificis imponunt, & hinc inde genuflexi illam tenent. Et Pontifex incipit distribuere alijs, primò Cardinalibus secundum ordinem, incipiendo à seniore, id est, ab eo qui sibi cereos dedit, & Cardinalibus Officialibus, videlicet vice Cancellario, Camerario & Pœnitentiarario dat duas candelas pro quolibet. Celebraturus autem quum primùm candelam suam acceperit, vadit ad faldistorium suum apud altare, & accipit paramenta omnia pro Missa consueta, sicq; paratus expectat Pontificem more solito. Cardinales cum candelas accipiunt, manum Papæ osculantur, deinde genu, alij verò Prælati parati ter ante Pontificem genua flectentes, accepta candela osculantur genu tantum. Pœnitentiarij osculantur pedem tantum: Omnes verò alij quicumque sint genuflexi coram Pontifice accepta candela osculantur eius pedem. Distributio autem fit secundum ordinem consuetum Curiae. Ita tamen quòd Prælati præferantur parati Oratoribus laicis, & clericis non paratis quorumcunq; Oratores sint, & quibuscunq; etiam alijs principibus exceptis illis, qui inter Cardinales seu in plano supremo solij Papæ locum habent. Illi autem statim sequuntur Cardinales & assistentes Papæ, & alios quoscunq; Prælatos. Finita distributione, portatur aqua ad abluidas manus Papæ per nobiliorem Curiae comitantibus ipsum seruientibus armorum, & magistro sacri palatii, seu hospitij, quem etiam duo auditores præcedunt, quorum vnus mappulam ad tergendas manus portat more consueto. Et portatur cum aqua supra vas ipsum medulla panis pro mundandis manibus Papæ, per credentiarios parata, & prior Episcoporum Cardinalium adiuuat infundentem aquam manibus Papæ. Lotis manibus accedunt ante Pontificem duo Acoluthi cum Candelabris, & luminaribus, & deponitur mitra Papæ, qui surgit, & Episcopis assistentibus ex more librum ministrantibus dicit cantando: Oremus. Et Diaconus à dextris dicit, Flectamus genua: & omnibus versus altare genua flectentibus alijs Diaconis à sinistris statim continuat, Leuate. Surgunt omnes, & Papa cantat orationem. Exaudi Domine, &c. Quà finita Papa sedet, & accipit mitram, & priore presbyterorum Cardinalium & Acolutho ministrantibus imponit incensum pro supplicatione more consueto, & cantores incipiunt Antiphonam, Cum appropinquaret Dominus. Accenduntur candelæ, & fit supplicatio more solito vsq; ad locum paratum, vnde proijcere debet candelas populo. Deinde ad ecclesiam siue capelam



ue capellam, vbi Missa dicenda erit, hoc modo proceditur. Scutiferi Papæ, quos sequuntur alij more consueto. Papa, Cardinales & alij omnes debent proprijs manibus suas candelas portare ardentis à loco, vbi incœperit supplicatio, vsq; ad locum vbi Missa erit dicenda. Cùm autem peruentum fuerit ad locum vbi candelæ per Papam populo sunt proijciendæ, manent omnes extra locum suo ordine, & cum Pontifice intrant Subdiaconus cum Cruce, & ceroferarij, clerici Camerae ministrantes candelas, Episcopi assistants Papæ, Diaconi assistants Papæ & Cardinales, qui voluerint intrare pro loci capacitare, cantores apud ostium extra cantant, alij Episcopi omnes parati stant hinc inde ordinatè extrà dictum locum, quos vsq; Papa candelas populo proiecerit. Papa venit sub baldachino, quod per nobiles Curie more consueto portatur, proiectis candelis reuertitur processio eò ordine quo venit; vel si alibi celebrandū est quàm vbi candelæ benedictæ sunt, proceditur vsq; ad capellam vbi erit Missa dicenda, & Officiales & Prælati omnes extrà cancellum superpellicia & paramenta deponunt, & cappas accipiunt, cum quibus intrant capellam. Cardinales autem intrant cum paramentis, quæ deponunt intus in suis locis, & extinguuntur candelæ omnes exceptis duobus cereis Papæ, quos illi duo nobiles deputati continuò tenent ardentis. Papa cùm fuerit ante inferiores gradus altaris, vbi Missa dicenda erit, si in illa capella candelas non benedixit, genuflectit in faldistorio, & deposita mitra orat more consueto. Cùm surgit, extrahitur sibi pluuiiale rubrum & stola violacea, & accipit stolam, & pluuiiale alba pretiosa. Si verò ibidem candelas benedixit, quia priùs ibi orauit, cùm primùm ante altare fuerit, deponit paramenta simplicia prædicta, recipit alba & pretiosa, & ibidē ante altare cum celebraturo Cardinale facit confessionē, & incipitur Missa. Finita confessione accepta mitra pretiosa ascendit ad sedem eminentem, non fit ei amplius reuerentia & presbytero Cardinali, assistente ministrante imponitur incensum. Cardinales interim veniunt ad circulum, incensatur altare, deinde Papæ qui post dicit Introitum, & alia more solito. Finito Gloria in excelsis, &c. Presbyter Cardinalis assistit vt moris est. Antequam incipiatur Euangelium, accenduntur omnes cerei, & per Papam, Cardinales & Prælatos, & alios omnes accensi tenentur in manibus vsq; ad finem Euangelij. Deinde redduntur seruatoribus qui eos ardentis tenent vsq; post communionem; dicitur tantùm vna oratio & ordinariè non fit sermo. Ministri vtuntur dalmaticâ & tunicellâ.

*In alijs ecclesijs simpliciter candela à populo ara imponuntur, à sacerdote consecrantur, distribuuntur, & processio fit. Sic enim Naogeorgus lib. 4. Papistici Regni canit:*

Post venit illa dies, quâ Christum virgo parenti  
Obtulit in templo, Mosis præscripta secundum.  
Tum candelarum vim magnam sexus vterq;  
In delubra gerit, quas pastor consecrat aræ  
Impositas, magna pompa, verbisq; tremendis.  
Post accendit quisq; suam, dum sacra trahuntur.  
Sanctulus ille sibi prorsus, magnusq; videtur,  
Qui multum ceræ candelam finxit in vnam:  
Felix, clara & viua à cuius flamma reluxit.

*Baptista quoq; Mantuanus de re eadem in suis Fastis ita cecinit, vbi Obuiationis & Exceptionis Christi à Simeone facta meminisset.*

Posteritas huius facti memor annua festa  
Instituit pompa & facibus celebranda quotannis.  
Ecce sacerdotum cæra flagrante coruscat  
Agmina, quæ turbam faculas iaculantur in omnem.  
Irruit vndatim vulgus: pueriq; frequentes



DE ORIGINE FESTORVM

Ad sacra porrectis manibus munuscula currunt:  
 Sapius accensis pubes villatica caris  
 Lasciure solet per rustica templa: quod olim  
 Me memini vidisse: faces immittere certant  
 Alter in alterius crines, fumumq; eiere  
 Ludo incomposito, tetrís nidoribus aras  
 Inficiunt: risuq; leui delubra profanant.

Candelarum  
 consecratarum  
 vis.

Porro his sic consecratis candelis non minorem vim tribuunt, quam olim Ethnici suis cereis  
 & facibus: nam ijs ἀλεξικάρω & amuleto vtuntur. De quo sic Naogeorgus canit libro 4.  
 Regni Papistici:

Mira est candelis illis & magna potestas:  
 Nam tempestates creduntur tollere diras  
 Accensa, simul & sedare tonitrua cœli,  
 Dæmonas atq; malos arcere, horrendaq; noctis  
 Spectra, atq; infausta mala grandinis atq; pruinae,  
 Quàm faciliè hi possunt omnes sedare tumultus  
 Et cœli & terræ, pelagiq; vt credere Christo  
 Nil sit opus, verocq; Deo committere cuncta.

Vnde & in consecratione horum cereorum & candelarum his verbis vti solent. Rogamus te,  
 aiunt, per inuocationem sancti tui nominis, & per intercessionem Mariæ B. virgi-  
 nis, matris filij tui ( cuius festum summâ deuotione hodie celebramus ) & per o-  
 mnium sanctorum tuorum intercessionem, vt consecrare velis has candelas, ad vti-  
 litatem & commodum hominis, & ad salutem animæ & corporis eius, siue in ter-  
 ra, siue in mari sit. Et mox: Domine Iesu benedicas obsecro hanc creaturam tuam  
 ceram, & concede illi cœlestem tuam benedictionem, per potentiam sanctæ tuæ  
 crucis, vt sicut data est humano generi ad effugandas tenebras, ita nunc eam quo-  
 que vim percipiat, per signû sanctæ crucis, vt vbicunq; accendatur et ponatur, ma-  
 lignus spiritus contremiscat, & ita territus aufugiat cum omnibus seruis suis ex  
 habitatione illa, nec deinceps vexet eos, qui tibi adherent. Hic ita peractis, adiurat  
 deinde cereas candelas illas, his ferè verbis: Adiuro te creaturam ceram, in nomine Do-  
 mini nostri & sanctæ Trinitatis, vt sis extirpatio & depulsio diaboli, & spectro-  
 rum eius, &c. Omnes itaq; ( inquit Eccius tomo 3. hom. 3. de Purificatione Mariæ ) Chri-  
 stiani luminaribus illis pio affectu vti debent, spe bona firmiter confidentes fore,  
 vt sic ab omnibus insidijs & fraudibus diabolicis virtute verbi & orationis huius  
 liberentur. Sed hæc est manifesta blasphemia & idololatria: dum sic in vanum sumunt no-  
 men Dei & S. Trinitatis, cere etiam tribuunt, quod soli Christo, & viuifica virtuti Spiritus  
 sancti ascribendum est.

Ab hac verò candelarum consecratione, distributione & circumgestatione, quam in hoc fe-  
 sto in Mariæ honorem vsurpant, festum ipsum Candelarium & Luminarium dies quoq;  
 appellatur: à Missa verò in qua benedicuntur hoc die, Germanicè Liechtmeß dicitur.

Quis Lumina  
 ria Ethnicorū  
 in candelaria  
 Christianorum  
 commutarit.

De authore autem, qui Luminaria Ethnicorum in Candelaria Christianorum primò com-  
 mutarit, discrepantes auctorum sunt sententiæ. Centuriatores Magdeburgenses hoc Vigilio  
 Papa tribuunt Centuria 6. col. 673. qui Pontificiam sellam ascendit circa annos Christi 533. Ba-  
 laus etiam Cent. 1. in Vigilio. Iacobus verò de Voragine Ser. 32. de Sanctis, Gregorio Magno:  
 teste quoq; Messreth. Petrus autem de Natalibus lib. 3. cap. 72. Messreth Ser. 1. de Purificat.  
 Maria, Iacobus de Voragine Legenda 37. ascribunt hoc Sergio Papa: non tamen indicant quo-  
 tus is fuerit: quidam primum fuisse volunt, qui vixit in Pontificatu circa annos 689 alij verò  
 tertium fuisse aiunt, qui Pontificatum tenuit circa annos Domini 907. Valerius Anselmus  
 Ryd. dicit, Purificationis B. Mariæ solennitatem sub Vigilio Romano Pontifice in Fastos  
 relatum à Sergio Pontifice Cereis illustratam: Gregorium M. autem hoc festum, quemadmo-  
 dum



dum & alia, Processione honorasse: in Catalogo gemino annorum & principum ab orbe condito. Baronius autem in Notis ad Martyrol. Rom. dicit, pag. 99. Gelasium 1. Rom. Pontificem huius diei celebrandæ in Occidentali ecclesia viam aperuisse, dum Lupercalia mense Februario celebrari solita Romæ abrogârit, circa annos 497. Non autem probat, in Lupercalium locum Purificationis B. Mariæ festum institutum ab eo fuisse. Sed mox addit: Iure igitur OPINAMVR, abrogatis Lupercalibus, Romæ eiusmodi solennitatem introductam fuisse, quam paulo post Iustiniani temporibus Orientalis ecclesia eâ occasione recepit. Hæc igitur sententia opinio tantum est Baronij, non grauis alicuius auctoris testimonium. Deinde Orientalis ecclesia nullum festum recepit in Mariæ, sed Christi honorem. Addit ibidem Baronius, Sergium 1. Papam, vt habeat Ordo Rom. addidisse huic solennitati Litanias sic institutas, vt exeunte Clero cum populo ab ecclesia S. Hadriani, procederet eum cereis ad talem vsum benedictis ad basilicam S. Mariæ Maioris.

## LVDI MARIARVM.

**H**istri, qui olim Veneti nominis hostes erat acerrimi, Februario mense in ædem D. Petro dicitur, quæ Oliuolensis olim dicta, nunc Castellana appellatur, clam pyrativis navibus superato portu irruentes, virgines non paucas, quæ in templum conuenerant de veteri more ciuitatis, vt nubarent, abduxerunt, magnaq; inde prædâ ac cæde editâ, Capulas petiere. Quos re statim cognitâ, Petri Candiani Ducis ductu, seu magis (vt alijs constare video) Badoarij Principis auspicijs, Veneti, non sine tamen graui certamine, oppressere, omnibus fermè aut captis, aut ad vnum cæsis. Receptâ itaq; omni prædâ incolumi, vt memores sese tanti beneficijs premo numini exhiberent, LVDOS, iussu publico, qui MARIARVM sunt dicti, instituerunt. Erant autem in his Ludis virgines duodecim, omni ornatu instructæ: aderatq; illis comes adolescens, sub angeli specie, qui secundo Februarij mensis die magnam vrbs partem lustrarent, præcipuo totius ciuitatis plausu tripudioq;. Ea res per trecentos & amplius annos statis solennibusq; ceremonijs quum perseverasset, tandem Genuensis belli tempore sublata penitus est: quod manifestò depræbensum sit, multa religionis prætextu grauisissima flagitia ab his committi. Mansit tamen inde facti tam celebris pereunns memoria, quod Dux Senatusq; ipse Diuæ Mariæ Formosæ templum secundâ Februarij luce celebri pompâ inuisit. Egnatius lib. 1. cap. 3.

BLASIVS Episcopus fuit Sebastia Cappadocum. In persecutione autem sub Diocletiano & Maximiano stationem suam deserens in speluncam Argei montis affugit, ibiq; eremiticam vitam egit, & hominum pecorumq; morbos varios sanauit. Inde verò ab Agricola præsidis militibus extractus in carcerem conijcitur. Sequenti die quum Ioui sacrificare nollet iussu præsidis fustibus cæditur, & rursus in carcerem detruditur. Post aliquot dies iterum educitur inde, & ob eandem causam in ligno suspenditur, vnguibusq; ac pectinibus ferreis laniatur: tandem decollatur 3. Non. Febr. Vnde Mantuanus in Februario:

Tertia Cappadocum pastor sanctissime Blasi  
Lux tua.

In sacris eius candela offertur: nugantur enim, viduam quandam porci mactati caput, pedes, candelam & panem Blasio in carcerem attulisse: cui gratijs actis, iussisse eam singulis annis in ecclesia sui nominis (quasi vero sub Diocletiano & Maximiano Imp. multa ecclesia in Blasij honorem extructæ fuerint) candelam offerre: & hæc verba subiunxisse, Tibi, & quicumq; hoc fecerit benè erit. Illam sic facientem multi imitati sunt, & sanitatem receperunt. Inde apud omnes passim in consuetudinem abiit, vt si fortè ex dentibus, &c. laborarent, vel etiam si pecora egrotarent, eius auxilium implorarent, & candelas in eius honorem offerrent. Beletb. in Rat. cap. 82.

Solet etiam hodiè adhuc à supersticiosissimis hominibus anginâ aut aliquo gutturis morbo

H

III.







tam diligenter literis consignarunt; vtrique factum tam illustre & memorabile non prateris-  
sent: alioquin merito Spiritus sanctus obliuionis & oscitantiae accusari posset. Deinde Euan-  
gelista nominant mulieres, quae Christum ad crucem comitatae sunt, de Veronica autem est vbi-  
que silentium. Ad extremum, alijs mulieribus, quae tanta fide & charitate flentes, Christum ad  
supplicium crucis euntem, prosecuta sunt, nullum eiusmodi miraculum contigisse legitur. A ra-  
tione igitur alienissimum est, id quod de Veronica vetus est traditio & persuasio. Hoc argu-  
mentum, quod Caluini est, eludere conatur Greescherus Iesuita in libro de cruce Christi pag.  
241. Dialecticorum regula, Ab auctoritate non licere negatiue argumentari. Respondeo, hanc  
Regulam valere quidem in profanis & politicis, in diuinis autem nequaquam, sed in ijs affirma-  
tiue & negatiue argumentari licet; in quibus nihil asseuerandum est, quam quod Deus in ver-  
bo suo tradidit. Vnde & Apostolus Paulus saepe sic argumentatus est. Fatetur hoc etiam  
Salmeron Iesuita in epistolam ad Romanos disput. 6. Non dissimulabo, inquit, quod inter-  
dum videtur Apostolus hanc rationem argumentandi in vna & eadem epistola  
quater vsurpasse: in cap. 1. ad Hebr. semel sic: Cui enim dixit Angelorum aliquan-  
do, Filius meus es tu, hodie ego te genui, id est, quod Pater tantam filij Dei digni-  
tatem Angelo tribuat, in sacris literis non inuenitur: ergo. Deinde in fine capituli  
negatiue in hunc modum, Nunquam dictum est Angelis: Ad quem Angelorum  
dixit aliquando, Sede a dextris meis: id est, Nunquam in Scripturis hoc Ange-  
lis dictum: ergo. Tertius locus est, in Cap. 2. Hebr. Nusquam enim Angelos appre-  
hendit, id est, nullo in loco Scripturae legitur, quod Angelum assumpserit: ergo.  
Quarto in cap. 7. de Melchisedech: Hic enim Melchisedech, Rex Salem, Sacer-  
dos Dei summus, sine patre sine matre, &c. vbi aperte agnoscit in eo, quod Scrip-  
tura suppressit, argumentum sumi.

Eodem modo argumentantur etiam gregales Greescheri Iesuita. Sic enim Bellarminus  
lib. 1. de Summo Pontifice c. 16. Dictum est, inquit, Petro, non alijs, Ioan. 12. Pasce oues  
meas: ergo soli Petro ecclesia commendata est. Et lib. 4. c. 3. Dictum est Petro, non  
alijs Luc. 22. Ego pro te oravi, ne fides tua deficiat: ergo. Et lib. 1. c. 10. Dictum est  
Petro, Mat. 16. Supra hanc petram aedificabo ecclesiam; non autem alijs: ergo. Et  
ibidem cap. 17. Petro nomen mutatur, non autem aliorum: ergo. Et cap. 18. Petrus in  
Scripturis, quoties cum alijs numeratur, nusquam non primus: Ergo Petrus, a-  
deoq; eius successores Pape, constitutus fuit Monarcha & Caput Ecclesiae. Vis con-  
sequentihaec est, In Scriptura haec de Petro leguntur, quae Apostolis alijs in Scriptura tri-  
buuntur nusquam: ergo reliqui Apostoli Petro non fuerunt aequales. Baldus quoq; hoc genere  
argumenti in plurimis locis vsus est, Si lex voluisset, hoc expressisset, vt refert Tyraquell. de  
Pon. caus. 51. num. 87.

AGATHA virgo nobilis Cathaniae vrbe Sicilia, tempore Decij Imper. a Quintiano viro  
consulari primo ad stuprum, deinde ad cultum Deorum alienorum sollicitata, constantissime  
renuit. Deinde in equuleo suspenditur: tertio mamillae eius torquentur, & diutissime tortae ab-  
scinduntur; miraculose autem sanata in carcere, testis fractis & carbonibus imponitur: terra-  
motu autem facto, in carcerem reducitur, vbi et spiritum suum emisit Nonis Febr. anno 252. quod  
die mulieres, & nurus praecipue eam colunt, Sic enim Mantuanus in Fastis:

Gloria Sicaniae gentis pulcherrima virgo  
Diua Agathe nonas mensis tua festa secundi  
Sacrauere: Nurus illo votiua ferentes  
Dona die veniunt digitis fulgentibus auro:  
Sericeisque tuas adeunt in vestibus aras.

Refert Durandus in Rat. lib. 7. cap. 6. ad caput Agathae in sepulchro positam fuisse tabulam, in  
qua scriptum fuerit: Mentem sanctam, spontaneam, honorem Deo patriaeq; libera-  
tionem. Hinc consuetudo inoleuit apud Papistas, vt cum tabula eius imaginem continente pro-  
cessio fiat: Romae quoq; hoc die feriae sunt puellarum & matrum lactantium.



DE ORIGINE FESTORVM

VI.

**DOROTHEA** virgo Casariensis Cappadocia, quod fidem in Christum abnegare nollet, capta & palmis diutissime caesa, tandem datâ sententiâ capitis supplicio affecta est anno Christi 282.8. Idus Febr. Quum ad locum supplicij duceretur, quidam, quod illa ad paradysum sponsi sui tendere se diceret, per risum ei dixerat, ut de paradiso rosas sibi mitteret, quod & illa promisit. Dum autem iugulo ferienda esset, astitit ei iuuenis, qui virginis in sinum tria mala, & tres rosas posuit: quem sancta rogauit, ut eas homini isti afferret: quod ubi factum esset, & ille miraculum agnouisset, ad fidem Christi conuersus est, si verum est quod Pet. de Natalibus narrat lib. 3. cap. 101. Hac propterea tantum adscripsi, ut intelligatur, quam ob causam Dorothea in templis Christianorum & locis alijs rosas in manibus gestans pingatur.

DE SEXAGESIMA.

VI.

**M**elthiades Papa de Consecr. dist. 3. c. ieiunium instituit, ut nemo ieiunaret in quinta feria propter Domini cenam, & ascensionem: sicut nec in prima feria, quae solennis est propter Domini resurrectionem, ut inter Christianorum & gentilium vera, non falsa discretio sit. Placuit igitur priscis in redemptionem quintarum feriarum Quinquagesimae addere unam hebdomadam in Ieiunio: & vocatum est tempus illud Sexagesima.

VIII.

**CORINTHA**, quam Pet. de Nat. lib. 3. cap. 106. Coiutam vocat, Alexandria sub Decio adorare idola nolens, pedibus connexis per plateas urbis trahitur, & horrendum in modum discerpitur 6. Idus Febr. anno 247.

IX.

**APOLLONIA** virgo Alexandrina, sed Christiana; quod idola adorare nollet capitur, eiq; dentes primùm omnes excutiuntur, postea viua comburitur 5. Idus Febr. sub Decio, quo etiam die quibusdam in locis magnifice colitur. Sic enim Mantuanus in Fastis:

Gloria foeminei sexus Nilotica virgo,  
Quae capis antiquo veniens ab Apolline nomen,  
Nona dies mensis tibi consecrata secundi,  
Lampadas accendit, flammis & odoribus aras  
Latificat: magnosq; tibi persoluit honores:  
Tota tuas celebrat modulans ecclesia laudes.  
Et coniuncta choro salientibus organa pulsat  
Articulis psaltes: respondet ad organa cantus.

Nugatur enim Messreth, quum Apollonia ad locum supplicij ducta fuisset, rogasse Deum, ut sua passionis facientes memoriam ab omni periculo animae & corporis custodiat, crimina eorum clementer dimittat, fomitem libidinis in eis extinguat, extremam paupertatem & subitanam mortem videre non sinat: mulieres in partu laborantes prolis datione exhilaret, mortisq; tempore eis benignus cooperatores appareat & assistat: & factam esse vocem de caelo dicentem, Veni dilecta mea, accipe coronam tibi ab aeterno preparatam, sciens pro certo te omnibus petitionibus tuis exauditam. Idcirco ab ijs, qui in his periculis constituti sunt, inuocatur, quemadmodum etiam ab ijs qui dentium doloribus laborant. Vnde sic orat ecclesia Papistica: Aeternae ac mitissime Deus, concede propitius, ut qui beatæ & gloriosae virginis ac martyris Apolloniae, quam, excussis pro tui nominis confessione dentibus, de morte acerbissima triumphare fecisti, martyrium recolimus, ut eius meritis & precibus à dolore dentium, & ab omni languore corporis & animae protegi & eripi mereamur. Fabulatur idem Messreth, Apolloniam, morsibus serpentum succurrere, & corpora ab illis occisa putrefieri non permittere.

X.

**SCHOLASTICA** monialis, & Benedicti, monachatus in Occidente auctoris ac fundatoris, soror, moritur in suo cenobio 4. Idus Febr. & in Cassinensi monasterio sepelitur. Gregorius M. Dialogo 2. cap. 34.

XI.

**EUPHROSINA** filia Pannutij ciuis nobilissimi Alexandriae fuit. Eam quum pater nobili iuueni despondere vellet, ipsa, relictis parentibus, monasterium petijt, ibiq; sexum, habitumq;



rumq; mentita, monachus fit, Smaragdum se nominans. Cum autem eleganti eius formâ cateri monachi aliquandò tentarentur, abbatis consilio separatim cellulam inhabitavit, vbi 38. annis inclusa, omnibusq; incognita mansit. Tandem graui morbo correpta accersi Pannutium iubet, cui rem totam, & quòd sit Euphrosina ipsius filia narrat, certisq; indicijs probat, in eiusq; manibus spiritum emisit 3. Idus Febr. Pet. de Nat. lib. 3. c. 15.

SEVERINVS abbas Agaviensis monasterij fuit. Cum Clodouem Francorum regem à febris ardentissima liberaffet, nihil aliud pro munere petijt, licet multa pecunia ei fuissent oblata, quàm vt in toto regno omnes captiui liberarentur: quod etiam factum est. Vnde à captiuis inuocari cepit. Tandem moritur & sepelitur pridie Idus Febr. Petrus de Natal. libro 3. cap. 115.

XII.

Hic etiam dies, videlicet 22. Martij stilo nouo, qui iuxta veterem incidit in 12. ob deditam anno Domini 1594. Henrico IIII. Francorum Regi Lutetiam, & redditam Regno vniuerso pacem, in posterum memoria perenni consecratur, indiciturq; vt illo Fastis Diualibus addito, quo tannis Supplicationes publicæ fiant, sintq; ferie ab operibus: vt olim sub Carolo VII. die 7. Aprilis, quo vrbs ab Anglis liberata fuit, decretum, & nunc adhuc religiose indicta festiuitas colitur & celebratur, Botereo teste lib. 1. Comment. hist. pag. 17.

IULIANVS, quem Mantuanus in Fastis Iohannum nominat, eodem die cum Seuerino colitur, quòd tunc obiisset. Testatur id author nominatus his versibus de Iohano seu Iuliano sic canens:

Ipsa quoq; membris egressa senilibus vmbra  
 Sancta viri terras tandem mutauit Olympo:  
 Cum Februi bissena dies decurreret: ipso  
 Veris in ingressu: &c.

Dixerat ei in venatione ceruus, quem insequabatur, quòd vtrunq; parentem interfecurus esset. Id scelus euadere tentans, relictis parentibus, ad principem in remota regione profectus, ibi ita præclare se domi belliq; gessit, vt princeps nobilissimam matronam ei in matrimonium daret, Quâ re cognitâ parentes, longo itinere ad locum, vbi habitabat filius cum coniuge, perueniunt tandem. Aberat tunc fortè filius: coniunx autem eius quum intellexisset qui nam essent, honorificè eos excepit, eosq; proprio dignata cubili est. Manè autem dum sacris vxor interesset, maritus redit, thalamumq; subintrans, dum putat adulterum cum vxore sua concumbere, vtrumq; interficit. Reuersa autem è templo coniunx rem ei omnem narrat:

Atq; suos didicit lecto recubare parentes.  
 Obstupuit: facinusq; animo defleuit amaro.  
 Et placare Deum cupiens discessit ab armis.  
 Ac prope torrentis ripas, vbi magna solebat  
 Turba inopum ferri, rapidoq; in flumine mergi,  
 Constituit tectum, quod prætereuntibus esset  
 Hospitium commune, dicens seq; & sua tali  
 Officio gratis: Coniunx cum prole sequuta est  
 Sponte virum: cum vellet ea migrare relicta  
 Non tulit antiquæ pietas diuortia vitæ.  
 Mansit in his operis vsq; ad suprema senectæ  
 Tempora. Tum veniens agri sub imagine ab orbe  
 Stellifero diuorum vnus, post debita vitæ  
 Subsidia, & morbo certis accepta diebus  
 Se confessus ait: Gaude Iohane: redemit  
 Te pietas: diuina tibi clementia parcat.  
 Dixit & in cælum passis se sustulit alis.

Recitat hanc fabulam Mantuanus in Fastis: Petrus de Natal. lib. 3. c. 116. Antoninus, & alij. Hinc autem Hospitator seu Hospitalis dictus est, & à peregrè cunctibus pro bono, apud Pâpistas, hospitio inuocari solet.

H 3



DE ORIGINE FESTORVM

XIII.

AGABVS, vt volunt aliqui, fuit vnus ex LXX. discipulis. Is, sicut Act. ii. legitur, Apostolorum tempore Hierosolymam veniens Antiochiam, significabat per spiritum famem in vniuerso orbe futuram: qua facta est sub Claudio. Idem etiam, quum Paulus esset Cesarea, illuc superueniens, tulit zonam Pauli, & alligans sibi pedes et manus, dixit per spiritum sanctum, virum, cuius erat zona illa, sic alligandum per Iudaos in Hierusalem, & tradendum in manus gentium: sicut & rei euentus probauit. Antiochia in pace mortuus est, vt refert Pet. de Natal. Idib. Febr.

XIIII.

DE QVINQVAGESIMA, & ferijs BACCHANALIBVS quæ in ea à Christianis celebrantur.

Quinquagesima origo.

Quum Pontificij ieiunare se simulent ante Pascha quadraginta dies, ad imitationem Christi, quod tempus Quadragesimam vocant, non autem sint in Quadragesima nisi 36 dies, Dominicis diebus exceptis, quibus propter lætitiā non ieiunatur, ideo pro suppletionē Dominicarum, præcedentis septimane additi sunt Quadragesimali tempori quatuor dies. Deinde, quia Telesphorus Papa dist. 4. Statuimus. & duobus sequentibus: Gregorius etiam de Consec. dist. 5. Quadragesimal. decreuerant, vt Clerici omnes duobus diebus ante quatuor illos ieiunare inciperent, quò, sicut præcedunt populum ordine, sic eundem præcedant sanctitate: idcirco Quadragesimæ septimane alia adhuc addita est, quam Quinquagesimam appellarunt. Sic enim scribit Ambrosius in lib. Sermonum: Quadragesima sex septimanas habet, cui addidit Telesphorus Pontifex septimam hebdomadam, & vocatum est hoc tempus Quinquagesima. Dist. 4. A quo tempore, vsq; ad octauas Paschæ, causas non audiendas esse, in Erfurtensi synodo decretum fuit, 15. q. 4. placuit.

Infantia Christianorum tribus primis diebus Quinquagesimæ.

Tribus verò primis huius septimane diebus, per vniuersum ferè orbem Christianum, homines sic prorsus insaniunt, vt si quispiam Græcorum aut Romanorum illorum antiquissimorum ad nos rediret, sua Bacchanalia & Lupercalia agi sanctè iuraret. Imò si qua de membro virili Bacchi atq; Phallis alio loco sunt recitata, excipias, non pauca reperiret, quibus Christiani Græcos & Romanos Ethnicos insaniā atq; furore superant. Hi, siquidem non nouis subindè, sed iisdem, & quidem certis ritibus atq; pompis, quas sibiipsis præscripserunt, quotannis repetiunt. Christiani verò singulis annis, singulis oppidis atq; vicis nouas pompas produciunt. Modò videas prodeuntes qui exhibent impexos agricolas, modò qui monstruosā formā homines, quales in India aut apud Garamantas gigni creditum est, modò qui alias cuiuscunq; conditionis personas, habitu, omnibusq; actionibus ad turpitudinem significandam, aut minimum ad risum mouendum compositis, referunt. Omnes autem personis cæti, ne à quoquam agnoscantur, & viri frequenter veste fæmineā, interdum etiam fæmine veste virili, tanquam si pulchrum aut honestum foret sexum mentiri. Nonnunquam insuper quidam sic deformati, vt figuram omnem humanam prorsus exuisse diceres: nam cornuti, rostrati, dentibus aprinis, flammantibus oculis, fumum & scintillas ex ore exhalantes, curuis vnguibus, caudati, hirsuti, deniq; & monstriosi terribilesque cacodæmonas videri atq; timeri affectant. Nonnulli in diuitum ades sese ingerunt, comedias vel tragædias, easq; non omnino turpitudine vacantes, exhibituri. Saltationes porro iisdem diebus fiunt admodum lubrica & impudica, pars in foro & in plateis, pars in domibus priuatis, & noctu perindè atque interdium. Accedunt luxuriosa ac temulenta conuiuia, ad intempestam noctem, si non ad crepusculum protracta. Vbi obsecro tam multa, tamq; varia ab Ethnicis facta leguntur?

Ethnica consuetudo Christianorum in Quinquagesima data.

Grauitèr igitur admodum, de hac impia & profana consuetudine Christianorum Mantuanus in suis Fastis conqueritur, vbi etiā indicat, vnde in Christianam religionem ea manarint, sic

Hic memòrare libet quoddam graue temporis huius Crimen:



Crimen: & ipsius subiungere criminis ortum:  
 Roma Lupercales ludos antiquitus isto  
 Mense celebrabat: positâ grauitate per vrbs  
 Compita cursabant stolidi sine veste Luperci,  
 Et scuticis olidi tractis de tergore capri  
 Pulsabant nuruum palmas: quia verberare tali  
 Pana deum faciles credebant reddere partus.  
 Ista superstitio, leuis hæc insania nostros  
 Transijt in mores. Veteris contagia morbi  
 Hausimus, & quodam simili langore tenemur.  
 Nam iuuenes istis facit insanire diebus  
 Pan deus Arcadiæ quondam: totasq; per vrbes  
 Currere: & acceptis facies abscondere laruis.  
 Est pudor in facie: facies velata pudorem  
 Significat læsum: sciri læsciua non vult,  
 Ora tegit: scelus est pavidum, metuisse videt.  
 Cuncta sub ignotis petulantia vultibus audet,  
 Quæ ablegat grauitas, & quæ proscribit honestas.  
 Per fora, per vicos it personata libido:  
 Et Censore carens subit omnia tecta voluptas:  
 Nec nuruum palmas, sed membra recondita pulsat:  
 Perq; domos remanent fœdi vestigia capri.  
 Hoc quoq; Roma leui cursu gaudebat equorum  
 Tempore: & in Martis celebrabat Equiria campo.  
 Altera nil melior nuper dementia venit:  
 Sordida produxit vetitos comœdia ludos.  
 Scorta, ambubaias, balatrones & parasitos,  
 Et genus id reliquos trahit in profœnia mensis  
 Improbus: vnde trahunt iuuenilia pectora pestem  
 Mortiferam: fiuntq; ipsæ sine fronte puellæ.  
 I, pudor in villas, si non patiuntur easdem:  
 Et villæ vomicas: vrbs est iam tota lupanar.

*Verum enim uerò non solum tribus huius septimana diebus ista fiunt à populo, sed eodem modo in ipsa Dominica Quinquagesimæ peccatur etiam à Clericis, crapulâ, ebrietate, lusibus & luxuriâ ad ieiunium, quod sequenti die inchoant, sese egregie præparantes. Vnde & hæc Dominica à Germanis vulgo der Herren Fastnacht, hoc est, Clericorum seu Dominorum Bacchanalia appellatur.*

*Hoc scilicet est tempus illud, quod Papistis penitentiam & remissionem, nec non statum beatitudinis æternæ significare & representare debet. Sed hæc ferri aliquo modo & excusari possent in istis, ut qui maximam partem religionis suæ ab Ethnicis mutuati sunt. Illud uerò dolendum est, ab Euangelicis, hoc est, ijs qui religionem reformatam, & ab omnibus erroribus, superstitionibusq; repurgatam profitentur, eosdem ritus impios, profanos & uerè diabolicos etiamnum hodiè obseruari, nec ullâ ratione tolli posse. Hæcine est nostra illa præparatio ad audiendam Domini & Seruatoris nostri passionis historiam, & celebrandum sacrosanctum Cænæ Dominica mysterium? Siccine uiuere eos conuenit, qui morte filij Dei acerbissimâ à peccatis liberati, & in numerum filiorum Dei adoptati uideri uolunt? Offerri sacrificia in altari holocausti, sufficit fieri in altari incensi, multaq; id genus, ipsemet Deus olim mandauit, & quæ in illis fieri deberent singula ad amussim præscripsit. Posteaquam autem Christus in terris apparen's docuit, eos qui adorare uelint, oportere in spiritu & ueritate adorare, et semel obtulit Deo patri semetipsum gratissimam & suauolentem hostiam, protinus sunt omnia*

H 4



DE ORIGINE FESTORVM

2. Corinth. 6.

illa abrogata: & si quis exhibere ea rursus velit, tantum abest ut referret gratiam, ut etiam in Dei offensionem incurreret: sicut est videre Isa. 66. Hierem. 6. & alijs in locis. Quod si Deus tantopere auersatur quae ipsemet prius instituerat sacrificia & incensa, & tanquam sacramenta voluerat in Ecclesia honorari: quomodo igitur laturum putabimus quae excogitauit diabolus, quaeq; nulli nisi impurissimi quique gentiles exercuerunt? Non vult Deus audiri amplius vocabula illa typica: non altare, sed mensam: non sacrificia, sed mortem & meritum Christi: quare multo minus Bacchanalia, Lupercalia, Stultalia, Encania & quaecumque similia festa locum aliquem habere vult in sua Ecclesia. Apostolus verissime dixit, nullum consortium esse iustitiae cum iniustitia, luci cum tenebris, Christo cum Belial, nullam partem fidei esse cum infidei, non posse conuenire templo Dei cum simulacris: multo minus ergo Ecclesiae Christi conueniet cum impijssimorum gentilium ludis & ritibus impurissimis.

Quum autem Satyrici poetae gentiles, quamuis interdum ad scurrilitatem usque perulantes, ne dicam obsceni non tacerint ubi ludos eiusmodi vidissent veluti à Iuuenale Satyra 6. scimus maius id est, Baccha mulieres profundi: multo minus in hoc negotio concionatores siue doctores Ecclesiarum Christianarum muti sint, sed instent tempestiue & intempestiue, ut scelus hoc tollatur in Ecclesia Christi: arguant & obiurgent eos qui id abijcere nolunt. Fit quidem hoc à multis fidei pastoribus Ecclesiarum, sed, pro dolor, pauci sunt qui se corrigi patiantur: suas ergo proculdubio scopas aliquando expediet Deus, quibus Ecclesiam suam cum multorum excidio ab his similibusque sceleribus expurgabit.

XV.

VALENTINVS in ipsa Dominica Quinquagesimae colitur, quod eo die, hoc est, 16. Cal. Martij, Roma sub Claudio Imp. ob fidem in Christum, à Placido urbis praefecto in carcere captus supplicio affectus esset presbyter quum fuisset Ichthyran. ut refert Pet. de Nat. lib. 3. cap. 122. Liber Pontificalis testatur, Benedictum II. Papam festum eius instituisse.

XVI.

FAUSTINVS Presbyter Mediolanensis ab Apollonio Episcopo ordinatus, Brixiae Christum predicans, ab Adriano Imp. comprahendi iubetur, & quoumq; ille iter faceret carceris ligatus duci. Tandem Faustinus & Louisa

— post mille viarum,

Carceris & famis ærumnas, post probra, minasq;

Verbera, vincla, feras, ignes, capitale tulerunt

Supplicium, Februo iam decrefcente, diesq;

Post decimum quintus cum peruenisset ad ortum: ut Man-

tuanius in Fastis canit.

XVII.

IULIANA Nicomedia oriunda, quum praefecto eius urbis nubere nollet, nisi Christianus fieret, iussit eam quatuor virgis ad necem usque, cadi: deinde per sex horas capillis appendi, & demum plumbum liquefactum in caput eius perfundi. Illasa autem conseruata in carcerem detruditur: postero die in rota quadam sic extenditur, ut omnia ossa eius confringerentur: sed per miraculum sanitati restituitur. Tum in ollam plumbo liquefacto conijcitur, sed illasa rursus inde extrahitur. Tandem iussu Praefidis capitis supplicio afficitur 14. Calend. Mart. Petrus de Nat. lib. 3. cap. 131.

XVIII.

DE DIE CINERVM.

Diei Cinerum origo.

Maximi Taurinensis homilia extat, cum inscriptione, In die Cinerum, inter homilias hyemales: ut ante eius tempora huius diei obseruatio instituta videri posset: quod verum non est. Nam quatuor dies Quadragesimae Dominicam proximè praecedentes, videlicet quarta quinta, sexta feria, & Sabbathum, additi sunt Quadragesimali ieiunio à Gregorio Magno primum, ut legitur de Consecrat. dist. 5. Quadragesima: ac testatur Antoninus it. 12. cap. 14. § 14. & Baleus Cent. 1. Scriptorum Brit. ubi etiam addit, Gregorium hoc Quadragesimae ieiunium, cinerum aspergine sacrasse, & cinerum consecrationes instituisse. Quapropter illo diei Cinerum, & illius ceremonia, quae illo die peragitur, author & institutor erit.

Dies



Dies hic est caput seu initium Quadragesimalis ieiunij: in quo cineres ex sacris præteriti anni palmis vstos primùm consecrant, idq̄ Collectis quatuor: in quarum priore sacerdos orat Deum, vt mittere dignetur angelum suum sanctum de cœlo, qui cineres illos benedicat & sanctificet, vt sint remedium salutare omnibus nomen sanctum Dei humiliter inuocantibus, ac semetipsos pro conscientia delictorum suorum accusantibus, vt sic cineribus istis sese aspergant ad corporis sanitatem, & animæ tutelam. In secunda Collecta precatur Deum, quatenus inspiciat conditionis humanæ fragilitatem, vt hos cineres pro sua pietate benedicere dignetur, quos causa preferendæ humilitatis atq̄ promerendæ veniæ capitibus imponere decreuerint, vt qui cinerem esse, & ob prauitatis suæ meritum in puluerem reuersuros cognoscant, peccatorum omnium veniam, & veniam pœnitentibus repromissa misericorditer consequi mereantur. In tertia Collecta orat: Deus, qui humiliatione flecteris, & satis satisfactione placaris, aurem tuæ pietatis inclina precibus nostris, vt capitibus seruatorum tuorum, horum cinerum aspergione tactis, effunde propitius gratiam tuæ benedictionis, vt eos spiritu compunctionis repleas. In quarta quoq̄ Collecta sic orat: Omnipotens sempiternæ Deus, qui Nisiuitis in cinere & cilicio pœnitentibus indulgentiæ tuæ remedia præstitisti, concede propitius, vt sic eos imitemur habitu, quatenus veniam prosequamur obtentu, &c.

Ritus qui obseruatur in die Cinerum. Consecratio cineris blasphemata.

Post consecrationem & benedictionem hanc, aduentantibus ad aram hominibus sacerdos cinerem, in signum pœnitentiæ, in capita eorum solet conspergere, & dicere: Memento, quia cinis es, & in cinerem conuerteris. Quod ex veteri Testamento desumptum esse, Durandus probat in Rationali lib. 6. cap. 28.

Cinerum aspergio.

Roma prior Episcoporum, iuxta antiquam consuetudinem, pluuiali indutus sine mitra, velut aliquandò seruatum fuit, & Bonifacius IX. statuit: nunc verò celebraturus Cardinalis iam omnibus ornamentis sacris pro Missa dicenda indutus, demptis tamen chirothecis & annulo Pontificali, accedit ad Papam, & sine mitra solus detecto capite factâ Papæ reuerentiâ, stans coram eo supra scabellum nihil dicens, imponit Papæ sedenti cineres supra caput in formam Crucis, deinde descendit de scabello: amouetur scabellum, sedet Papa, imponitur ei mitra, & accedunt duo auditores portantes mantile, quod à Credentiarijs Papæ acceperunt, illud hinc inde tenent super gremia Papæ, qui illi Cardinali, à quo cineres accepit, inclinato capite coram se stanti dat cineres, dicens: Memento homo, quia cinis es, & in cinerem conuerteris. Accedunt post successiue omnes alij Cardinales, Prælati, atq̄ etiam Reges, Principes, Barones, Nobiles, &c. vnus post alium, & à Papa cineres accipiunt, vt legitur in Ceremoniali Rom. ecclesie lib. 2. Vbi non prætereundum quod Platina refert, Bonifacium VIII. Pontif. Rom. venienti ad se Procheto Genuensi Archiepiscopo, sed Gibellina factionis, et petenti ad pedes Papæ cineres hos, dixisse, Memento, quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem conuerteris: simul etiam patinam plenam cinere effudisse atq̄ incussisse in vultum & oculos Archiepiscopi. Quod signum irreligiosi atq̄ impotentis animi fuisse, ipse quoq̄ Platina in vita huius Bonifacij fateri cogitur.

Papa vt cinere aspergatur & Cardinales.

Bonifacij VIII. facinus.

Halberstadij in Saxonia cinericio die vnus aliquis è populo in templum Deiparæ virginis ducitur (quo profanis alioqui non patet accessus, tantùm initiati id phanum subeunt) hominum opinione nequissimus. Hunc velato capite, pullâ veste sacris admouent: quibus ritè peractis templo eicitur, eiectus toto ieiuniorum tempore nudis pedibus urbem pererrat, diuorum templa visitabundus: sacerdotes illi victum suggerunt. Mox in die Dominicæ Cœnæ iterum templo inductus, post olei consecrationem ab vniuerso Clero expiatus dimittitur, elemosynâ prius acceptâ, quam offert templo. Hunc Adam vulgò vocant, quòd, vt Protoplastus ille, omni vacet crimine, per eumq̄ tota ciuitas creditur expiata: Sabellicus Ennead. 10. lib. 8. & Alciatus de Adamo Halberstadiensi. Sunt tamen qui putent, hanc consuetudinem imaginem aliquam fuisse publicæ pœnitentiæ, cuius frequens in iure Pontificio fit mentio.

Ritus Halberstadij in die cinerum.

Hæc verò omnia manè sunt. Sacris autem & Ceremonijs istis peractis continuò ad vo-

Ritus in die cinerum post meridiem.



DE ORIGINE FESTORVM

mitum, hoc est, ad ludos turpes, obscenos & palam impios redeunt. Qua de re ita canit Naogeorgus lib. 4. Regni Papistici:

Nullus stultitiæ tamen est, nullusq; furoris  
 Terminus: intermissa instaurant prandia læti.  
 Et ludos repetunt, & laruas nocte repostas.  
 Sunt qui laterna mœsti, dum lumina Titan  
 Præbet mundo, exacta herè Bacchanalia quærant,  
 Et clamant passim: Quo Bacchanalia nobis  
 Auffugere? cheu, veniunt ieiunia dira.  
 Suspendunt alij, portantq; in pertica halecem,  
 Clamantes: Ultra iam farcimina, haleces.  
 Adiunguntq; suos ludos, & carmina risu  
 Digna, & præterà quicquid confingere possunt  
 Stultum ac insipidum, moueant vt vbiq; cachinnos.  
 Mutuo se capiunt alij, ac in flumina portant  
 Contis impositos, vt festi quicquid inhæsit  
 Stulti, tollatur mersum fluuijalibus vndis.  
 Alliciunt alij pueros nucibusq; pyrisq;  
 Canticaq; ijs præeunt, & tota per oppida cantant.  
 Est vbi se sociant iuuenes tibicine sumpto,  
 Et famulas rapiunt ex ædibus, atq; ad aratrum,  
 Iungunt, quos scutica pellitq; atq; dirigit vnus,  
 Vnus item stiuam tenet: at tibicen aratri  
 Considet in medio, ridendasq; occidit odas.  
 Vnus item sequitur sator, is vel spargit arenam,  
 Vel fatuo cinerem gestu, vultuq; sereno.  
 Postquam luserunt ita per fora, perq; plateas,  
 Per riuum tandem ancillas & ducit aratrum  
 Rector, & ad cœnam madidas vocat, atq; choreas.

Ritus Tiguri  
 in die Cinerû.

Tiguri in patria nostra hoc die lanij æreum leonem quotannis ludicrà quadam pompâ circumgestare solent per omnes vicos & regiones vrbis. Donati sunt hoc leone æreo in memoriam eius virtutis, quam anno Christi 1350. nocte illâ, quæ Matthiæ Apostoli diem, 23. Martij sequitur, proximè, præstiterunt: quum exules nonnulli cum multis coniurationis socijs urbem per prodicionem capere, & omnes senatorij ordinis viros, cum alijs sibi aduersantibus iugulare conabantur.

XIX

SIMEON Episcopus Hierosolymitanus post Iacobum fratrem Domini, cognatus & ipse Christi secundum carnem fuisse dicitur, ac filius Cleophe, qui fuit frater Iosephi iusti, vt Hieronymus refert. Hic quum annorum 120. esset, accusatus sub Traiano Imp. ab Actico consulari ob fidem Christianam, comprehenditur, multisq; cruciatibus affectus, tandem patibulo crucis appensus mortuus est. omnibus, ipso etiam iudice, patientiam eius admirante, in tam decrepita præsertim eius ætate. Martyrio autem coronatus est 12. Calend. Mart. Petrus de Nat. lib. 3. cap. 135.

XX.

GABINVS presbyter, & nobilis ciuis Romanus ex genere Diocletiani Imp. & frater Caij Papæ fuit. Is liberalibus studijs dum adhuc esset gentilis egregiè eruditus, factus Christianus & presbyter, libros de fide Christianâ plurimos conscripsit. Filiam habuit Susannam virginem pulcherrimam, & in sacris literis ab infantia probè institutam. Eâ, quum ob nobilitatem & formæ elegantiam, à Maximiano Diocletiani filio in matrimonium peteretur, consentire noluit, quòd Christiana, ille verò idolorum cultor esset. Accersitus igitur Gabinus parens, rogatusq; filia instet vt consentiat, id recusat prorsus: in carcerem ergo conijcitur iussu Imperatoris, ibiq; fame & vinculis enecatur, sepeliturq; à Caijo fratre 11. Cal. Mar. Pet. de Nat. lib. 3. cap. 136.



FIDELES multi Tyri bestijs deuorandi obijciuntur, quæ verò intactos illos reliquerunt: tandem gladio obruncati, pro sepultura in mare proijciuntur 10. Calend. Mart. anno Christi 281. sub Diocletiano Imp. Eorum admirandam historiam lege apud Eusebium lib. 8. cap. 7.

XXI.

## DE QUADRAGESIMA.

**Q**uadragesima incipit à Dominica in qua cantatur, Inuocauit me, &c. Quia enim in lege præceptum erat, vt primitiæ & decimæ darentur Deo, placuit priscis illis soluere decimas dierum, constituentes pro huiusmodi decimis Quadragesimam. Nam ab officio, Inuocauit; vsq; ad Pascha, demptis Dominicis diebus, sunt dies 36. qui sunt decimæ 360. dierum, ex quibus annus constat: Super sunt tamen quinq; dies in anno, pro quibus quatuor præcedentis septimanae his 36. adijciuntur. Hæc autem Dominica ferijs & ludis Bacchanalibus finis tandem imponitur,

Quadragesimæ origo.

Ritus in Dominica Inuocauit

Sic tamén, vt potent, nec potis alea desit:

Postremò, Bacchoq; ita lux donatur & illa.

Ignes quoq; hinc inde per vrbes & vicos accenduntur: & placenta singulis in edibus parantur, ad quas comedendas fratres, cognati, affines & vicini conueniunt, vt sic mutuus amor conseruetur, perinde vt in Romanorum Charistijs olim, quæ 11. Cal. Mart. celebrabantur.

Per totam etiam hanc Quadragesimam in Papatu, præsertim in Hebdomada magna, sus obuelant idola, nec thura adhibent sacris. Hac superstitio eodem ferè tempore ab Ethnicis diligenti sumè obseruata est. Sic enim Ouidius in Fastis:

Dj quoq; templorum foribus celentur opertis:

Thure vacent aræ, stentq; sine igne foeti.

## De Dominicis Quadragesimæ.

XXII.

**D**ominica in Quadragesima nomen habent à canticis Ecclesiasticis, quas vocant Inuocauit: quæ in ijs cantantur. Hinc prima Dominica dicitur Inuocauit, à canticone desumpta ex Psalmo 90. Secunda dicitur Reminiscere, à cantu sumpta ex Psalmo 35. Tertia Oculi, à cantu desumpto ex Psal. 25. Quarta Lætare, à canticone ex Esaia 66. cap. sumpta. Quinta vocatur Iudica, à cantu sumpto ex Psal. 43.

## CATHEDRÆ PETRI festum.

XXIII.

**C**ur hoc festum institutum sit Petrus de Natalibus lib. 3. de Sanctis, cap. 140. & Iacobus de Voragine de Sanctis Serm. 1. de Cathedra Petri, atq; Legenda 44. referunt. Nam mos fuit gentiliū singulis annis mense Februario, & præsertim hac die, vinum & epulas offerre dijs supra sepulchra parentum & cognatorum suorum, quas ab animabus circa sepulchra oberrantibus, deuorari putabant: sicut etiam testatur Ioannes Beloth in Rationali cap. 83. & Durandus in Rationali diuinorum lib. 7. cap. 8. Calepinus in dictione Epularum testatur, apud Ethnicos plures testamento legauisse epulum quotannis ad sepulchrum, rosæ ac varijs respersum odoribus, pro hæredum facultatibus exhibendum. Et adducit testem Iuuenalem, qui Satyra 3. inquit: Vnde epulum possis centum dare Pythagoreis: item Ciceronem pro Muræna, vbi dicit: Is cum epulum Q. Maximus Africani patris sui nomine populo Rom. daret, rogatus est, etc. In Charistijs, quæ Rom. celebrata sunt 19. Feb. conuenerunt, vt alio loco indicauimus, propinqui & affines, ac primum quidem cum mærore recensuerunt eorum nomina, quos per mortem amiserant, & charos habuerant. Deinde viuos siue superstites de familia sua commemorarunt: tunc commensationibus & conuiujs sese oblectarunt. Tribus autem de causis hanc Ethnicorum consuetudinem Iacobus de Voragine repræhendit, inquit: Error erat, quòd credebant animas defunctorum circa monumenta suorum corporum morari. Superstitio erat, quòd cibaria & vina super tumulos charorum suorum ponebant, credentes quòd animæ talibus indigerent. Illusio autem, quòd dæmo-

Festi huius origo.



DE ORIGINE FESTORVM

nes (imò sacerdotes) nocte omnia cibaria absumebant. Rectè quidem ille: sed cur non eundem errorem superstitione & illusionem apud Papistas vidit?

Hunc igitur errorem veteres tollere & penitus extirpare volentes, instituerunt in locum eius festum Cathedræ Petri, eius nimirum qua Antiochia, non Romæ (vt disertè Iacobus de Voragine in Legenda monet) sublimatus esse perhibetur: quam sublimationem quidam aiunt factam fuisse à Theophilo Principe Antiocheno, cuius filium defunctum post annos 14. Petrus suscitârit, ciuesq; Antiochenos conuerterit, propter quod ibi Ecclesiam construxerint, in cuius medio excelsam cathedram collocârint, & Petrum, vt ab omnibus audiri & videri posset, in ea exaltârint.

Verum ne sic quidem à superstitione & crapula illa abduci potuerunt omninò, quin subinde ad vomitum redirent: quod ex synodi Turonen. 2. anno 570. celebratæ, iuxta Panuinium cap. 23. intelligitur, vbi sic præcipitur: Sunt qui in festiuitate Cathedræ Petri Apostoli cibos mortuis offerunt, & post Missas redeuntes ad domos proprias, ad gentili-um reuertuntur errores, & post corpus Domini, sacratas demones accipiunt. Contestamur istam sollicitudinem tam pastores, quam presbyteros gerere, vt quemcunq; in ista fatuitate persistere viderint, vel nescio ad quas petras, aut arbores, aut ad fontes designata loca gentilium perpetrare, quæ ad ecclesiæ rationem non pertinent, eos ab ecclesia sancta auctoritate repellant, nec participare sancto altari permittant, qui gentilium obseruationes custodiunt.

Ab his verò epulis tam gentilium quam Christianorum, festum hoc etiam appellari consuevit, Festum B. Petri Epularum. Beletb, Durandus, & Iacobus de Voragine.

Baronius in suis ad Martyrologium Rom. Notis pag. 51. aliam originem huius solennitatis indicat: Laudabilis, inquit, in Ecclesia viguit antiquus vsus, vt dies anniuersaria ageretur, quâ quis alicui sedi præfectus esset Episcopus. Id etenim tam in Occidentali Ecclesia, quam in Orientali etiam obseruatum innumera ferè docent exempla. De consuetudine Rom. Ecclesiæ scribit Paulinus epistola 16. ad Seuerum: extant etiam ea de re Sermones Leonis Papæ eâ die habiti. Conuenire enim vndique ex Italia Episcopi tunc Romam consueuerunt ad celebrandum natalem diem Rom. Pontificis. Vnde sic legitur in epistola Hilarij Papæ ad Tarraconenses, Lectis in conuentu fratrum, quos natalis mei festiuitas congregauerat, literis vestris, &c. Huc pertinet etiam illud, quod Ambrosius scribit de Felice Comensi Episcopo lib. 8. epist. 60. item quod S. Augustinus habet de die natali Aurelij Episcopi Carthaginensis Serm. 32. de verbis Domini in fine, deq; suæ ipsius etiam anniuersaria die Ordinationis homil. 24. & 25. Sed quia festiuitas hæc & nomen Epularum, iuxta Beletb, Durandum ac Iac. de Voragine, easdemq; ceremonias retinuit, quæ in Charistiorum festo usurpata fuerunt Romæ, prior sententia verior videtur. Et huius sententia Baronium propterea esse existimo, ne hoc festum Papista ab Ethnicis mutuati esse videantur.

Cathedræ Petri festum exole-  
tum restitui-  
tur.

Hunc diem festum, qui antiquitus in Rom. Ecclesia celebratus iam exoleuerat, Paulus 4. qui Pontificatum Rom. tenuit restituit circa annos 1556. teste Panuino in Appendice ad Platinam in vita Pauli. Celebratur autem die 22. Febr. iuxta illud Mantuani:

Petre gubernator nostræ sanctissime cymbæ  
Luce bis vndecimâ vernas Februarius auras  
Spirat, & exultans secum tua festa reportat,  
Quæ veteres nostræ gentis dixere Cathedram.

XXIII. SERENVS, quum hortum cultissimum haberet, & vxor cuiusdam aulici Imperatoris Maximiani cum ingressa esset, cum indignatione eam inde eiecit. Accusatur igitur, vt Christianus apud Imperatorem, cuius iussu capite cæsus est 7. Cal. Martij. Petr. de Nat. lib. 3. c. 147.

XXV. MATHIAS vnus fuit ex discipulis Domini, ac de numero LXX. discipulorum, vt Eusebius lib. 2. cap. 1. & lib. 1. cap. 32. Sophronius ac Epiphanius lib. 1. tom. hæresi 20. testantur. In  
sacris



sacris literis tantum fit eius mentio, Act. 1. ubi in synodo Apostolorum & discipulorum, post Christi ascensionem, in locum Iudae proditoris per sortem electus à Luca dicitur. In alijs vero scriptis, sed non probatis, legitur, quod nobilis familiae fuerit, & parentibus de tribu Iudae diuitibus in Bethlehém, ac in Lege Dei ab ineunte aetate institutus, & alia huius generis multa: quibus non immerito annumerandum, quod quidam referunt, Matthiam in diuisione Apostolorum Iudaeam in sortem praedicationis accepisse: alij enim in Macedonia ipsum Euangelium annuntiassse dicunt: Sophronius vero in Aethiopia quandam maxime agrestem partem concessisse eum scripsit. De mortis eius genere varia quoque sunt & diuersa sententiae: Sic enim Mantuanus:

De morte Matthiae varia sententia.

Sunt qui pacificam dicant te morte receptum  
In superos: sunt qui Romano more securi  
Percussum exhalasse animam, cum ponere nolles  
Sacra Ioui memorent.

Illud omnes vno ore fatentur, passum esse eum 6. Cal. Martij, & nonnulli affirmant, corpus eius Romam translatum, & in ecclesia sanctae Mariae maioris sub Porphyretico lapide sepultum esse: ubi adhuc hodie caput eius demonstratur. In quadam vero Legenda Treuirensi legitur, ut Iacobus de Voragine testatur, corpus eius Romam quidem primo, sed mox inde Treuirim translatum esse: vnde sequitur, in vno horum locorum falsum Matthiam populo demonstrari, & coli.

Quum autem in bissextili anno constitutus esset intercalationi certus dies, is nimirum, qui est post diem 23. Febr. & duobus diebus continuus numerarent, sexto Calendas Martias, duos dies, intercalarem & qui extra intercalationem 24. mensis dies erat, pro vno computantes: quaerebatur olim an duobus his diebus Matthiae festum celebrandum esset: sin minus, an priore, aut posteriore? Respondet Alexander certius his verbis: Festum Beati Matthiae iuxta consuetudinem Ecclesiasticam vigilia eatenus praecedat, ut nec pro bissexto, nec pro quolibet alio inter se solennitatem, aliam diem admittat: in qua utique vigilia (nisi venerit in Dominica) ieiunium celebretur. Ipsum autem festum, siue fiat in praecedenti die, siue in sequenti (qui duo quasi pro vno reputantur) nullus error, sed consuetudo Ecclesiae teneatur. Decret. Gregorij lib. 5. de Verborum significat. cap. 14.

Matthiae festum in anno bissextili quando celebrandum.

VICTORINVS in Aegypto sub Numeriano Imp. in pillam vndique perforatam coniectus, & per singula foramina diutissime transpunctus, tandemque capite truncatus esse perhibetur 6. Cal. Mart. Pet. de Nat. lib. 3. cap. 151.

XXV.

NESTOR Episcopus Pamphiliae, ob religionem Christianam comprehensus, in equuleo suspensus & crudelissime tortus, nolens Christum abnegare, cruci affigitur iussu Pollionis Praesidis sub Decio quarto Calend. Mar. Petrus de Natalibus libro tertio, capite 152.

XXVI.

LEANDER ex Monacho Hispalensis Ecclesiae, seu (ut alij) Toletanae Episcopus factus est. Multa composuit tum ad confirmationem orthodoxae doctrinae Christianae, tum ad confutationem Arianae perfidiae, quam Vandali ex Africa in Hispaniam à Belisario pulsi secum detulerant, ut Platina refert in vita Benedicti primi. Is fuit ad quem Gregorius Magnus libros Moralium scripsit. Obijt in pace 3. Calend. Mart. Petrus de Nat. lib. 3. cap. 155.

XXVII.

ROMANVS Abbas Lugdunen. & multorum Monachorum pater, obiit in pace pridie Calend. Mart. Petrus de Natalibus lib. cap. 160. ex Iuardo.

XXVIII.



## DE ORIGINE FESTORVM

## MARTIVS.

FESTA ET MEMORIAE Sanctorum, quæ Martio mense  
à Christianis celebrantur.

I. **ALBINVS** primò Monachus, deinde Abbas, tertio Episcopus Andegauensis factus  
est: obiit Calend. Martij tempore Caroli M. Petrus de Natalibus libro 3. ca-  
pite 164.

II. **SIMPLICIVS** Pontifex 49. Roman. Ecclesia, post aliqua Antichristi facta  
anno 484. 6. Non. Mart. hunc mundum deseruit. Platina.

III. **KVNEGVNDIS** vxor Henrici 2. Imperatoris fuit: eius tamen virginitatem violatam  
non fuisse multi affirmant. Mortua est 5. Non. Mart. anno Domini 1005. & sepulta in Bam-  
bergensi ecclesia: canonizata autem ab Innocentio 3. qui pontificiam sellam circa annum 1200.  
ascendit. Ioannes Episcopus Basiliensis anno 1348. quum diem obitus Henrici II. Imp. in suo  
episcopatu ferendum instituisset, praecepit simul diem 9. Sept. in honorem Kunegundis Impe-  
ratrix, non quidem feriari, sed deuote celebrare, vt Vrstisius indicat Chron. lib. 3. cap. 10.

IIII. **LVCIVS** Episcopus Rom. 23. Romanus natione, in exilium missus à Christiani nominis  
hoste Gallo Hostiliano, demum ad Ecclesiam suam reuersus, à Valeriano Imp. capite trunca-  
tur quarto Nonas Martij. vt refert Petrus de Natalibus lib. 3. cap. 173. & Horolanus in Ca-  
lendario. Antoninus lib. 7. cap. 7. primum eum dicit tertio Non. Maij. Platina autem 8. Ca-  
lend. Sept.

V. **PHOCAS** Antiochie passus est 3. Non. Mart. Petrus de Natalibus lib. 3. cap. 176.  
vbi etiam ex Adone refert, serpentes eius templo non appropinquare, & si quis ab eis morsus  
ianuam templi attingisset sanatum fuisse: vnde etiam à venenosis inuocari solet. Asterius E-  
piscopus Amasea testatur in Orat. de hoc Phoca, Romanos eum non minus colere quam Pe-  
trum & Paulum.

VI. **FRIDOLINVS**, quem Balaeus Cent. 14. Viatozem nominat, ob magnas & diffici-  
les peregrinationes, quas ob Euangelij praedicationem suscepit, Regis Scotorum & Hiberniae  
filius fuit. Ex Scotia venit in Galliam, in qua circumquaq. Christum annunciauit. Tandem Pi-  
ctauiam ad Hilarium venit, quo mortuo, magnificum caenobium in honorem Hilarij, quem de  
terra leuauit, Clodouei Regis auxilio erexit. Inde vero discedens, in Belgio ad Mosellam flu-  
men rursus in honorem Hilarij aliud monasterium inchoauit. Relinquens autem & hunc lo-  
cum in altis Vosagi montibus eidem Hilario templum extruxit. Idem fecit Argentina, Curie  
Rhetorum & in Burgundiae locis plurimis. Postremo ad insulam Rhoni, vbi hodie oppidum  
est Seccingen, sedecim millibus passuum supra Basileam, venit, vt ibi quoq. adiculam conderet:  
Sed ab incolis male acceptus, virgis casus, insulaq. eiectus fuit. Redit igitur ad Regem Clodo-  
uicum, cui quum aliquandiu verbum Dei praedicasset, ab eo possessionem totius insulae impe-  
trauit, vbi pro octo Canonis, & quatuor Canonis, Caenobium extruere cepit, anno Do-  
mini 495. quod Seccingen adhuc hodie vocatur, à seculo Rheno. Fuerunt illo tempore  
duo germani fratres, nobilitate & diuitijs clari Glarona (pagus est octauus ex trodecim Hel-  
uetiae) Vrso & Landulfus: ex quibus Vrso Fridolini pietatem, & honestam cum suis discipulis  
conuersationem videns, suarum possessionum integram partem, à fratris patrimonio seiuendam,  
Fridolino eiusq. caenobio dicauit: scriptisq. diplomatibus, perpetuo possidendam tradidit & con-  
firmavit. Mortuo Vrsone, quum Landulfus auaritia studio bona Vrsonis monasterio legata ad  
se rapere conaretur, Fridolinus coram Baldeberto Landgrauio de recuperanda possessione cum  
eo certauit. Vbi quum audiret, nihil se effecturum, nisi eorum iudicibus sisteret Vrsonem dona-  
torem, abiit Glaronam, & Vrsonem precibus ex mortuis iussit, eumq. Glaronam ad pagum Rhe-  
nicum Rancquil vsq. per sex milliaria secum adduxit, vt coram Landgrauio cum fratre Landulfo  
expostulareret iniuriam. Quo miraculo territus Landulphus, non solum Caenobio reddidit quae Vrsonis  
prius

Fabula de Fri-  
dolino.



prius fuerant, sed sua etiam omnia adiecit: & sic Glarona, cuius hi duo fratres domini erant, tota huic Cœnobio cœssit. Vnde adhuc hodie Glaronenses in gentis suæ insignijs Sancti Fridolini imaginem habent: qui mortuus dicitur pridie Non. Mart. anno Domini 500.

PERPETVA & FELICITAS in Mauritania ante Tertulliani tempora per plures, ligatis post tergum manibus, ductæ, tandem bestijs obiectæ & ab ijs deuoratae sunt, Non. Mart. Pet. de Nat. lib. 3. cap. 182.

VII.

THOMAE Aquinatis festum eodem die celebratur. Nam anno 1223. Ioannes 22. de consilio Cardinaliū, & assensu omniū Prælatorū presentium Auenioni, habi. a. examinatione de vita, doctrina et miraculis Thomæ Ordinis Prædicatorū, cum consueta solennitate sanctorū Catalogo eum ascripsit, omnibusq; sacrarum literarum interpretibus præculit, & eius festum 7. die Martij celebrare mandauit, quod eā migrasset ex hac luce apud monasterium Fossa nouæ in Campania anno Domini 1274. Antoninus tit. 21. cap. 5. § 8. & Trithem. in Chron. Hirsaugien. Platina hoc tribuit, quemadmodum & Panuinius, Ioanni XXIII. qui Pontificatum tenuit circa annos 1410. à Pio 5. Papa inter celebriores Doctores Ecclesiæ adnumeratus fuit, dum huius diei celebratiōe iisdem sacris solennibus peragi voluit, quibus Bonifacius Papa 55. quatuor Doctores Hieronymi, Augustini, Ambrosij & Gregorij festiuitates celebrandas constituit: vt videre licet in diplomate datum anno Christi 1567. 3. Id. April. Romæ & alijs in locis Doctores Theologi & Physici feriantur in Thomæ huius honorem.

VIII.

PONTIVS Cypriani Diaconus in Cymela Italiae vrbe sub Alpibus, iussu Claudij Præsidis in equuleo primū suspenditur, deinde vrsis duobus obijcitur, à quibus nihil laesus, manibus & pedibus post tergum reuinctis, in ignem conijcitur: postremò verò in saxo vicino riuulo decollatur, corpusq; eius in flumen abijcitur 8. Idus Martij. Hieronymus de viris illustribus. Bergomensis lib. 8. Henricus de Erfordia lib. 6. cap. 27. Vincencius lib. 11. cap. 79. Nec multò post Claudius Præses, & assessor eius Anabius, arrepti à demonibus, suffocati sunt. Vincencius ibidem.

QUADRAGINTA milites Cappadoces Sebastie Armenia sub Licinio Imperatore circa annos Christi 313. liberè & audacter Christianos se esse confessi, nouo supplicij genere eruciantur. Erat stagnum quoddam in media ciuitate, frigoribus incredibilibus & flatibus Borea horridissimis expositum, in quo nudos sub dio pernoctare cogit Præfectus loci. Illi in hoc supplicij genus alacres descendunt, sed frigus inauditum experiuntur, & rigescunt membra omnia gelu. Vbi verò illuxit, adhuc spirantes, igni traduntur 7. Idus Mart. reliquiae eorum ab Eusebia quadam femina colliguntur, & duabus pyxidibus argenteis incluse in horto prope ciuitatis muros sub terra asseruantur. De inuentione harum reliquiarum à Pulcheria Theodosij sorore, longam tenuit narrationem Sozomenus lib. 9. cap. 2. Nam vt eas desossas inquiret, Thyrsus ait martyrem ter ei apparentem suggestisse, atq; vt ad se transferret monuisse. Ipsos quoq; Martyres, habitu militari splendide vestitos, ei sese manifestasse. Sed quum ista ad superstitionem sanctorum defunctorum culturam pertineant, pugnant cum sacra Scriptura, & sunt vel figmenta hominum, vel præstigia diaboli, qui tali ratione homines à cultu veri Dei ad venerationem creaturarum vult abducere. Repertas autem preciosissimâ thecâ imposuit Pulcheria, simulq; publico festo indicto pompam cum Psalmodijs instituit, vt Sozomenus refert libro 9. cap. 2. vbi etiam addit, se huic festo quoq; interfuisse. Similem ferè historiam narrat Basilus Homiliâ vigesimâ de quadraginta militibus in stagno necatis: ijdem ne sint, an diuersi, dicere non possum. Petrus de Natalibus libro 3. cap. 185. eosdem esse putat, sicut etiam alij nonnulli. Circumstantiæ autem nonnihil variant. Nam Basilij milites iuuenes dicuntur, alij coniugati fuerunt: illorum cinis in fluuium esse proiectus, horum reliquiae ab Eusebia asseruatae sunt. Cui diuersitati occurrens Petrus de Natalib. dicit, Episcopum vrbis per visionē admonitum, noctu in alueo fluminis reliquias sub aquis, tanquam luminaria splendentes, inuenisse. Scilicet. Alij dicunt, reliquias has ad fluminis ripam delatas & ab Episcopo collectas esse. Credat qui volet. Scripturæ diuersæ nihil firmitatis habent. i. Script. de fid. instrum.

IX.

ALEXANDER Apameæ in persecutione Antonini Veri glorioso martyrio coronatus

X.



DE ORIGINE FESTORVM

est 6. Idus Mart. Appollinaris Hieropolit. Episcopus aduersus Cataphrygas, & Hieronymus in catalogo virorum illustrium.

XI. ATTALVS Abbas monasterij Luxouiensis, & successor Columbani, moritur 5. Idus Martij. Pet. de Nat. lib. 3. cap. 190.

XII. GREGORIUS cognomento Magnus, ex Monacho Pontifex Romanus 66. efficitur, & se suosq; successores Seruos seruorum deinceps appellari instituit. Ceremonijs plus quam Iudaicis mirum in modum, quia Monachus fuerat, Ecclesiam ac religionem Christianam, præ cæteris omnibus oneravit: vir alioqui doctus & bonus. Moritur 4. Idus Martij anno Christi 604. Quia scholas hic Pontifex plurimum ornauit & auxit, habitus est Patronus scholasticorum. Inde factum est, vt in hoc ipsius festo die certis cantilenis ad scholam vocati sint olim, & adhuc vocentur pueri pluribus in locis, subornato Episcopo, sub S. Gregorij persona, cum adiunctis satellitibus sacri ordinis. Addi quoq; solent dona quibus inuitentur ad scholarum amorem pueri. Manauit hic mos ad Christianos ab Ethnicis. In Quinquatrijs enim, quæ Romani sollemniter celebrarunt 20. Martij, præceptores & discipuli feriatu sunt. Et discipuli quidem Minerualia siue d' id axleg. persoluerunt præceptoribus: præceptores verò discipulis spicas distribuerunt, vnde illud est Horatij:

Crustula blanda dant præceptores pueris.

Conciones prætereà in hoc festo habita sunt à Magistris de Pallade, & vero eius cultu: vt potest à qua sola omnis sapientia & doctrina petenda esset. Ex quo Ouidius dixit:

Qui benè placârît Pallada doctus erit.

Gregorius quartus autem post obitum Gregorij Magni annis circiter 150. corpus eius transtulit ante nouellum secretarium constructis absidibus, & sub altari sui nominis collocauit, & in honorem eius anniuersariam sollemnitatem instituit, in qua pallium & phylacteria, cum baltheo eius osculantur. Surius tom. 2. de Vitis Sanctorum. Olim etiam, quum tempore Quadragesimæ Sanctorum natalitia minimè celebrarentur, translata erat hæc sollemnitas in diem ordinationis eius, vt refert Radulphus de obseruat. can. c. 16.

XIII. EUPHRASIA nobilissima virgo Constantinopolitana fuit: quum pater eam infantulam adhuc despondere viro vellet, cum matre aussugit in Ægyptum, vbi monastica vita desiderio capta, monialis efficitur in cænobio, in quo 130. virginis erant: tandem ibi mortua est 30. Idus Mart. anno 720. Petrus de Nat. lib. 3. cap. 197.

MACEDONIVS presbyter Nicomedia in ignem coniectus 3. Idus Mart. martyrio coronatur. Pet. de Nat. lib. 3. cap. 198.

XIII. De Dominica LÆTARE, quæ etiam Dominica de ROSA: item de PANIBVS dicitur, vbi & de Aureæ ROSÆ consecratione.

Dominica quarta Quadragesimæ Lætare dicitur: primò, propter introitum, qui in ea canatur, & incipit, Lætare Hierusalem. Secundò, quòd omnia quæ in officio huius diei peraguntur, lata sunt. Tertiò, propter Rosam auream, quam Pontifex Romanus hac die ad Ecclesiam pergens, & ab eadem rediens, manu in conspectu populi fert: vt nimirum populo aspectu huius Rosæ in mediana Quadragesimæ solatium detur, ne propter Quadragesimalis obseruantia asperitatem, sub continuo labore deficiat, sicut Innocentius tertius Serm. 1. huius Dominica indicat, & Durandus lib. 6. cap. 53. Hinc & Dominica de Rosa, Germanicè De Rosentag, appellatur. Dicitur etiam Dominica De Panibus, vt Iacobus de Voragine Serm. 1. huius diei testatur, ob eandem causam, nimirum vt populus miraculo illo de quinq; panibus, quod hoc die legitur in ecclesia & explicatur, spiritualiter recreetur, sicut saturati sunt panibus illis corporaliter 5000. homines.

Rosa aurea quibus rebus consecratur, & eius consecratio.

Rosa autem ista tribus rebus constat, auro, musco & balsamo. Et hæc ceremonijs in basilica Sanctæ Crucis in Hierusalem benedicatur ac consecratur. Pontifex indutus amictu, albâ cin-



bâ, cingulo, stolâ, pluuiali & mitrâ accedit ad altare, super quo duo sunt candelabra, & depositâ mitrâ dicit: *Adiutorium nostrum in nomine Domini. Resp. Qui fecit cælum & terram. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus: Deus cuius verbo & potentiâ facta sunt omnia, & cuius nutu vniversa diriguntur: qui est lætitia & gaudium omnium fidelium: maiestatem tuam suppliciter exoramus, vt hanc rosam odore visuq; gratissimam, quam hodiernâ die in signum spiritualis lætitiæ in manibus gestamus, beneddicere & sanctificare tuâ pietate digneris, vt plebs tibi dicata ex iugo Babylonicæ captiuitatis educta, per vnigeniti filij tui gratiam, qui est gloria & exultatio plebis Israel illius Hierusalem, quæ sursum est mater nostra, synceris cordibus gaudiũ representet, & quia ad honorem nominis tui Ecclesia tua hoc signo hodiẽ exultat & gaudet: tu ei Domine verum & perfectum gaudiũ largiaris, & deuotionẽ eius accipiens peccata dimittas, fide repleas, indulgentia foueas, misericordiâ protegas, aduersa destruas, prospera cuncta concedas: quatenus per fructũ boni operis in odorem vnguentorũ illius floris transeat, qui de radice Iesse productus, flos campi & lilium conuallium mysticẽ prædicatur: cum quo in superna gloria cum sanctis omnibus sine fine lætetur. Qui tecum viuít & regnat in vnitãte Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.*

Finita hac oratione, inungit cum balsamo Rosam auream, quæ est in ipso ramusculo, & superimponit muscum tritum, quæ per sacristam ei ministrantur, & imponit incensum in thuribulo more consueto, & demũm aspergit Rosam aquã benedictã, & adolet incenso. Interim clericus cameræ Apostolicæ sustinet Rosam, quam deinde dat ad manus Diaconi Cardinalis à dexteris, & ille ad manus Pontificis, qui manu sinistra Rosam gestans, & dextra benedicens, progreditur ad capellam, & Diaconi Cardinales hinc inde eleuant fimbrias pluuialis: cùm peruenerit ad faldistoriũ, dat Rosam Diacono benedicto, qui eam clerico cameræ tradit, & ille eam super altare ponit.

Finita Missã, Pontifex factã oratione ante altare, recipit Rosam, & eam defert ad cameram suam. Ibi illam dono dat magno alicui & potenti Principi, qui præfens est in curia. Vocatur ille ad pedes Pontificis, qui genua flectenti dat Rosam, dicens: *Accipe Rosam de manibus nostris, qui licet immeriti locum Dei in terris tenemus, per quam designatur gaudium vtriusq; Hierusalem, triumphantis scilicet & militantis Ecclesiæ, per quam omnibus Christi fidelibus manifestatur flos ipse speciosissimus, qui est gaudium & corona sanctorum omnium, suscipe hanc tu delectissime fili, qui secundum seculum nobilis, potens, ac multã virtute præditus es, vt amplius omni virtute in Christo Domino nobiliteris, tanquam Rosa plantata super riuos aquarum multarum, quam gratiam ex sua vberanti clementia tibi concedere dignetur, qui est trinus & vnus in secula seculorum, Amen. In nomine Patris & filij & Spiritus Sancti, Amen.* Hoc aliquandò in capella factum fuit finita Missã. Ille cui Rosa data est, postquam manum & pedem Pontificis osculatus est, eiq; pro tempore gratias egit, cùm Papa in camera vestes sacras deposuerit, ipse Rosam manu gestans deducitur vsq; ad domũ suam à collegio Cardinalium, medius inter duos antiquiores Diaconos, post omnes alios Cardinales: circa illũ sunt pedites cursores Romanæ curiæ cum suis baculis, qui solent illa die strenas, ab eo qui Rosam habet, accipere: sic legitur lib. 1. Cerem. Rom. Ecclesiæ.

*Sin minus esset tunc in curia Rom. Princeps tanto munere dignus, mittitur hæc Rosa in alias provincias & regna, Regi, aut Principi alicui, vt hæc ratione eos facilius in officio obedientiæ contineant, eosq; sibi in perpetuum hoc præclaro, & tanquam de cælo lapsa munere obstringant. Hinc in Sleidani lib. 1. & 4. Comment. legimus, Leonem X. Fridericum Saxonie Principem per Carolum Militium, & per alium quendam Henricum Angliæ Regem hæc Ro*

Rosa aurea donatur alicui à Papa.



DE ORIGINE FESTORVM

sa donasse. Solet autem Pontifex ante vel post Missam vocare Cardinales ad circulum in camera sua, vel ubi placuerit ei, & cum his deliberare, cui danda vel mittenda sit.

Rosæ consecra-  
tionis auctor.

Hanc verò consecrationem seu benedictionem Rosa huius inuentum & institutum Urbani V. qui Pontificatum anno 1370. tenuit, quidam esse volunt: quod falsum est, meminit enim ritus seu ceremonia huius Innocentius III. qui annis 170. ante hunc Urbanum vixit.

Ritus alij in  
Dominica Latars  
tare.

Aliquibus etiam in locis hoc die mortem expellunt. Laruam enim seu imaginem mortis de stramine aut simili materia faciunt, quam postea in aquas proijciunt & submergunt, ad significandum, veterem hominem esse mortificandum, & peccatis resistendum, per qua mors introiit in mundum, sicut Messreth Sermone primo in Dominica Latars refert. Meminit etiam huius consuetudinis Matthaus Dresserus in libello suo de Festis, ubi indicat, in vrbe Misna pueros puellasq; hac Dominica circumferre ex ramusculis abiegnis confectam pericam, addidamentisque alijs ornatam; ac ostiatim canendo memoriam expulsa mortis renouare, vt nummos colligant. Existimat autem, hunc morem à Polonis & Silesijs manasse, sed incertum qua imitatione; hos enim eodem die gestare testatur simulachra spectris similia, eaq; tandem in cœnum proijcere atq; comburere. Hac consuetudine ait repetere eos memoriâ historiam confractorum & eiektorum idolorum per Poloniam & Silesiam anno Christi 966. regnante Mieslao, sub quo ab idolomania Ethnica ad verum Dei cultum vtraq; gens conuersa est.

XV.

DE LONGINO, qui à Papistis 15. Martij die colitur, magna est inter eos discrepantia: A plerisq; Longinus, à Beda autem in Collectaneis Legorius appellatur. Deinde pleriq; tradunt, & in his Martyrologium Romanam Militem eum, qui latus Domini in cruce pendentis lancea aperuerit, Longinum vocatum fuisse: & Gretscherus sic eum vocatum fuisse ex Augustini Manuali c. 23. probare conatur. Libellus autem ille, Erasmo auctore, consarcinatus est à quodam, nec eruditione, nec eloquentia prædico proindeq; non est Augustini. Baronius autem, ipso quoq; Gretschero teste de Cruce pag. 81. erroris hos redarguere velle videtur. Tertio, sunt qui Capadocem, sunt rursus qui Isaurum eum fuisse tradunt, vt ex Mantuano postea intelligitur. Quarto, incertum est apud Papistas fueritne Longinus hic, qui lancea Domini latus aperuerit, gregarius miles, an verò Centurio ille, de quo Euangelistæ referunt, quod visis miraculis in morte Domini editis, Deum glorificauit, & testatus sit, verè hominem hunc fuisse iustum & filium Dei. Quidam gregarium militem fuisse volunt, non enim credibile videtur, hominem, qui Christum agnouisset & fide amplexus esset, in mortuum ferro sauiurum fuisse. Accedit, quòd Euangelista Ioannes militem hunc non Centurionem, sed absolute & simpliciter Militem vocat. Metaphrastes autem, Petrus de Natalibus libro tertio cap. 201. Iacobus de Voragine Legenda 47. Baronius & alij Centurionem istum fuisse volunt, absq; tamē omni auctore. Quinto, in hoc etiam dissentiunt, quòd nonnulli dicunt, Longinū hunc siue milite, siue Centurionē cæcum fuisse, sanguine autem Christi, ex latere profuente, sanatum. Baronius autem contradicit: quis enim credat, custodia Crucis cæcum adhiberetur fuisse? Scripturæ verò diuersæ & discrepantes nihil probant. Sexto, toti narrationi de hoc Longino in eius Legendis plurima fabulosa inesse videntur. Vt quòd in Casarea Cappadociae 38. annos monachum egerit, quum Monachatus tum nullus fuerit: quòd Præsidi, qui ipsum martyrio affecerat, excæcato, sed ad cadauer eius penitentiam agenti, visum suis precibus et intercessione apud Deum restituerit. Hæc verò non solum superstitiosa, sed etiam idololatrica, & ab his temporibus alienissima sunt: quemadmodum & illud, quòd sanguinem, qui fluxit è latere Christi, collegisse in vas & secum sepeliri curasse dicitur, quiq; inuentus tandem Mantuae hodie monstratur. Sic enim Mantuanus in Fastis:

Secula post aliquot tua sunt translata per vndas  
Corpora in Italiam, Christi cum sanguine sacro  
Ad Crucis excelsæ quondam vestigia lecto,  
Atq; in vase breui tecum post fata sepulto.  
Vltima diuino sedes tibi Mantua nutu  
Hospitiumq; fuit,

Colitur in Romana Ecclesia Idibus Mart. in Græcia verò 17. Cal. Nov. Sic enim Mantuanus lib. Fastorum: Sunt



Sunt qui Cappadocem, sunt qui testantur Isaurum  
Te armorum Longine decus. Tu bella gerebas  
Tempore quo nobis proles diuina salutem  
Attulit: ipse suas Mauors tibi dedicat Idus.  
Octobris verò decimum tibi Græcia sextum  
Thure diem celebrat, multoq; illuminat igne.

HERIBERTVS Episcopus Coloniensis, vir supersticiosus, anno Christi 1020. 17. Cal. April. decessit ex hac vita. Chronicon Hirsaug. & Herm. Contractus.

XVI

GERTRVDIS, virgo Niuelensis Brabantia, monasterium virginum in patria extruxit, eiq; præsuit: mortua est anno Constanti Imp. XXI. 16. Calend. April. Petrus de Natal. lib. 3. c. 205. Molanus autem in Indiculo 55. Belg. refert, eam ex hac vita migrasse anno 664. quod etiam testatur Sigebertus in Chron. & Trichem. de illustr. viris Ordinis Bened. lib. 3. c. 113. Relata est in Deorum Catalogum Honorij III. decreto.

XVII

PATRICIUS in Britannia nobilissimis ortus parentibus, & in sacris literis præbè institutus, Romam veniens in Hiberniam inde à Pontifice Rom. mittitur, quàm totam insulam ad Christi religionem conuertit. Vincentius & alij pro more nugantur, quòd in cuiusdam montis cacumine quadraginta diebus & noctibus, vt alter Helias, ieiurârît: Euangelij textum & baculum in quadam visione à Christo acceperit: profana Deorum templa destruxerit: signa pietatis erexerit: ecclesias innumeras fundauerit: verbi ministros ordinauerit: infirmos sanauerit: obsessos liberauerit: sexaginta mortuos suscitauerit: hominũ 12000. baptizauerit inter quos fuerint sep. c. reges. Huius etiã precibus ascribit Petrus de Natalibus lib. 3. cap. 204. quòd nullum venenatum animal eam insulam infestet, imò ligna & coria istius regionis contraria sint veneno. Horum omnium fides sit penes auctores. Tribuunt etiã isti Vincentius, Petrus de Natal. & similis farina scriptores, ementiti Purgatorij inuentionem, idq; Christum ei monstrasse scribunt. Verum hoc, vt cum veritate discrepans, refellit Balæus Cent. 1. cap. 44. & alteri multò iuniori, monachorum abbati, sed eiusdem nominis, ascribit, quem vixisse ait circa annos 850. Glasconiaq; sepultum esse. Illum verò mortuum esse 15. Cal. April. anno 491. ætatis suæ 122. Beda lib. 2. tom. Sigebertus & Balæus referunt:

P. tritij purgatorij.

XIX

IOSEPH putatiuus Christi pater natus fuit patre Iacob, ex familia David, Machi Viduum eum fuisse, ac plures habuisse liberos, antequam Maria ei desponsaretur, & quædam alia miraculosa, fabulamq; respicientia, proteuangelium Iacobi narrat. In Euangelistis autem ea de re nihil extat. Ex Euangelica historia constat, eum fabrum fuisse lignarium: talem enim significat vocabulum τέκτων, quo vitur Marcus cap. 6. Hilarius tamen in Matth. cap. 14. sentire videtur, quòd Ioseph fuerit faber ferrarius: sic enim inquit: Planè hic fabri erat filius, ferrum igne vincens, omnem sæculi virtutem iudicio decoquentis, massamq; formantis in omne opus vtilitatis humanæ. Quanto tempore vixerit, vel vbi, aut quomodo humanitatis debitum exoluerit, expressum non habemus. Petrus de Natal. lib. 3. cap. 209. indicat, se in quodam antiquissimo Calendario, ex cuius initio colligere potuerit, quòd ex vetustis Eusebij Casariensis exemplaribus desumptum fuerit, scriptum reperijssè, Festum Iosephi sponse Domine nostræ 14. Cal. April. Fieri autem potest, vt hoc die obierit, festum verò eius instituit, & veterum solennitatibus adiunxit demùm circa annos 1480. Sixtus IIII. vt testatur Panuinius in Appendice ad Platinam, & Balæus in eius vita. Rituum, quibus festum eius celebratur, his versibus Bapt. Mantuanus in Fastis meminit:

Post decimam lux noua tua est: tua templa sacerdos  
Velat, & ad numerum tibi tinnula verberat æra.  
Verrit humum: legit areolis noua gramina tonsis:  
Et postes vernare facit, frondere columnas.  
Albentes splendere aras, redolere sacellum,  
Thura cremat, lentoq; super myrrham infriat igni.

Roma & alibi hoc die fabrorum sunt ferie.



DE ORIGINE FESTORVM

**XX.** **CUTHBERTVS** qui alias Gubertus & Gunibertus appellatur, ex Hiberniensium stirpe & in Hibernia natus, à matre Romam peregrinante adolescens in Britannia relinquitur. Mailrosa in monasterio profanis literis instructus, Boisilo abbati mortuo successit. Quo in munere externa ceremoniarum iura tam verbo quam opere docuit, ac si regnum Dei cum observatione veniret. Fœmineum genus adeo odit, ut decretum fecerit, ne qua mulier in suum intraret monasterium. Et tamen nihilominus familiarissimas habuit Ebbam, Elfredam & Vescam Abbatissas, cum vestalibus suis. Exinde ad anachoreticam vitam se contulit, & selecto loco in magna vastitate, eò secessit solus, & per multos annos ibi duris exercitijs sese maceravit, vanâ opinione de cultu Dei fascinatûs. In synodo tandem communi antistitum decreto ex solitudine renocatus est, & Hagulstadenſis ecclesia Episcopus creatus. Functus autem isto munere per biennium vitam cum morte commutauit, anno Christi 687. 13. Calend. Aprilis. Balauſ Cent. 1. cap. 81. & Petr. de Natal. lib. 3. cap. 212.

**XXI.** **BENEDICTVS** Nursinus in Umbria Italia natus, tumultuum & bellorum, quæ Iustiniiani Imp. temporibus exorta fuerant, pertasus, in solitudinem abiit, in qua per diu versatus, se demum Sublaqueum contulit. Ibi quum à multitudine ob sanctitatis famam frequenter adiretur, postremo Cassinum, in ea regione peruetustum oppidum, in quo phanum & ara Apollinis extabat, venit, ibiq; cœnobium condidit, & sparsos hinc inde per Italiam monachos in id quasi in unum contraxit, & monachatum in Occidente instituit, anno Domini 530. ut refert Balauſ ex Paleoxydoro. Volateranus lib. 21. Polydorus lib. 7. de Inuent. cap. 2. Gregorius M. Dialog. lib. 2. cap. 1. & 2. Moritur anno Domini 542. Martij 21. die, quo & memoria eius celebratur. Sic enim Mantuanus in Fastis:

Sæcra cucullato Martis vigesima patrî,  
Prima dies oritur, &c.

Ac oportuit Cassinenses monachos sui Abbatis Benedicti quemadmodum Mauri & Scholasticæ festa, ut Natalem Domini celebrare, ex institutione Zachariae Papa circa annum Domini 745.

**CONSTANTINVS** Max. ob virtutem suam, à gentilibus in numerum Deorum relatus, à Christiana quoq; Ecclesia in Sanctorum Catalogo receptus fuit: diesq; vigesimus hic primus mensis Martij in ipsius nominis honorem celebrari cepit. Nam ei, magnâ ipsius laude, maiore etiam omnium mortalium admiratione contigit, ut duarum inter se plurimum aduersantium religionum populi atq; ecclesiæ, ipsum ad tantum, adeoq; rarum honoris culmen reciperent: id quod nulli antea unquam contigisse visum fuerat. Fulgosus lib. 8. cap. 16. Alexan. lib. 6. cap. 4. Alij tamen ad diem 22. huius mensis referunt.

**XXII.** **APHRODISIVS** Aegypti præfectus fuisse dicitur, eo tempore, quo Maria cum puero Iesu in Aegyptum fugit. Conuersus ad religionem Christianam, Bituricensis episcopus creatur, moriturq; 11. Cal. April. si verum est, quod Pet. de Nat. lib. 3. cap. 218. refert.

**XXIII.** **VICTORIANVS** Adrumeti vir nobilis, à quodam proconsule Carthaginensi, homine sauisſimo, quod idolis Eθνicis sacrificare nollet, captus, primò bonis suis spoliatur, deinde inauditis tormentorum generibus excruciat & necatur 10. Cal. April. Pet. de Natal. ex Africano lib. 3. cap. 219.

**XXIIII.** **PIGMENIVS** presbyter Romanus & præceptor Iuliani Imp. Apostatæ, pro Christi fide à discipulo Iuliano, quod corpora martyrum sepeliret, primò in exilium mittitur: inde verò Romam reuertens, in Tyberim ab eodem submersus est 9. Cal. April. Vincentius lib. 14. cap. 35. & 38. Pet. de Natal. lib. 3. cap. 223.

**XXV.**

DE ANNUNCIATIONIS B. Mariæ festo.

Festum hoc olim non tam in Mariæ, quam Christi honore celebratum.

**F**estum hoc à Pontificijs celebratur hodie in solius B. virginis Mariae honorem, & memoriam eius, quod conceptio filij Dei iuxta carnem Mariæ annunciata ab angelo Gabriele fuit. Athanasius, qui floruit circa annos Domini 340 primus de festo hoc quadam retulit, in narratione Euangelij De sancta Deipara: quam tamen Baronius in Notis ad Martyrol. Rom.



Rom. pag. 200. Cyrillo potius quàm Athanasio tribuendam putat, quod ibidem auctor acerrimè pugnet contra Nestorium, quem longè post Athanasium vixisse constat. Vt autem ex verbis apparet, quæ in exordio illius continentur, non tam in honorem Mariæ, quàm Christi Domini celebratum olim fuit: imò huius potius, quàm illius festum fuit. Sic enim Athanasius. Festum hoc, inquit, vnum ex Dominicis, atq; adeò primarium, & profus venerandum, ut pote quod pro ordine & digestionem rerum quæ in Euangelio de Christo prædicantur, sacrosanctum habeatur, quippe in quo de filij è cœlis descensu agatur. Quæ verba satis indicant, in hoc festo de Christo præcipuè, eiusq; descensu in terram tractatum esse, nihil de B. Maria, quod posterioribus demùm seculis fieri cœpit. Vnde etiam habetur eadem Prefatio in Natali Domini, quæ in eiusdem Annuntiatione, ut testatur Iohan. Beletin Ration. cap. 146. & Durandus in suo Ration. lib. 7. cap. 9. Ipse quoq; Eccius hoc non dissimulat, quando tom. 3. homil. 6. de Annuntiatione Mariæ inquit: Quamuis hoc festum appellationem habeat à virgine Maria sumptam, tamen peculiariter festum Christi totius humanæ naturæ continet. Verbum enim Dei patris æternim hodie caro factum est, & humana eius natura super omnes exaltata est choros angelorum, dum in vnitatem personæ vnita est filio Dei, &c. In vetustioribus etiam Legendis & Sermonibus de hoc festo, non habetur titulus Festum annuntiationis Mariæ, sicut hodie, sed Festum annuntiationis Domineæ.

Factam autem hanc annuntiationem ab angelo 8. Cal. April. Pet. de Nat. lib. 3. cap. 225. scribit quidem, sed sine auctore: vnde etiã hoc festum eo die celebrari solet hodie. In Concilio autem Toletano 10. anno 659 secundum Panuinium, habito præcipitur Cap. 1. ut octauo die ante Natalem Domini celebretur. Sic enim habent verba Canonis: Quoniam die quo inuenitur angelus virginis Verbi conceptum & nuntiãsse verbis, & indidisse miraculis, eadem die festiuitas non potest celebrari condignè, quod interdum Quadragesima vel Paschale festum videatur incumbere, in quibus nihil de Sanctorum solennitatibus, sicut ex antiquitate regulari cautum est, conuenit celebrari: cum secundum ipsam incarnationem Verbi non conueniat tunc celebrari, ut prædicari, quando constat ipsum Verbum post mortem carnis gloriã resurrectionis at tolli. Ideò speciali constitutione sancitur, ut ante octauum diem quo natus est Dominus, genetricis quoq; eius habeatur celeberrimus & præclarus. Ex pari enim honore constat, ut sicut Natiuitatem filij sequentium dierum insequitur dignitas, ita festiuitatem matris tot dierum sequatur solennitas. Nam quod festum matris est nisi incarnatio Verbi? Cuius festum ita debet esse solenne, sicut est & eiusdem Natiuitatis Verbi. In multis itaq; Ecclesijs à nobis & spatio remotis & terris hic mos agnoscitur retineri. Solennitas itaq; Domineæ matris die 15. Cal. I. nuarij omnimodò celebretur. Vnde simul intelligitur, sensim in abusum & idololatricum cultum hoc festum translatum iam tum Concilij Toletani 10. tempore. Caranza in Epitome Conciliorum ad hunc Canonem annotat, hanc festiuitatem in sola Hispania celebrari: quod de tempore in Toletana synodo definito intelligendum: alioquin non solum ab Hispanis, sed etiam ab alijs Christianis celebratum iam aliquot seculis ante Caranzam fuit, verum non 15. Cal. Ianuar. sed 8. Cal. April. quo die per diuersa temporum curricula Deus multa operatus dicitur: quæ his versibus quidam perstrinxit:

Festum hoc  
quando cele-  
brandum.

Salve facta dies, quæ vulnera nostra coercet.  
Angelus est missus: est passus & in cruce Christus.  
Est Adam factus, & eodem tempore lapsus.  
Ob meritum decimæ cadit Abel fratris ab ense.  
Offert Melchisedech: Isaac supponitur aris.  
Est decollatus Christi Baptista beatus.  
Est Petrus erectus: Iacobus sub Herode peremptus.  
Corpora Sanctorum cum Christo multa resurgunt  
Latro per Christum tam dulce suscipit Amen;



DE ORIGINE FESTORVM

Ut Durandus in Rationali lib. 7. cap. 9. & Iacobus de Voragine Legenda 50. referunt.

Litanie in hoc festo cantandæ.

Mentionem huius festi faciunt Platina & Baleus in vita Sergij primi, qui floruit circa annos 688. quem instituisse referunt, ut à S. Adriano quotannis per urbem die Annuntiationis Mariæ ac Simeonis Litanie cantentur. Theophanes quoq; & Damascenus hymnos hoc festo cantandos instituerunt, qui apud Damascenum extant.

Quoties autem hoc festum incurrit in septimanam Passionis, aut in septimanam in Albis, celebratur pridie Palmarum veteri consuetudine.

Meffreth fabulosa narratio de hoc festo.

Referam ad finem huius festi ex Meffreth narrationem, quæ extat Serm. 1. de Annuntiatione Mariæ, ut videat Lector nihil puduisse mendaciorum putidissimorum istiusmodi homines. Narrat enim ex quodam libro trium Regum, qui eiusdem erit pretij cum suo Hortulo de Sanctis, Helenam Imperatricem fabricasse in Nazareth pulcherrimi operis templum, in quo camera fuerit, in qua beata virgo eâ ipsâ horâ extiterit, quâ angelus conceptionem Domini annuntiârit ei: in illa camera columnam lapideam fuisse ad quam angelus steterit, & suam imaginem ei sicut ceræ impresserit. Hoc signum diei Annuntiationis in columna permansisse, quumq; Sol ante Occasum id tetigisset, tunc horam fuisse illam ipsam, quâ angelus Mariam salutârît, & Domini conceptum annuntiârît. Non diu post certos ministros deputatos in hac capella, qui, ubi Sol tetigisset hoc signum, in capella sonitum campanâ dederint, ad quem homines in genua procciderint & Angelicam salutationem, quam Ave Maria vocant, recitârînt. Hoc figmento vanissimo probare vult opinor, Salutationem angelicam ad campanæ pulsus antiquissimam esse consuetudinem: quum, ipsis quoq; Pontificijs testibus, à Ioanne XXII. Papa circa annos demum 1325. contra Ludouicum IIII. Imp. Christianissimum instituta sit.

XXVI.

CASTVLVS in ipso palatio Diocletiani Imp. Caium Episcopum Rom. Marcellianum & Marcum fratres, cum patre eorum Tranquillino, & alijs Christianis fouens, quod de ipso suspicio nulla esset, tandem comprehenditur, & in foueam conijcitur, superinieto magno arena aceruo, 7. Cal. April. Pet. de Nat. lib. 3. cap. 231.

XXVII.

IOANNES Eremita anno 1. Theodosij Imp. senioris vixit, habuitq; cellam in eremo Thebaitis in rupe ascensus penè inaccessibilis. Nunquam cum Muliere, rarò etiam cum viris loquebatur, & solum per fenestellam. Cum ita in solitudine mansisset suæ cellæ inclusus 70. annis, moritur tandem 7. Cal. April. Pet. de Nat. lib. 4. cap. 6.

XXVIII.

DE HEBDOMADA Magna: vbi & de Dominica IN RAMIS PALMARVM.

Pascha quid olim significarit.

Vocabatur antiquitus PASCHA non solum ipsa dies Resurrectionis Domini, sed etiam totum illud tempus, quod est à Dominica in Ramis palmarum, ut vocant, vsq; ad octauam Paschæ, sicut Durandus indicat in Ration. lib. 7. cap. 1.

Hebdomadæ Paschales festiua.

Etsi autem hæc duæ septimane, vna ante, & altera post Resurrectionis Dominicæ diem statim post Apostolorum tempora solennes fuerunt, propter memoriam Passionis & Resurrectionis Domini, sicut ex vetustissimis authoribus intelligitur, cæperunt tamen Constantini Magni edicto magis festiua esse, Nam Paulus Diaconus lib. 11. Rom. hist. narrat, Constantinum lege edixisse, duas hæc Paschales hebdomadas sine negotio cuiusq; operis celebrandas esse. In quam sententiam etiam Nazianzenus ait Oratione 3. in Sanctum lauacrum: Nos sanctum Pascha in orationis domibus & ante Cœnam, & post Resurrectionem peragimus.

Hebdomada Passionis & Magna.

Ignatius in Epistola ad Philadelphianos primam hæc Paschatis septimanam Hebdomadam Passionis nominat. Chrysostomus autem homil. 30. in cap. 10. Gen. Hebdomadam magnam vocat, quod magna quedam & ineffabilia bona pijs ac fidelibus in ea contigerint, in illa enim solutum esse bellum diutinum, extinctam esse mortem, maledictionem interemptam, diaboli tyrannidem solutam, vasa ipsius direpta, Deum hominibus reconciliatum, cælum penetrabile factum, &c. Hanc autem Paschatis priorem hebdomadam à Chrysostomo intelligi inde apparet, quod ibidem scribit, ad finem Quadragesimæ ventum, quum in magnam hæc hebdomadam peruenerint.

Germani



Germani hanc septimanam vocant die Karrwochen / à vetusto illo Germanico vocabulo Karr / quo multam seu penam pro delicto, vel potius satisfactionem pro pena & multa nominarunt. Quando enim in foro iudiciali reus pro multa à iudice sibi imposta, læso pro iniuria damnatus satisfacit, dicimus, Er hat ihm ein abtrag / Karr oder aber wandel gethan. Ab hoc civili vsu postea sacrificuli multas, quas penitentibus, pro satisfactione delictorum, imposuerunt, etiam in Latina lingua Germanico vocabulo nominarunt Carrinas. Alij tamen scribunt Carenam, & à carendo deriuant. Est huius vocabuli frequens vsus apud Burckhardum Vuor mat. Episcopum circa annum Domini 1020. lib. 9. & in vetustis Indulgentiarum Bullis. Fuit igitur Carena apud veteres in ecclesia ieiunium aliquot dierum in solo pane & aqua. Vocarunt ergò hebdomadam hanc Germani die Karrwochen / quòd in ea penitentiam, hominibus à sacerdote impostam, communiter omnes agerent ieiunijs, vigilijs, &c. pro peccatis admissis, quã se Deo satisfacere posse falso persuasum habebant. Potest tamen etiam pio sensu sic vocari septimana hæc: in ea siquidem pro multa, à iusto iudice Deo humano generi imposta, filius Dei in cruce morte suã satisfecit, eosq; ab æterna damnatione liberauit. Ob easdem causas quoq; dies

Karrwochen:

Karr quid.

Carrinae &amp; carena quid.

Karrfreitag

Dominicæ Passionis, dex Karrfreitag appellatur.

Religiosissimè autem obseruatum Pascha prioris septimanæ ex Tertulliano non obscure intelligitur, qui libro 2. ad uxorem sic scribit: Quis solennibus Paschæ obnoctantem uxorem securus sustinebit? Idem quoq; Epiphanius indicat lib. 3. tom. 1. heresi 75. In diebus inquit, Paschalibus apud nos fiunt humidormitiones, castitates, afflictiones, sic eorum esus, preces, vigiliæ ac ieiunia: vbi & ieiunia hæc per sex dies Paschæ ab Apostolis instituta affirmat: sicut etiam Clemens Constitut. Apostolicarum lib. 5. cap. 19. & 20. Sed quis hoc credat, quum nusquam in Apostolorum scriptis reperiantur talia, & multis probari possit, hos Clementis libros suppositicios esse? Porro magnã religionem hanc septimanã colendam, Matisconensis quoq; synodus 2. cap. 2. præcipit: Pascha nostrum, in quo summus sacerdos & Pontifex pro nostris delictis immolatus est, debemus omnes festiuissimè colere, & sedulæ obseruationis synceritate in omnibus venerari: vt illis sanctissimis sex diebus, nullus seruire opus audeat facere: sed omnes simul coadunati, hymnis Paschalibus indulgentes, perseuerationis nostræ præsentiam quotidianis sacrificijs ostendamus, laudantes creatorem & regeneratorem nostrum vespere, et mane, & meridie. Chrysostomus etiam homil. 30. in 10. cap. Genes. hebdomadã hanc magnam ieiunijs, vigilijs, pernoctationibus sacris & elemosynis decorandam, suos auditores monet. Meminit quoq; vigiliarum Paschæ Eusebius libro sexto, capite nono, in historia Narcisci Hierosolymitani Episcopi, de quo indicat, quòd in vigilijs Paschæ deficiente oleo, oratione impetrãrit, vt aqua infusa lampadibus, ad præbendam lucem facta fuerit idonea. Idem author libro 4. de Vita Constantini refert, Constantinum Paschales has peruigilationes ornãsse lampadibus, accendentem per totam urbem columnas seu moles cereorum. Vnde absque dubio Cerei Paschalis ritus emanauit ad posteros, & ad aliam postea ex hoc fonte superstitionem translatus fuit. Cæsarius etiam aliquot horum rituum meminit homil. 18. Nam de præparatione ad hoc festum sic loquitur ad suos auditores: In Paschate castitatem, sicut in Quadragesima, seruate, abstinentes ab vxoribus, castitatis luce vestiti, elemosynis dealbati, orationibus, ieiunijs & vigilijs veluti quibusdam margaritis cœlestibus ornati, pacifici cum amicis & inimicis, vt possitis liberã conscientiam ad altare Domini accedere. Floruit circa annos Christi 670. Nicetas quoq; lib. 3. refert, Isacium Imp. circa annos Christi 1186. viduas elemosynis, pauperulas virgines dote & nuptiarum sumptu hæc hebdomadã iuuãsse.

Paschalis hebdomadã prior religiosè celebrata.

Cerei Paschalis ritus vnde

Obseruandum est autem diligenter, hos ritus liberas habuisse obseruationes: nam in aliquibus ecclesijs per totam hanc septimanam obseruati sunt, vt modò indicauimus: ex Nazianzeni autem Oratione in S. Pascha apparet, in aliquibus noctem eam ante diem Resurrectionis, qui propriè Paschatis est, tantum peruigilem fuisse Christianis, luminibus vbiq; & publicè & priuatim accensis. Et Ambrosius Serm. 60. In Paschate, inquit, ieiunauimus sabbatam

Libertas Christianorum in his ritibus.



DE ORIGINE FESTORVM

tho, vigilias celebrauimus, & orationibus percunctanter institimus. De Ieiunijs autem Paschalibus Irenæus luculententer testatur in Epistola ad Victorem Romanum Episcopum, cuius fragmentum extat apud Eusebium lib. 5. cap. 26. quod tempus eorum, sine superstiosis legibus, liberè seruatum sit, & in forma Ieiunij huius magna suo tempore fuerit diuersitas, & obseruationes dissimiles. Quidam, inquit, vnum diem ante Pascha ieiunant, quidam duos, alij verò plures dies, alij quadraginta, diurnas & nocturnas horas computantes pro die. Idem etiam refert Nicophorus libro 12. cap. 34. Hæc res postea in consuetudinem abiit, & ieiunium Quadragesimale hinc natum est, quod hodie pro articulo fidei obtruditur ecclesiæ.

Quadragesima  
le ieiunij vnde.

Ritus in hac se-  
ptimana obser-  
uati vnde.

LECTIO PASSIO-  
NIS DOMINICÆ  
IN SEPTIMANA  
PASCHALI PRIORĒ

Sumpserunt huius fortasse originem ex Iudeorum consuetudine quadam, cuius meminit Ioannes Euangelista 11. cap. vbi dicit, multos ascendisse ante Pascha vt sanctificarent seipso: vnde constat, Iudeos solitos quibusdam oblationibus seu sacrificijs ante Pascha sese expiare. In huius locum forte postea à Christianis, vigilia, ieiunia & similia sunt instituta, ne Iudeis irreligiosiores viderentur: de quo tamen lector iudicet.

Durandus in Rationali lib. 6. cap. 69. indicat, secundum quemlibet Euangelistarum hæc septimana passionem Domini legi, ex institutione Alexandri I. Papæ, eo ordine, quo scripserint: nam die Dominicâ, quæ dicitur in Ramis palmarum, legi passionem secundum Mattheum, qui primus scripsit: secundâ vel terciâ feriâ secundum Marcum, qui secundò scripsit: quartâ secundum Lucam: sextâ secundum Iohannem, qui vltimò scripsit: Mediolanenses autem olim passionem non nisi secundum Iohannem legisse, & in sexta feria. Augustinus autem simpliciter Dominicæ passionis memoriam quotannis celebratam refert, epist. 118. ad Lanuarium. Et Chrysostomus homil. 88. in Matth. tom. 2. Ne, inquit, gentiles dicant, præclara nos atque insignia Christi facta prædicare, opprobria verò & passionē celare sanctissimi Spiritus gratiâ ita dispensatum est, vt in solennitate maxima, cum omnes vnâ viri atq; mulieres adesse possint iuxta diem Paschæ, omnia hæc perlegantur.

Nota.

Non prætermittendum hoc loco, quod Godesfredus Monachus S. Pantoleonis & Cranzius lib. 6. cap. 46. Metrop. referunt, quum apud Senonas Alexander III. die Parasceues ex instituto homonymi sui inter officium legere iussisset passionem Dominicam, horribiles factas fuisse tenebras: quumq; Lector peruenisset ad hunc locum, Consummatum est, fulgur tam stupendum cecidisse, & tantum fragorem insonuisse, vt Alexander dimisso altari, & Lector omissâ passione, omnesq; præsentis fugâ sibi consuluerint. Nec mirum, agebat enim tunc Pontifex in Francia, vt aduersus Imperatorem, legitimum suum magistratum, sibi ceteras nationes conciliaret: ibidem, Voluit etiam Deus horrendis his tenebris, & stupendis fragoribus, fulminibusq; significare, dignum esse Pontificem Romanum, cum suis asseclis, qui in exteriores tenebras eijciantur, & fulminibus in carcerâ profundissima deturbentur, quod sacrificium filij sui Iesu Christi respiciant ac fastidiant, quo solo tamen consummate & impletæ sint promissiones, typi in lege propofiti & prophetarum oracula, vnâ cum omnibus his quæ ad salutem & redemptionem nostram necessaria erant, & noua sacrificia, vt est Papiistica Missa, satisfactioneq; sue pro peccatis instituant.

Superstitiosi ri-  
tus in priore  
Paschali hebdo-  
made obserua-  
ti.

Etsi verò hæc, quæ hucusq; commemorauimus, superstitiosè satis ab aliquibus progressu temporis obseruata sint, ludum tamen iocumq; dixeris fuisse præ ijs quæ postea sequuta sunt: quæ etiam, quia in genere hæctenus de obseruatione huius septimanae diximus, nunc in specie referemus, enumerando dies eius festos, quæq; in ijs fieri sint solita.

De Dominica in RAMIS PALMARVM.

Festi huius no-  
mina.

Festi huius an-  
tiquitas.

**D**ominica proxima ante Paschæ diem, secundum vulgi consuetudinem, Pascha floridum dicitur: Durand. Rat. lib. 7. cap. 1. Appellatur etiam Dominica in Ramis palmarum. Caruit autem istis nominibus longo tempore. Vnde credibile est, sequentibus aliquot seculis post natum Christum, nomen cum superstitione incæpisse demum. Mentio eius primùm fit circa



fit circa annum Domini 455. Nam Dominica in Ramis palmarum titulum, sed eum planè nudum habet quædam homilia Maximi Taurinensis, qui circa hæc tempora vixit: in qua illud tantum ex Psalmo 21. Deus Deus respice in me, &c. tractat: festi ne verbulo quidem meminit. Unde etiam titulus ille non immeritò diu post additus iudicari debet. Meminit deinde eius Paulus Diaconus lib. 23. Rom. rerum circa annum 800. In Constitutione autem ea de Festis Caroli M. quæ extat lib. 1. cap. 158. nulla eius fit mentio profus. Quocirca mirandum est, quâ auctoritate, imò quâ audaciâ Polydorus Dominicam palmarum, sicut & alios dies festos multos, qui diu post Apostolorum tempora demùm festivi habiti sunt, ab Apostolis institutos & ordinatos esse dicere ausit lib. 6. de Inuent. cap. 8.

Appellatur autem hæc Dominica istis nominibus, propter Processiones, quibus diem hunc Gregorium M. honorasse Balæus Cent. 1. & Valer. Anselmus Rydreferunt, & supersticiosam ceremoniam, quâ in illa vtuntur. Eam eleganter his versibus describit Thomas Naogeorgus lib. 4. regni Papistici:

Ceremoniæ  
huius festi

Hinc venit alma dies, quâ Christus creditur urbem  
Ingressus Solymam, dorso gestatus aselli:  
Tum ridenda iterum faciunt spectacula Papistæ,  
Insigni valde pompâ, facieq; seuerâ.  
Ligneum habent asinum, & simula chrum equitantis in illo  
Ingens: at verò tabulâ consistit asellus:  
Quatuor atq; rotis trahitur, quem manè paratum  
Ante fores templi statuunt: populus venit omnis,  
Arboreos portans ramos, salicesq; virentes,  
Quos tempestates contra, cœliq; iragorem  
Adiurat pastor, multo grandiq; precatu.  
Mox querno sese coram prosternit asello,  
Sacrificus longâ quem virgâ percutit alter.  
Postquam surrexit, grandes de corte scholarum  
Se duo prosternunt itidem mirabili amictu,  
Cantuq; absurdo: qui vt surrexere, in acernum  
Protendunt equitem digitos, monstrantq; canentes:  
Hunc esse illum, qui quondam venturus in orbem  
Credientem Israel, à iure redemerit Orci,  
Cuiq; viam ramis turba exornârît oliuæ.  
His decantatis, ramos dehinc protinus omnes  
Coniiciunt partim in simulachrû, partim in asellum,  
Cuius & ante pedes magnus cum ulatur aceruus.  
Post hæc in templum trahitur, præeuntibus vnctis,  
Consequitur populus, quamuis certamine magno  
Quisq; legat iactas asini ad vestigia frondes:  
Falsò etenim summis præsertim viribus illas  
Contra hyemes pollere putant, & fulmina dira.  
Impia nonne hæc sunt: ita nonne idola coluntur?  
Vidi ego cordatos reges, sed ritibus istis  
Imbutos, genibus flexis procumbere coram  
Talibus idolis, summumq; impendere cultum.  
Est vbi nummati ciues, vulgoq; verendi,  
Non paucis redimunt nummis sibi iura trahendi  
Huc illuc asini, atq; vtuntur heriliter illis,  
Non permittentes alium contingere quenquam.  
Quippe putant magnum se Christo impendere honorem;

K



DE ORIGINE FESTORVM

Mireq̄ acceptos illi, & permulta mereri.  
 Si quis & hos asinos putet, haud errauerit hercle.  
 Talia cum faciant vncti, populusq̄ tributim  
 Illicō sectantur pueri post prandia: certum  
 Dicitur ædituo pretium, damnumq̄ cauetur,  
 Assumuntq̄ asinum, & per vicos atq̄ plateas  
 Carmina cantantes quædam notissima raptant:  
 Quis nummi à populo, vel panes dantur, & oua.  
 Prædæ huius partem ludi præstare magistro  
 Coguntur mediam, ne exors sit solus aselli.

*Fiunt autem hæc & similia multa ab ipsis, non sine infidelium scandalo maximo. Vnde de legatis Turcicis Cracouiam venientibus referunt, cum honoris gratiâ adhibiti essent pompæ huic in die Palmarum, & vidissent sacerdotes ac principes viros flexis genibus procidere ante asinum, qui circumducebatur, quòd eleuatis manibus in publico exclamârint: ô quanta impietas & dedecus est, adorare asinum.*

*In hac Dominica quoq̄ Imperatores Constantinopolitani tam militibus, quàm alijs in diuersis constitutis officijs, numismata aurea, pro cuiusq̄ dignitate & officio, olim erogabant, hoc modo. Erat appositæ decem cubitorum longitudinis, ac quatuor longitudinis mensa, quæ numismata loculis congregata, prout cuiq̄ dabatur, numeris extrinsecus in loculis scriptis retinebat. Ingrediebantur deniq̄ ad Imperatorem non confuse, sed ordinatim, secundum vocantis vocem, quæ scripta virorum nomina secundum officij dignitatem recitabat. Quorum primus vocabatur Rector domus, cui non in manibus, sed in humeris ponebantur numismata cum scaramangis quatuor. Post hunc domestici, Ascalona & de Longaristis ploæ dicebantur: quorum alter militibus, nauigantibus præerat alter. Hi itaque parvi numeri, quia dignitas par fuit, numismata & scaramanga suscipientes, præ multitudine non iam in humeris portabant, sed adiuantibus alijs post se cum labore traherent. Post hos admittebantur magistri numero 24, quibus erogabantur aureorum libra, vnicuiq̄ secundum eundem numerum 24, cum scaramangis duobus. Patritiorum deinde ordo hos pone sequebatur, & 12, numismatum libra, cum scaramanga vna donabatur. Turba post hos immensa vocabatur, protospatariorum, spatariorum, candidatorum, & id genus clientum. Luitprandus lib. 6. cap. 5.*

**XXIX.** **EUSTACHIVS** (quem Pet. de Natalibus & alij Eustasium nominant) abbas fuit Luxouienensis monasterij, discipulus Columbani, & sexcentorum fere monachorum pater circa Maurij & Phocæ Imp. tempora. Certamen ei fuit de ceremonijs nouis et superstiosis Benedictinorū monachorum, cum Agrestino Aquileiensi & Apillino Genuensi Episcopis. Ac conuocata est eam ob causam synodus à Lothario Francorum rege in Matisconensi vrbe. Reprehendit autem Agrestinus, quòd monachi Eustachij cochleam lambentes, signo crucis signarent, & Missarum solennia multiplicatione Orationum & Collectarum celebrarent, capitulq̄ comam præciderent. Quæ omnia Eustachius friuolis rationibus defendit. Mortuus est autem 4. Cal. April. Liber de Vita eius, tomo 3. Bedæ, & Petrus de Natal. lib. 4. cap. 11.

**XXX.** **GUIDO** abbas fuit Pomposiani cœnobij Rauenna, mortuusq̄ est Parma 3. Calend. April. anno 1046. Eius corpus primò Henrici III. Imp. iussu Verona in S. Zenonis ecclesiam repositum, deinde verò circa annos 1047. Spiram in ecclesiam collegiatam translatum fuit, quæ tunc à D. Ioanne Euangelista nomen habuit, ab hoc verò tempore Guidonis appellationem obtinuit. Surius.

**XXXI.** **BALBINA** filia fuit Quirini tribuni Rom. quæ liberata ab Alexandro Papa à struma, cum patre in Christum credidit, moriturq̄ pridie Calend. April. A strumosis in Papatu inuocatur.

APRILIS



CHRISTIANORVM.  
APRILIS.

56

FESTA ET MEMORIE SANCTORVM QVÆ  
mense APRILI celebrantur à Christianis.

DE QVINTA FERIA Dominicæ in Ramis  
palmarum, quæ etiam FESTVM DO-  
MINICÆ COENÆ dicitur.

**A**PVD vetustiores auctores festi Ferie quintæ, seu Coenæ Domini peculiaris Festi huius origo. mentio nulla fit, sed comprehensum fuit illud sub sex vel septem illis festis diebus, qui omnes antiquitus eâ ratione celebrati sunt, vt antea ostendimus, non vt sequentibus seculis fieri cœpit. Cùm verò illi omnes non vbiq; festi amplius haberentur, peculiaris solennitas facta est hac FERIA Quinta huius septimanæ. Polydorus ait, diem Coenæ Dominicæ ab Apostolis institutum, sed id sine omni autoritate ac ratione facit. Liber Pontificalis testatur, Leonem II. Papam (circa annos 682.) præcepisse, vt festum Dominicæ Coenæ in Aprili obseruetur.

Duæ autem fortasse causæ fuerunt, ob quas posterioribus temporibus dies hic reliquis hebdomadæ huius celebrior haberi cœpit, pluresq; subinde in eius obseruatione superstitiones exortæ sunt. Constitutio Syluestri Papæ, quæ decreuit, quintũ diem hebdomadæ per vniuersum annum, vt diem Dominicum celebrandum, sicut refert Antoninus tit. 9. cap. 1. §. 1. Deinde quòd Christus hoc die ecclesie suæ Cœnam sacram instituisse dicitur, vnde & nomen habet apud aliquos.

Vocatur etiam ab aliquibus Capitulauium dies hic: quia tunc multis in locis capita infantum, qui vngendi sunt, lauabantur, vt Durandus refert in Ration. lib. 6. cap. 76. Quiritus ex veteris ecclesie consuetudine fortasse ortus est: nam ex Augustini epistola 118. apparet, mortis iam ante sua tempora fuisse, vt baptizandi hoc die lauacro aliquo mundarentur: cuius etiam aliquam ibi rationem reddit.

Germani quidam, & præsertim Heluetij vocant den Hohendonnerstag: quia inter omnes ferias quintas per annum nulla alia hæc est solennior & celebrior. Vnde etiam Durandus in Ration. lib. 6. cap. 75. refert, festum hoc omnia alia excellere, excepto Trinitatis festo. Alij nominant den Grünendonnerstag.

Est autem in veteri ecclesia hoc die Cœna tantum Dominica celebrata sit, & paucula quedam alie ceremonie obseruatæ, progressu tamen temporis multæ, variæ & non dissimulandæ superstitiones in eo exerceri cœperunt tanto studio, ac si religio Christiana omnis in ijs consisteret. Nam hoc die, & sequentibus duobus vsq; ad Pascha, campanas non pulsant, ad declarandam suam tristitiam & mœrorem: dant tamen signum cum tabula. Durandi Rational. libro 6. capite 72.

Deinde pœnitentes primò in ecclesiam introducuntur, qui initio ieiunij Quadragesimalis de ea fuerant eiecti. Hoc Innocentius 1. confirmavit epist. 1. ad Decentium, c. 7. circa annos Christi 410. De pœnitentibus, inquit, qui siue ex grauioribus commissis, siue ex leuioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interueniat egritudo, quintâ feriâ ante Pascha eis remittendum Ecclesie Romanæ consuetudo demonstrat. Cæterum de pondere æstimo delictorũ, sacerdotis est iudicare, vt attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus, atq; lachrymas corrigentis: ac tunc iubere dimitti, cùm viderit congruam satisfactionem. Sanè si quis in ægritudinem inciderit, atq; vsq; ad desperationem deuenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de seculo absq; communionem discedat. De Consecr. dist. 3. c. De pœnitentibus.

Baptizandi quoq; hac die symbolum fidei, quod didicerunt, vel Episcopo vel Presbytero recitabant olim, ex Constitutione Concilij Laodicensis, c. 46. Idem etiam Decretum fuit in Concilio Marini Bracharensis, c. 49. dist. 4. de Consecr. Et confirmatur in vniuersali Concilio Constantinop. 6. in Trullo habito.

Causæ huius festi & ceremoniarum eius.

Festum hoc eue Capitulauium dicitur.

Hohendonnerstag & Grünendonnerstag.

Superstitiones huius festi.

24

33

K 2



DE ORIGINE FESTORVM

4. Et quia in Papatu duobus sequentibus diebus, Parasceue nimirum & Sabbatho sancto, conficitur corpus Christi, ideò Innocentius III. Papa statuit, hac etiam die corpus Christi sub specie panis reseruari, ut infirmi & irreligiosi, quibus est apud ipsos necessitas communicandi, habeant ipsum, & propter officium adimplendum. Sanguis verò non seruatur sub specie vini. Durandi Ration. libro 6. capite 75. Et Romanus Pontifex hodiè remorà tabulà Lateranensis altaris, infra ipsum altare conficit Eucharistiam & sanguinem, & cum thuribulo incensat illud: hoc facto representans summum Pontificem veteris Testamenti, qui semel in anno ingrediebatur in sancta sanctorum cum sanguine, secum portans thuribulum viuis carbonibus plenum. Durandus ibidem. Tripartitum quoq; oleum consecratur, scilicet oleum infirmorum, Chrisma- tis, & sancti quod est Catechumenorum: Durandi Ration. lib. 6. cap. 74.

5. Et Fabianus quidem Papa statuit, die Cœna Dominica singulis annis debere confici & con- secrari Chrisma, & vetus comburi.

6. Excommunicantur etiam hoc die Romæ in Missa omnes à Romana Ecclesia dissentientes, his verbis: Excommunicamus & anathematizamus, ex parte omnipotentis Dei ac nostra, quoscunque Hussitas, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, Hugenos, ac eorum credentes, ipsorumq; receptores & fautores, ac ge- neraliter quoslibet eorum defensores, ac legentes eorundem libros sine autho- ritate nostra: Et eos, qui se à nostra obedientia pertinaciter subtrahunt vel recedunt.

7. Hoc etiam die actionem illam, quâ Christus legitur discipulis pedes lauasse, aliquâ ex- ternâ actione Pontifex Romanus stultâ quadam amulatione representare conatur. Nam in quadam aula sunt ordinati tredecim pauperes in albis vestibus nouis à Pontifice sibi datis, & sedent in scamnis altis beneq; ornatis: Credentia ornata est cum floribus & herbis odori- feris, vasis cum aqua calida, & frigida, ac rebus alijs opportunis, videlicet peluibus trede- cim cum totidem vasis aquâ calidâ implendis: item tredecim mappulis in alio bacilli. Item aurei Papales tredecim duplices, siue viginti simplices, & totidem nummi argentei pro e- lemofyna pauperum. Nam Papa dat cuilibet pauperum vnum aureum duplicem, vel duos simplices, & totidem argenteos, & hi in aliquo vase disponuntur, duo vasa pro lauandis manibus Papæ cum suo mantili. Paratur quoque pulpitum cum suo pallio albo pro Euangelio, & liber Euangeliorum, ac aliud pulpitum pro cantoribus: duo candelabra cum luminaribus, thuribulum cum nauicella, & incenso, quæ Acoluthi teneant, sedes Pontificalis in plano, pluuiiale rubrum, & simplex, & stola violacea pro Pontifice, & liber pro Oratione. Cum Papa peruenit ad hunc locum, exiit pluuiiale preciosum, & induit simplex, & sedet in se- de sua cum simplici mitra. Tunc Acoluthus cum thuribulo accedit, & ministrante primo presbytero Cardinali, vel digniore alio post eum in eius absentia, Papa imponit incensum more consueto: deinde Diaconus Cardinalis paratus sacris vestibus, librum tenens ante pe- ctus, stans ante Pontificem delecto & inclinato capite, petit benedictionem, dicens: Iube Do- mine benedicere. Deinde vadit ad pulpitum, post quod stat Subdiaconus Apostolicus, tunicel- lâ & alijs paramentis indutus, tenens librum more solito. Et Diaconus dicit, Dominus vobi- scum, signat, incensat & cantat Euangelium: quo finito ceroferarij reuertuntur ad credenti- am, & clerici capelle amouent pulpitum. Subdiaconus autem portat librum osculandum Pontifici, & Diaconus qui Euangelium dixit, illo finito Papam incensat: Cantores cantant, Mandatum nouum. Papa tunc surgit, extrahitur ei pluuiiale, & portatur ex credentia linte- um per auditorem senioreminore auditore ipsum precedente, quo Papa per Cardinales as- sistentes præcingitur, & præcinctus descendit, & genuflexus cum mitra simplici ante primum pauperem, assistentibus sibi duobus Diaconis Cardinalibus, lauat ei pedem dextrum, quem Sub- diaconus tunicellâ, indutus à dextris Papæ genuflexus tenet. Vnus ex cubicularijs (nam per ordinem veniunt vnus post alium cum pelui & aqua) ad sinistram Papæ genuflexus, sinistrâ suâ vas tenet, & dextrâ ex aquiminario aquam tepidam miscet: locum pedem Papæ statim

Stulta æmula-  
tio Christi in la-  
uatione pedum  
Apost.



statim mantili tergit, osculatur. *Theſaurarius*, vel in eius absentia vnus ex clericis camera tenet peluim cum pecunijs. & alius ex clericis vas cum mappulis, & cum Papa osculatus est pedem, dat lauato mappulam cum qua eum exersit, & aureum duplicem, vel duos simplices, cum tot argenteis. Idem facit successiue singulis & pro singulis portantur per alios cubicularios singula vasa. Lotis omnibus Papa reuertitur ad sedem suam, sedetq; & lauat manus suas, &c. sicuti habetur lib. 2. *Ceremoniarum Rom. ecclesie*. His peractis, *Cardinales*, *Episcopos* atq; alios conuiuio excipit Papa, adeoq; magnifice tractat, vt cum priscis illis *Ethnicorum Pontificalibus*, auguralibusq; spulis, de quibus *Macrobius* libro 3. *Saturnal. cap. 13.* merito comparandum esse videatur.

Eadem ceremonia vsitata est in multis quoq; *monasterijs*. Horum exemplum imitantur etiam nonnulli *seculares Principes & Monarche*. Sic *Rex Gallie* hoc die mendicis 12. spulum lautum prebet, illorum pedes lauat, illis vna cum aulicis suis ministrat, primum ferculum ipsemet apponit, & singulis apophoreti loco dat vestem.

Excant ritus huius vestigia quedam in veteri ecclesia, vt ex epistola 119. *D. Augustini ad Ianuarium* satis clare intelligitur: in multis tamen ecclesijs minimè hanc fuisse vsitatum obseruationem idem expresse eo loco indicat. Voluit enim *Christus* exemplo suo perpetuum humilitatis & charitatis studium nobis commendare, non scenicum quendam, ne dicam ridiculum ludum in sua ecclesia institueret, quo religio *Christiana* *Iudaeis & Turcis* ludibrio & risui exponeretur. Verum leuiculum hoc fortasse esset, nisi insuper quoque in hac actione meritum salutis constituerent, & simul *Christum* sua gloria spoliarent. Vbi enim *Clerus Romanus*, & *Babylonice meretricis amasij* bellis iniquis & minimè necessarijs totum orbem turbauerunt, incendijs & rapinis omnia fœdarunt, & omnes propemodum terræ angulos sanguine *Christiano* repluerunt: tum se omni pietatis officio probe defunctos arbitrantur, si hac die ludum huiusmodi instituant. Quasi verò hoc tam leui officio immanissima flagitia & scelera, quæ contra charitatis & innocentie *Christiane* leges designarunt, expiari possint.

Pontificalis Cœnæ in feria quinta hebdomadæ magnæ, seu in die Cœnæ Dominicæ descriptio.

**H**is ita peractis, *Cardinales*, *Episcopos* atq; alios hoc ipso die vt diximus, conuiuio excipit Papa, eosque lautissime magnificentissimeq; tractat. Eius descriptio in libris *Ceremoniarum Romanorum* talis existat.

Parabitur aula conuiuij aulæis, & pannis sericeis, aureisque pro temporis & loci conditione. In capite aulæ erit suggestus, ad quem triplici gradu ascendetur, longus pro latitudine aulæ: in medio surget quadratus thalamus palmi altitudine, super quo mensa paratur Pontificis: apud parietem erit sedes Papalis, ad quam paruo, & deinde magno scabello ascendetur: ornabitur sedes cum panno aureo pendente supra caput. Mensa erit alta ad iustam proportionem sedentis à sinistra super suggestum. Parabitur alia mensa pro credentia Papæ, cum vasis aureis & argenteis vino & aquâ, & alijs consuetis. Credentiâ appellant mensam, supra quam vasa argentea siue aurea ad conuiuium oportuna præparantur. Et similiter in diuinis, supra quam ad sacrificandum necessaria continentur. A dextra parte aulæ, infra suggestum parabuntur mensæ pro *Episcopis & Presbyteris Cardinalibus*: & paulo inferius pro alijs *Prælati*: & pro *Cardinalibus* erunt aliquanto altiores, & sedilia habebunt gradum vnum super quem tenebunt pedes *Cardinales*. A sinistra è regione mensæ, *Cardinalium* parabitur mensa pro *Diaconis Cardinalibus* eiusdem altitudinis & eum gradu. Et inferius alia mensa pro *oratoribus*, *nobilibus*, & *officialibus*: in fine aulæ, vel in aula præcedente, si erit commoda, parabitur magna credentia cum pluribus gradibus ad magnificentiam: & alia super longam mensam cum vasis, quibus in communi vtitur.

8.

Aulæ apparatus.

Mensa P. pæ.

Credentia Papæ.

Mensæ Cardinalium.

Mensa oratorum, nobilium.

Credentia Imperatoris sedes.

K 3



DE ORIGINE FESTORVM

Si huic conuiuio interesset Imperator, alia paratur pro eo sedes ad dextram Pontificis, & mensa super plano suggesta, super quam solus comedit Imperator. Sedes habebit scabellum paruum viride, & erit ornata panno adreo, non tamen habebit pendentem supra caput. Similiter parabitur pro eo credentia iuxta credentiam Papæ à sinistris & ibi erunt familiares Imperatoris pro suo seruitio. Si verò adesset Rex aliquis, paratur credentia pro eo paulò remotior ab ea. Sedes verò nulla paratur: quia sedet in mensa post primum Episcopum Cardinalem. Imperator siue Rex, habebunt tot seruitores, quot eis opportunum videbitur. Cardinalibus verò singulis sufficiunt quaterni ministri, quorum vnus vinum propinet, alter carnes concidet, alter de cultello fercula inferat, quartus prægustet vinum & aquam, & alia subministret Pontifici seruire solent nobiliores, qui sunt in curia Laici, etiam si sint Fratres, aut filij Regum, præsertim in illorum præsentia.

Pontifex igitur cum paramentis Pontificalibus, si celebrauit illa die vsq; ad Dalmaticam inclusiuè, & cum sandalijs indutus supra Dalmaticam manto rubro aperto à parte anteriori, & mitram habens in capite supra fauonem, medius inter Diaconos ducitur ad mensam. Cardinales & Prælati omnes habent super pelliceam super rochetum, siue super vestes sui Ordinis, si sint religiosi & mitram albam in capite supra pelliceam. Cardinales & Prælati seculares habent mantellum sine cauda apertum à parte ante violacei siue obscuri. Religiosi verò coloris sui Ordinis, sed eodem modo apertum, Ceteri omnes in suo habitu quotidiano Aderunt familiares Pontificis & alij seruitores in copia. Aderunt etiam seruientes armorum bene ornati, cum suis baculis argenteis, qui præire debent ante portantes fercula, & remouere multitudinem à via.

Magister sacri hospitij, & magister domùs prouideant in tempore de modo & ordine ferculorum, de seruitoribus, qui priùs & qui posteriùs, & quod quælibet mensa habeat præfectos suos, quæ verò priùs, quæ deinceps, & per quos ferenda, & sic de alijs rebus opportunis. Pontifex remotà priùs mensà, ad partem, sedeat in Sede cum mitra, & mantum post collum apertum, vt nihil ante pectus dependat. Cardinales, Principes & Prælati, & alij conuiuæ stent ante mensas paratas. Nobilior laicus, etiam Imperator aut Rex, aquam ad lauandas Pontificis manus, primò ferat hoc ordine. Magister sacri officij cum Clerico ceremoniarum, quem adesse oportet in ordinandis his rebus omnibus, cum seruiantibus armorum, et si Imperator aut Rex, aquam ferre debet cum aliquibus etiam Principibus societatis Imperatorem aut Regem ad credentiam ducit. Si est nobilis inferior: solus erit, & in credentia aqua priùs à ministris probatam accipit in peluibus, fertq; consuetis ceremonijs ad Pontificem, præeunte vno ex auditoribus cum mantili ad tergendum manus. Prior Episcoporum, Cardinalium, & duo Diaconi assistentes, depositis in manibus Seruitorum mantellis & mitris, sic in rochetto seruiunt Papæ dum lauat, Episcopus aquam cum portante infundendo: & Diaconi mantile, quod ab auditore acceperant, hinc inde tenendo. Dum Papa lauat manus, Prælati & Laici omnes genu flectunt, Cardinales & Prælati stant capite detecto. Cum Papa lauerit reapertatur mensa ante eum & tres Cardinales, qui illi seruiant, capiunt suos mantellos & mitras, & vadunt ad loca sua, & Imperator apud sedem suam primo stans lauetur suis ceremonijs: deinde domini Cardinales lauentur stantes ante mensam cum mitris in capite, post eos lauentur Prælati stantes sine mitris, & seculares (si qui sunt) detectis capitibus.

Stabunt ante mensas lauantes eo ordine, quo sedere debent in mensa. Prior Episcoporum in capite ad dextram: si aderit Rex aliquis in secundo loco, si plures Reges, mixti erunt cum primis Cardinalibus: Primo Cardinalis, deinde Rex successiuè. Si erunt mixtim Principes, aut filij, vel fratres Regum, Si non seruiunt Papæ,

Sedes Regum  
nulla.

Ministri Pontificis.

Cardinalium  
vestitus.

Magister sacri  
hospitij & eius  
officium.

Pontificis habi-  
tus.

Magnum ablu-  
tio.

Conuiuorum  
ordo.

Papæ,



Papæ, debent sedere inter Diaconos Cardinales, vel post eos pro eorum dignitate & conditione. Primogenitus autem Regis quia Rex futurus putatur, post primum Presbyterum Cardinalem erit. Sed nullo modo inter Episcopos. Et hoc tam in conuiujs, quam alijs publicis actibus: quamuis nostro tempore aliquorum siue ambitione siue ignorantia aliquando sit seruatum contrarium. Consueuerunt antiqui ponere Patriarchas quatuor Ecclesiarum principalium inter Episcopos, & Cardinales mixtim, nostro tempore ponuntur immediate post Cardinales. Deinde assistentes Papæ, tum Oratores, Prælati, inde Archiepiscopi, Episcopi, Proto-notarij, Abbates, Subdiaconi, Auditores, Clerici cameræ Acolithi. Ad sinistrâ verò erunt, & cum eis Principes, quos prius diximus (si aderunt) post eos aut si præsentis erunt, & alijs principes inferiores, illi tamē, qui solēt præcedere Oratores Regum. Deinde erunt Oratores laici, & non Prælati, & cum eis Senator, & tres Conseruatores vrbs. De alijs autē nō laicis, qui sunt extraordinarij, nihil ponimus, nam admitti solent ad voluntatem Pontificis, & non ordinariē.

Aduertat tamen magister domūs, vt prius cum Clerico cæremoniarum ponat in scripturis nomina, & ordinem inuicatorum ad conuiuium, & maximē laicorum: & si quæ sunt contentiones de præsentia componantur prius: quod si ibi orirentur, si nolunt componi, ambo contendentes honestē iubeantur exire, si tamen esset colorata contentionis causa, & non temeraria quia tunc solus temerarius eijciendus esset.

Conuiuiarum  
nomina & or-  
do in libello.

Quod autem de Imperatore dicimus, intelligimus de Imperatore Romanorum, non autem Græcorum, nam ille vt rex tractatur. Poterunt lauare post primos plures eodē tempore. Postquā omnes lauauerunt, Pontifex benedicit mensam, stans sine mitra: & tunc Diaconi assistunt; finitā benedictione sedet, imponitur mitra & Diaconi vadunt ad loca sua.

Sedentibus omnibus ordine quo steterant, portantur fercula. Primum ferculum portabit nobilior princeps, siue Imperator, siue Rex sit. Secundum alius dignior post eū, & sic successiuē et si erūt ex illis, qui debeant sedere in mensa portato ferculo, sedeant in loco suo. Et notandū quod Imperator, Rex seu maximus Princeps capit ferculum, quod portare debet ad Pontificem, extra portam aulae conuiuij ab aliquo familiari Pontificis illuc apportatum. Alij inferiores pro ferculo ad coquinam vadunt: magister sacri hospitij & magister domūs baculos in manibus tenentes, & in habitu sibi condecienti deducunt, portantes fercula, quæ quidem fercula ad Pontificem, & Imperatorem tantū cooperta portari debent: alijs autem, etiam Regibus detecta, & similiter vinum: possunt tamen portari & debent maximē principibus vsq; ad aulam conuiuij, & deinde, antequā appareant in conspectu Papæ, detegi. Item in præsentia Pontificis nulli omnino fit publicē prægustatio, nisi ipsi Pontifici, & Imperatori tantum: pro Rege autem aut maximo principe poterit fieri à suis, si voluerint in credentia, vel vbi capiunt fercula. Pro Pontifice, & Imperatore fiunt ibi vbi capiuntur à dantibus, in mensa à portante, & de omnibus rebus. Cū primū conuiuium incipietur in loco conuenienti ponatur pulpitem: & Diaconus, siue Capellanus Papæ aliquid de sacra Scriptura leget vsq; in finem conuiuij. Interim cum silentio, & sine strepitu omnia administrantur quā diligentissimē. Cum Pontifex biberit, consueuerunt omnes astantes præter Episcopos, & superioris dignitatis viros genu flectere, quod seruari nostris temporibus vidimus, quamuis in nullo cæremoniarum libro id legerimus. Epulis abundē subministratis, fit secunda lotio manuum, & tunc secundus nobilis laicus portat aquam consuetis cæremonijs. Prior Episcoporum Cardinalium, & duo Diaconi dimissis mantellis, & mitris, vt supra seruiunt. Deinde reuertuntur ad loca sua: lauantur & alijs ordine suo, quo supra sedentes tamen, & dum

Ferculorum  
appositio.

Prægustatio

Lectiones.

Manuum lotio



Cardinales lauant, vnus seruit alteri de mantili, illud explicando, & tenendo dum alius lauat, et sic successiue. Ponuntur deinde vinum et confectiones, siue species, vt habent antiqui codices: & demum finito conuiuio lector dicit: Tu autem Domine miserere nobis: nisi sit in Cœna Domini: quia tunc non profertur: Tunc autem surgit Pontifex sine mitra, assistunt ei Diaconi & redduntur gratiæ, vt in ordinario. Omnibus completis reducitur Pontifex ad cameram suam, & alij ad propria diuertuntur.

Si autem solenne conuiuium huiusmodi fiet in die, quo Pontifex sacra publice non celebrauerit, omnia, vt prædicta sunt, seruabuntur nisi de sacris vestibus: Papa indutus amictu, albâ longâ, cingulo, stolâ pretiosâ, & manto rubro cum paruo caputio subtus: siue, si calores erunt, sine manto cum caputio tantum ducetur ad mensam. Cardinales & Prælati erunt in mantellis consuetis sine superpellicijs & sine mitris: alia omnia, vt supra. Aduertendum tamen, quod nunquam in conuiuio Pontificis admittuntur mulieres, etiam si Imperatrix, Regina vel Pontificis consanguinea esset.

Cœna Pontificalis ex Echinisismo desumpta.

*Hæc prorsus fiunt ad Ethnicorum imitationem: Apud Rom. enim magnificentissima splendidissimaq; olim fuerunt conuiuia pontificalia atq; auguralia. Ac pontificalis quidem cœnæ vetustissima omniq; lautitiarum genere instructissima descriptione habes apud Macrobi- um lib. 3. Saturn. cap. 13. huiusmodi: Accipite, inquit, inter grauissimas personas non de- fuisse luxuriam. Refero enim Pontificis vetustissimam cœnam, quæ scripta est in indice quarto Metelli illius Pontificis maximi in hæc verba. Ante diem nonam Calendas Septembris, quo die Lentulus flamen Martialis inauguratus est, domus ornata fuit. Triclinia lectis eburneis strata fuerunt. Duobus triclinijs pontifices cubuerunt. Quint. Catulus, M. Æmilius, Lepidus D. Syllanus, (Cæsar rex sacro- rum, P. Scauola Sextus, Quint. Cornelius, P. Volumnius, P. Albinouanus & L. Iulius Cæsar augur, qui eum inaugurauit. In tertio triclinio Popilia. Perpennia, Licinia, Aruncia Vestales virgines, & ipsius vxor Publicia flaminica, & Sem- pronia socrus eius. Cœna hæc fuit. Ante cœnam echinos, ostreas crudas, quan- tum vellent, peloridas, spondylos, turdum, aspargos, subtus gallinam altilem, pa- tinam ostrearum, pelloridum, balanos nigros, balanos albos. Iterum spondylos, glycomaridas, vrticas, ficedulas, lumbos capragines, aprugnos, altilia ex farina inuoluta, ficedulas, murices & purpuras. In Cœna, sumina, sinciput aprugnum, patinam piscium, patinam suminis, anates, querquedulas elixas, lepores, alulia as- fa, amyllum, panes picentes. Vbi luxuria tunc accusarentur, quando tot rebus far- ta fuit cœna Pontificum?*

Cœna augura- lis.

*Cœnam Pontificalem bis in anno dari solitam fuisse legimus, nimirum nono Calend. Augu- sti & 13. Calend. Nouemb. teste Laxio. Cœnæ quoq; auguralis quam Quint. Hortensius parauit, magnificæ seu potius luxuriôsæ crebra fit à scriptoribus mentio, quam Plinius lib. 10. cap. 10. cœ- nam dapalem (nonnulli legunt ædicialem) sacerdotij appellat, quam dabant capescentes sacer- dotium. Varro auguralem dapalem cœnam appellat, in qua Hortensium primum pauones (id quod antea factum non est) posuisse Varro & Plinius testantur. Hoc, inquit Euangelus apud Macrobi- um, potius factum tum luxuriôsè, quàm seuerè boni viri laudabant. Quem citò secuti multi extulerunt eorum pretia, vt oua eorum denarijs veneant quiuis, ipsi facillè quinquagenis, &c. Vide ibidem plura de monstrosa Oratoris istius luxuria. Hu- ius cœnæ Cicero meminit lib. 7. Epist. ad Gallum: in eos cum incidissem in cœna augu- rali apud Lentulum. Plura de hac re scribit Varro lib. 3. de re rustica. Hæ Pontificales, auguralesq; cœnæ, quoniam valde sumptuosæ, luxuriôsæq; fuerunt, hinc factum est, vt pro urbij loco pro quibusuis luxuriôsæ magnificiæq; cœnis o u u e n d o x u u o s crebro apud auctores vsurpan- tur, Horat. Ode 14.*

Absumet hæres Cæcubâ dignior

Pontia



Seruata centum clauibus & mero  
Tinget pavimentum superbo  
Pontificum potiore cœnis.

Hoc est,

vino meliore, quam quod adhibetur in Cœnis Pontificijs, quæ solent esse magnificentiſſimæ atq; apparatusſimæ ὕπερβολικῶς dictum. Ex hoc ergo loco, vt interpres admonet, apparet prælaudas cœnas prouerbio pontificales appellari solitas. Ab eo quod scripsit Horatius, inquit Erasmus in suis Adagijs, non abhorret quod hæc tempestate apud Parisios vulgari loco vinum theologicum vocant, quod sit validissimum minimeq; dilutum. Et festiue admodum quidam huiusce prouerbij causam rogatus, respondit, à Iureconsultis occupari quas vocant præbendas, decanatus, & archidiaconatus theologis nihil reliquum fieri, præter curata, vt vocant sacerdotia. Cæterum quoniam de pastoribus scriptum est: *Peccata populi comedetis*, nimirum ad cibi tam duri concoctionem opus esse vino efficacissimo. Atq; hinc esse natum vulgi dictum. *Hæc ille*

Vinum theologicum.

*Salijs quoq;* (quod vetustissimum sacerdotum genus fuit apud Romanos sic dicti, quod *Anticylia*, quæ credebantur cælo delapsa, saltantes ferrent) quoniam opiparis lautisq; conuiujs fuerunt vsi, hinc opipatum quoduis magnificumque conuiuium *Saliare* dicitur Horatius in *Odis*.

Salijs.  
Cœnz saliaris

Nunc est bibendum, nunc pede libero  
Pulsanda tellus, nunc saliaribus  
Ornare puluinar Deorum,  
Tempus erat dapibus sodales.

Erasmus existimat Horati-

um saliares pro pontificiales dixisse, hoc est speciem pro genere.

*Linteam*, quo Dominum in vltima cœna Apostolorum extersisse pedes aiunt, die Cœna Dominica ostenditur à monachis Cassini. Chron. Cassinense lib. 2. cap. 24.

In Concilio Laodiceno 1. anno 368. celebrato, cap. 60. statuitur, Ne in quinta feria vltimæ hebdomadæ ieiuniū Quadragesimæ soluatur, sed vt per totos dies ieiunetur, & escis abstinentiæ conuenientibus, id est, aridioribus vtantur. Confirmatur in synodo Matisconensi 1. cap. 14. In Concilio autem Carthaginensi 3. anno 397. habito, cap. 29. sancitur, vt fideles semper ieiuni, nisi in hac quinta feria, communicent, tunc enim cœnatos id facere possent. Vnde apparet, Ieiunium ferie huius in aliquibus Concilijs mandatum, in alijs verò solutum fuisse.

10.

Ieiunium hoc die non soluedum.

In Concilio Aurelian. 3. cap. 29. sancitum fuit, Ne liceat Iudæis ab hoc die Cœnæ Dominicæ, vsq; in secundam sabbathi, hoc est, toto quadriduo, in publicum prodire, & Christianis vilo in loco misceri. Idem præcipitur in Matisconen. 1. synodo, habita circa annos 583.

11.

Nicolaus 1. Papa circa annos Christi 860. Gloria in excelsis Deo, ab Episcopis in Cœna Dominicæ festo ad Missam cantari mandauit. De Consecr. dist. 1. Tribemius de Scriptorijs illustribus, Durandus in Ration. lib. 6. cap. 75. hoc Bonifacio Papæ (sed quotus is fuerit non indicat) tribuit: addit etiam ibi, hoc fieri saltem in ijs ecclesijs, in quibus Chrisma conficiatur.

12.

Sub vespertinis eiusdem diei precibus, duo Acoluthi nigris induti casulis, omnia altaria suis spoliant ornamentis, operiunt ea lineis nigris tegumentis, afferunt coronas, velant imagines. Candelas etiam extinguunt, non tamen omnes simul, sed successiue: & nonnulli quidem singulas post singula cantica extinguunt. In quibusdā ecclesijs cereâ quâdam manu extinguuntur. Candelâ autem quæ in medio est, non extinguitur, sed in fenestra vel arca accensa seruatur occultè, vt candelâ rursus inde accendi possint. Cranzius in Metrop. lib. 3. cap. 10. Durandus in Ration. lib. 6. cap. 72.

13.

In plerisq; locis lauantur hoc die altaria vino & aquâ, & ramis fricantur, præsertim ramis de Iauina. Duran. Ration. lib. 6. cap. 76. Hoc ex gentilismo desumptum videtur: apud Ethnicos enim Lauatio matris Deum festum erat, in quo aquis, adiunctâ cineris frictione, sordes statuæ eius abluabantur. Arnobius lib. 7. contra gentes. In quibusdā etiam locis pavimentum ecclesiæ hoc die mundatur. Durandus ibidem.

14.



Noctu tumultus excitatur in templis, quem ita describit T. Naogeorgus lib. 4. Papistici regni.

Noctibus inde tribus nocturna ad cantica surgunt  
 Malleolis sumptis, saxisque, aut fustibus, omnes.  
 Omnia ubi paulatim extinguit lumina custos,  
 Sacrificiæq; altum rauco de gutture clamant.  
 Tum verò exoritur sæuus crudusq; tumultus:  
 Pulpita contundunt, & sedes, scamna, cathedras,  
 A furijs dicas agitari, & pneumate tristi  
 Bassaridum: multis clavis figuntur ad ipsas  
 Sedes, nonnulli lapidum exanimantur ab ictu.  
 Ast alij plagas referunt, aut vulnera, cæsi  
 Fustibus. His factæ possunt seruire tenebræ.  
 Omnium & æqualis funesti insania ritus.  
 Impius hinc probris multis laceratur Iudas,  
 Et Maria è tenebris puerorum voce citatur,  
 Ut sit propitia, & vitijs medeatur, & omni  
 Noxæ: conueniunt hæc festo scilicet illi.  
 Luminibus post hæc accensis, in cruce fixum  
 Idolum circumfertur: pendetq; lucerna  
 Illius è collo, turbæ quo nempe sequenti  
 Monstret iter. Nonne hæc sunt ludicra mira Papatûs?

Ludus hic aduentum Iudæ, & tumultum cohortis, quam cum gladijs & fustibus ad capiendum Christum noctu adduxit, representare debet. Durand. Ration. lib. 6. cap. 72. Ita apud Iudæos mense Adar legitur historia Hestera, in qua Amani quoties fit mentio, in synagogis pugnis & malleis pulsant scamna, Antonio Margaritâ baptizato Iudæo teste in libro de Ceremonijs Iudæorum.

HVGONIS Episcopi Gratianopolitani hæc etiam die celebratur memoria, Ordinis Carthusiensis auctoris et propagatoris strenui. Vincentius eū à castitate, orationibus, veritate, dilectione, humilitate, elemosynis, profusis lachrimis, contemplatione, tollerantia, iustitia, prudentia & temperantia magnificè commendat: si tamen ad sacra scripturæ regulam ea examinaueris, videbis hæc ouillam pellem præ se ferre, hypocritam autem superstitiosissimum tegere. Gratianopoli aliquoties Honorium & Innocentium de dimissione sollicitauit, sed quia ipsis visus fuit propugnator Antichristi acerrimus, impetrare non potuit. Vincentius lib. 27. cap. 8. & 12. Obijt anno 1132. Calend. April. Chron. Hirsaug.

II.

DE SEXTA FERIA post Dominicam in  
 Ramis, quæ PARASCEVE  
 etiam dicitur.

Parasceue & feria sexta non inuicem conuertuntur. Parasceue quid

Sextum diem septimanæ ἡμέραν ἑβδόμην & παρασκευὴν Iudæi appellarunt. Non tamen Parasceue & feria sexta conuertuntur inuicem, ut omnis Parasceue sit feria sexta, licet omnis feria sexta sit Parasceue: nam Parasceue generalius est, non enim significat solum feriam sextam hebdomadæ in qua præparantur à Iudæis ea quæ sunt necessaria pro sabbatho ritè celebrando: sed interdum etiam significat vigilam siue profestum cuiuscunq; alterius festi solennis, in quo ab omni opere seruili quiescendum est. Nihil enim aliud significat, si etymon vocis exprindas, quàm diem præparationis, ἡμέραν τὴν παρασκευῆς, quia in ea præparantur, quæ pro celebratæ cuiuscunq; festi sunt necessaria, in quamcunq; feriam festum inciderit: vnde Parasceue & Sabbathū correlatiua sunt. Christiani verò progressu temporis hoc nomen, quod est commune cuiilibet sextæ feriæ, ei quæ est proxima ante Pascha sextæ feriæ dicarunt, Durando teste



de teste lib. 7. Ration. lib. 1. Vnde & Rabanus lib. 3. cap. 37. de Cleric. institut. Parasceue, ait, est sexta sabbathi, quâ Christus in cruce mortuus est.

Inter celebriores autem Christianorum festiuitates Origenes lib. 8. contra Celsum, etiam Parasceuen Pascha numerat. Credibile igitur, hunc diem ante Pascha propter passionem & mortem Domini statim à temporibus Apostolorum solennem fuisse, quem postea constitutio Constantini M. adhuc celebriorem fecit, quâ mandauit, vt is dies, qui sabbatum antecedit, festus esset, & omnes eum venerarentur, ob rerum earum memoriam, quæ eo die à communi omnium Seruatore gesta fuissent, Eusebio teste lib. 4. de Vita Constantini, & Sozomeno lib. 1. cap. 8.

Parasceue Pascha quando se  
leannis haberi  
cepit.

Meminit huius festiuitatis etiam Chrysostomus in Homilia de Cruce & latrone Tomo 2. pag. 108. Frobeniana editionis. Quæ autem Chrysostomus ibi de Cruce, hoc est, de Passione & morte Christi dicit, illa omnia Gretscherus Iesuita in libro suo de S. Cruce cap. 58. pag. 173. ad ipsum Crucis lignum contra conscientiam suam ineptissime transfert: & ex ijs probare conatur, Chrysostomum Parasceuen inter festas Crucis lignæ diem numerasse: Imò eò vsq; progreditur, vt ex verbis dicti Patris probare conetur, Apostolum Paulum festum in Crucis lignæ honorem celebrandum præcepisse. Sic verò Chrysostomi verba habent: Hodiernâ die noster Dominus pependit in Cruce, & nos festiuitatem eius nimiam lætitiâ celebramus, vt discamus crucem totius Spiritualis gratulationis esse substantiam. En aperte dicit, Veteres hanc festiuitatem celebrasse hoc die, quòd illo pependit Christus in Cruce: ergo non in honorem lignæ Crucis, sed memoriam gratam passionis & mortis Christi illam celebrant. Sequitur: Crux nobis totius beatitudinis causa est: hæc nos à cæcitate liberauit errorum, hæc è tenebris reddidit luci: hæc debellatos quieti sociavit: hæc alienatos Deo coniunxit: hæc discordiæ amputatio est: hæc pacis firmamentum: hæc bonorum omnium abunda largitio: istius causâ nullis angustijs deserti erramus: &c. Hæc ad lignum Crucis absq; horribili blasphemia referri non possunt. Pergit Chrysostomus: Hæc de causa hodie gratulamur, quia Crucis beneficia memoramus. Sic & Paulus præcepit propter Crucem festiuitatē celebrare. Pascha nostrum immolatus est Christus. Diē itaq; festum celebremus, non in fermento veteri &c. Quis vnquam, præter vnū Gretscherum, Iesuitam impudentissimū, hæc verba sic intellexit, ac si festum aliquod in lignæ Crucis honore ijs instituere voluisset? Non loquitur Apostolus de Paschate annuuario, quod Ecclesia Christiana in memoriam passionis Dominica obseruat, multo minus de festo aliquo Crucis lignæ, sed de festo moraliter agitando spiritali lætitiâ, cum perpetua sanctitate & iustitiâ. Sic exponit ipse Apostolus: Non in fermento veteri, nempe vitiorum: quia hoc fermentum grauius aduersatur Paschati nostro Christo, quàm fermentum panis aduersabatur Paschati Iudaico. Per id enim Pascha immolatum pro nobis, abnegatur, denuò immolatur & crucifigitur Christus, quo nihil horrendius.

Credendum autem hunc diem ab initio commemoratione passionis Dominicæ, ieiunijs, precibus alijsq; pijs exercitijs Christianos coluisse. Nam de Ieiunio hoc die non soluendo ita sancit Concilium Toletanum 4. circa annum 631. celebratum, can. 7. Quicumq; in die passionis Domini Ieiunium, præter paruulos, senes, & languidos, ante peractas indulgentiæ preces, soluerit, à Paschali gaudio depellatur, nec in eo sacramentum corporis & sanguinis Domini percipiat, qui diem passionis eius per abstinentiâ non honorauit. Et can. 89. Concilij Constantinop. 6. præcipitur, vt hic dies in ieiunio celebretur vsq; ad mediam noctem.

Ritus huius festi antiquissimus

Progressu verò temporis superstitio accessit. Sic enim Durandus libro 6. cap. 77. ait: Hæc die ecclesia nullum officium solenniter celebrat, sed horâ nonâ conuenit ad adorandum crucem, non ad Missæ officium, quo hæc dies caret: Hæc verò consuetudo improbat can. 6. Toletani 4. Concilij, qui sic habet: Comperimus, quòd per honnullas ecclesias in die sextæ feriæ passionis Domini, clausis basilicarum foribus, nec celebretur officium, nec passio Domini populis prædicetur, dum idem Saluator noster Apostolis suis præcepit, dicens: passionem & mortem, & resurrectionem meam omnibus prædicare. Ideoq; oportet, eodem die mysterium crucis, quòd

Festum hoc progressu temporis superstitiose obseruatum.



DE ORIGINE FESTORVM

Impia & falsa  
superstitio.  
Explicatur Io.  
cus Marc. 14.

ipse Dominus cunctis annunciandum voluit, prædicari atque indulgentiam criminum clarâ voce omnem populum postulare, &c. Vnde intelligitur circa annos Christi 631. hunc morem nondum fuisse. Sed pergens Durandus, In quibusdam, inquit, ecclesijs horâ 6. ignis extinguitur, & nonâ rursus accenditur. Passio legitur super nudum pulpitum, & nudis pedibus. In quibusdam verò ecclesijs sindon, seu torforia vel vestes altari nudato superponuntur, vsq; dum passio legatur: cum verò peruenitur ad locum illum, Diuiserunt sibi vestimenta mea, &c. tunc Subdiaconi sindonem illam vel torforia tollunt, representantes historiam, qua milites Christum crucifigentes vestes Christi sustulisse narrantur, & Subdiaconi quasi furtiuè pannos subtrahunt, ad notandum, quòd Ioannes, qui cum Domino vsq; ad crucem perseuerauit, postea more furis se occultauit, & nudus effugit. *Hæc verò postrema non tam impia, quàm falsa sunt. Impia, quòd de sanctissimo Apostolo Ioanne fingunt, furis more se occultasse. Falsa, quòd quæ Marcus 14. cap. de adolescentulo sequente Christum & amictu sindone super nudum corpus narrat, quòd comprehensus relictâ sindone nudus aufugerit, de eodem Christi discipulo interpretantur. Quid enim nomen reticere opus erat, quum turpior longè Petri lapsus describatur. Deinde Ioannes Christum captum illico sequutus est, & Petrum adiuuit, vt etiam ipsi atrium Pontificis ingredi liceret. Hic igitur quero ab ipsis, vnde tam citò vestes habuerit, quum Hierosolymis hospes & peregrinus esset? Sed & adolescentuli nomen in Ioannem minimè competit. Pergit idem author, & In quibusdam, inquit, locis vnâ veste sublatâ, altera super altare remanet, ad significandum, quòd vestis Domini inconsutilis non fuit scissa vel partita, sed sorte super eam missa contigit integra vni militi. Consequenter sacerdos crucem velatam batulat ad dextrum cornu altaris, ibiq; crucem super humeros tenens, in persona Christi improperat Iudæis beneficia Domini, dicens: popule mi, quid feci tibi, aut in quo contristauit te? responde mihi, quia eduxi te de terra Ægypti, &c. In quibusdam tamen ecclesijs duo presbyteri portant crucem illam. Acoluthi cantant Græcè ἀγιὸν ὀρθόδοξον, &c. Chorus responder: Sanctus, Sanctus, &c. Deinde crux ter denudatur: in principio autem denudationis, non ostenditur facies crucifixi. In secunda verò reuelatione operitur facies & caput eius. In tertia totus nudus ostenditur crucifixus: salutatur & adoratur crux. Post hæc super altare ponitur, tandem in communi loco collocatur. Inde duo presbyteri deferunt ad altare hostiam, quæ pridie fuerat consecrata & recondita. Sacerdos verò indutus casulâ illam hostiam super corporale disponit, iuxta latus calicis, in quo est vinum aquâ mistum non sanctificatum. Quo factò, incipit mox: Oremus, præceptis salutaribus, &c. Et eleuatum calicem iterum deponit, & cooperit. *Hæc omnia Durandus.**

*In veteri quadam Agenda, circa annos 900. scripta, diei Parasceues talis obseruatio recensetur. Conuenere, inquit, horâ octauâ omnes, tum ecclesiastici, tum laici in templum, quadragesimalibus induti vestibus, vt Pontifici Missam celebranti ministrent. Lecta est tum historia Passionis secundum Ioannem: cui quum certæ preculæ subiectæ fuissent, tacitè omnes sua repetiere lecta. Sub vesperam verò crux cunctis deosculanda præbebatur ab Episcopo. Ac solebant eodem die ignis & cerei consecrari: & pro cleri, ac vniuersi populi, Pontificis Romani, Imperatoris, eiusq; loci Episcopi salute, preces fieri.*

*Ritus hos paulò aliter commemorat Thomas Naogeorgus lib. 4. Regni Papistici, in hunc modum:*

Luce sacerdotes duo circum altare sequenti  
Idolum portant humeris Christi in cruce fixi,  
Ruffâ contectum casulâ, lugubre canentes.  
Ante gradus tandem nudatum veste reponunt  
Strata super villosa tapetia, suppositumq;  
Super puluinar capiti: hinc prostrati corpore toto;

Omnibus



Omnibus infigunt perfossis basia membris,  
 Ligneum & idolum summo venerantur honore:  
 Hos dein certatim rasorum turba sequuntur  
 Impietatis vt artifices ad talia semper  
 Præcedunt: post quos tractabile vulgus adorat,  
 Dona ferens pariter, nummos, cereremq; vel oua;  
 Aucupium rasis gratum, cultusq; scelesti  
 Speratum pretium. Quo pacto idola coluntur,  
 Catholica hæc si sunt, Christi q; imitamina sponsæ:  
 Præterea ne quid simulachris ludere cessent,  
 Et pro derisu regnantem exponere Christum,  
 Assumunt aliam statuam pro more iacentem  
 Defuncti nuper, porrectis cruribus aptè,  
 Atq; decussatim compositis pectore palmis  
 Et pompâ cantuq; pio ad factum ante sepulchrum  
 Portant, sericeis tectam membra omnia peplis,  
 Sic tamen vt cerni possint: multicia dicas  
 Serica, sic visum transmittunt, cunctaq; monstrant,  
 Præcedunt pueri tabulis inamœna crepantes,  
 Lumen & ædituus præfert. Scit signa popellus:  
 In genua ex templo cadit, aut terræ oscula figit,  
 Extenditq; manus, & multis pectora tundit,  
 Et statuam quernam diuinum vt numen adorat.  
 Ne faceat verò, inq; sepulchro sola colatur,  
 Mysticus adfertur quoq; & vnâ clauditur intus  
 Panis, vt impietas crescat, cultusq; profanus.  
 Sacrificus supplex statuam veneratur inertem  
 Primus, & Assyrios panis succendit odores.  
 Multa statim populus comportat lumina circum,  
 Cancellisq; hæret, noctemq; diemq; precatur  
 Curuatis genibus, violisq; & flore sepulchrum  
 Omnigeno exornat, suaq; affert munera largè.  
 Adsunt conducti quoq; qui psalteria cantent  
 Alterni, defuncto homini velut atq; nocenti,  
 Vt magis hinc plebs ad munera danda vocentur.

*Judicet hinc lector, quàm procul à veteri consuetudine recesserint in Papatu, & an ex passionis  
 Dominicæ, adeoq; redemptionis nostræ historia, theatricum spectaculum fecerint, nec ne.*

*Quòd autem supra diximus, in Papatu non fieri nouam consecrationem, hoc est, non confi-  
 ci corpus Christi hoc die, sciendum, in Concilio vniuersali 6. Constantinop. à Patribus 227. sanc-  
 citum cap. 52. vt totâ Quadragesimâ, nisi sabbatho, Dominicâ, & Annunciationis  
 die, noua consecratio nulla fiat: id verò hodiè in Parasceues tantum die obseruatur.*

*Flectunt etiam in Papatu hoc die genua, ad ostendendam corporis deuotionem, & mentis  
 humilitatem, secundum Durandum. Sed Beruo de Ieiunio quatuor temporum inquit: In Para-  
 sceue abstinuerunt Christiani à geniculationibus, & figendis osculis, ne Iudæos  
 illudentes Christo & Iudam proditorem videantur imitari.*

*Romæ quoq; itemq; Catilona in Hispania, Nicea in Sabaudia, Aquisgrani in Germania,  
 Traiecti in Belgio, Bisantij in Burgundia hoc die monstratur populo Veronica, hoc est, su- Veronica adq;  
 darium Christi, cui, sanguinis guttas abstergens, faciem suam impressisse nugantur, quæ adhuc ratur.  
 in eo cernitur. Eum videns cunctus populus clamat, Misericordia, Misericordia. Solet eti-  
 am ab omnibus is verbis adorari: Aue facies præclara, quæ nobis in crucis ara, facta*

L



es sic pallida. Anxietate denigrata, sudore sanguinis rigata, te texit linteolus. In quo mansit tua forma, quæ passionis tuæ norma, cunctis est præ lucida. Hæc coram meo sit impressa, per te Christe nec cessa, hoc cremare indefessa, amoris tui facula. Ut post hanc vitam cum beatis, possim vultum Deitatis & videre voluptatis, in perenni gloria. Amen. *Et de Oratione hac dicenda ante Veronicam tres anni & quadraginta dies indulgentiarum dati sunt ab Innocentio III. circa annos Christi 1250.*

Regum Angliæ  
in hoc festo  
consuetudo.

Reges deniq; Angliæ consueverunt in die Parasceues, multâ ceremoniâ sacrare annulos, quemadmodum Pontifices Romani sequenti die Cereum Paschalem, quos qui gerunt, comitiali morbo non vixari creduntur. Mos hic inde natus est, quod in templo Westmonasterij annulus, multâ veneratione per diu seruatus fuit, quod salutaris esset membris stupentibus, valeretq; aduersus comitalem morbum, quum tangeretur ab ijs, qui eiusmodi tentarentur morbis. Annulus hic allatus dicitur Eduuardo Regi à quibusdam Hierosolymâ venientibus, quem ipse diu antea pauperi clam dederat, qui pro amore, quem erga D. Ioannem Euangelistam habebat, elemosynam petierat, sicut Polyd. Vergilius scribit lib. 8. historia Angliæ.

Quo die Christus Iesus Pascha vltimum celebrârit, sacram cœnam instituerit, & passus sit in cruce.

Vide de hæc  
disputati-  
one Theod. Feza  
n. Volum. 3.  
operum suorum,  
ad Repetit. 5.  
claudij de X.  
in ctes fol. 12.  
& seq.

**S**uprà diximus; Christum Dominum pro peccatis humani generis passum & crucifixum fuisse in Parasceue seu vigilia Paschæ, quæ fuit dies Veneris, Pascha autem celebrâsse, & cœnam instituisse pridie quam pateretur, ad eamq; anticipâsse pascha: Iesuitæ autem hoc aliqua ex parte concedunt, passum nimirum Christum feriâ sextâ, hoc est, die Veneris, sed feriam illâ non fuisse Parasceuen Paschæ siue ad Pascha, verum ipsum festum Paschatis proinde etiam Christum in profesto seu vigilia Paschatis vltimum Pascha celebrâsse, & sacram cœnam instituisse contendunt. Cardo huius disputationis Iesuitis in eo vertitur, utrum Christus Sacramentum Cœnæ azymis, an fermentatis panibus instituerit. Nam secundum nostram sententiam, non tenebatur ad usum azymorum, quia nondum venerant dies azymorum, & propterea fieri potuit, ut in fermentato Sacramentum instituerit. Iuxta opinionem autem Iesuitarum illo ipso tempore Sacramentum instituit, quo secundum legem fermentum ex toto Israele abijciebatur, quia fuisset dies 14. primi mensis, quo ad vespeream dies azymorum inchoabantur, & dies 15. sequens dies sollemnis azymorum fuisset.

Et si verò disputare nolimus, azymò ne an fermentato suam cœnam celebrârit Christus, & utro modo hodie sit celebranda, quum nihil ea de re in nouo Testamento expressum habeamus, probabimus tamen nostram sententiam, PRIMO ex verbo Dei, SECUNDO ex Patribus primitiua Ecclesiæ. TERTIO Rationibus.

Christum pas-  
sum vigilia Pa-  
schæ, & cœnâ  
pridie instituis-  
se probatur tes-  
timonijs scri-  
pturæ.  
Explicatur lo-  
cus Ioan 3.

PRIMUM testimonium habemus cap. 13. Ioannis, vbi Euangelista dicit, ANTE diem festum Paschæ, sciens Iesus venisse horam ipsius ut transiret ex hoc mundo ad Patrem, &c. Et mox: Et cœnâ faciâ, &c. Vnde intelligimus Euangelistam loqui de illa vespere seu nocte, quâ ipse Pascha suam celebravit, & Sacramentum instituit. Si verò cum Iudæis celebrâset Pascha, non dixisset Ioannes ANTE diem festum Paschæ: agnus enim Paschalis immolari & comedi debuit die 14. primi mensis ad vespeream, à qua incipiebat dies Paschalis, quæ 15. die celebrabatur, iuxta mandatum Leuit. 23. A vespere usq; ad vespeream celebrabitis sabbatha vestra: ergò anticipauit esum agni, & fuit crucifixus non in festo, sed in profesto, seu vigilia & parasceue Paschæ. Respondet Bellarminus, loqui Euangelistam de die artificiali. Sed vnde hoc habet? Potius credendum, si Christus cum Iudæis celebrâset Pascha, quod non dixisset ANTE diem festum Paschæ, sed potius loquutus fuisset eo modo, quo lex Dei de festis loquitur, numerando dies festos à vespere ad vespeream.

Explicatur lo-  
cus Matt. 26.

SECUNDUM testimonium extat Matt. 26. vbi Euangelista inducit Pontifices & Principes Sacerdotum in Concilio congregatos, & de captiuitate ac morte Christi. Liberantes, di-

xisse,



xiffe, NON in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo. En decernunt quidem illum comprehendere & occidere, at non in die festo. Quid est igitur quòd dicunt Iesuita, crucifixum illum esse in festo Pascha? Respondet Iesuita, fuisse illam quorundam sententiam in eo Concilio, sed non obtinuisse, præualuisse enim eorum sententiam, qui iudicârunt non esse negligendam occasionem Christum necandi quocunq; tempore. Sed quæro vndenam hæc habeat, & an ipse huic Concilio interfuerit, quòd tam confidenter ex eo narrat, quæ apud nullum Euangelistarum leguntur? proinde eadem facilitate hæc reiiciuntur, quæ ab illo finguntur. Videtur certè Euangelista hic commemorare velle eam sententiam, quæ in hoc Concilio vnanimi consensu approbata & recepta fuit. Eiusdem pretij est, quòd dicit, Concilium mutâsse sententiam propter aduentum Iudæ, & sponsonem ab eo factam. Nam Euangelista simpliciter aiunt, Iudam in hoc Concilio congregatis dixisse, Quid vultis mihi dare, & ego tradam eum vobis? Quod adhortatus eos sit vt maturent mortem Christo, etiamsi in die festo occidendus sit, apud nullum legitur.

TERTIVM argumentum legitur Ioannis 18. cap. vbi Euangelista de Sacerdotibus & senioribus populi Christum Pilato tradentibus sic scribit: Ipsi non introierunt in prætorium ne contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. Vnde apparet, eo die quo Seruator Pilato traditus & crucifixus fuit, festum Pascha non fuisse: aut quid opus habuissent timere, ne polluti & contaminati Pascha ederent, si iam antea in vespera præteritæ noctis illud comedisent. Respondet Iesuita, Pascha eo loco vocari non agnum Paschalem, qui solùm 14. die ad vesperam immolabatur, sed victimas Paschales, quæ ex ouibus & bouibus quotidie in diebus Paschæ immolabantur. Confirmat hanc sententiam suam ex 16. cap. Deuteron. vbi sic legitur: Immolabis phase Domino Deo tuo de ouibus, & bouibus in loco quem elegerit Dominus. Loqui autem ibi Mosem de manducatione agni Paschalis, non de victimis Paschalibus, tota narratio manifestè indicat. Deinde locum ex 2. Para. cap. 35. adducit, vbi hæc verba leguntur: Dederunt sacerdotibus ad faciendum phase pecora duo millia, & boues sexcentos. Vbi negari non potest, per Phase victimas & holocausta intelligi, quæ in Paschalibus diebus oblata fuerunt Iosifæ regis temporibus: sed non statim inde colligi potest, hoc vocabulum eodem sensu à Ioanne hîc accipi, præsertim quum demonstrari non possit vlllo alio præterea loco sic vsurpari.

Explicatur Iohannes  
cus Ioan. 18.

QUARTVM testimonium habetur Ioannis 19. Erat autem Parasceue Paschæ, & hora quasi sexta. Loquitur ibi D. Ioannes de die passionis & mortis Christi, & dicit fuisse Parasceuen Pascha, ergo non fuit ipsum festum Pascha. Respondet Iesuita, fuisse apud Iudæos Parasceuen tantum propter Sabbathum. Confirmat ex 15. cap. Mar. vbi dicit, Erat Parasceue, quod est antefabbathum, & ex 23. cap. Luc. Erat autem Parasceue, & Sabbathum illucescebat. Suprà autem diximus, non semper significare Parasceuen sextam solùm feriam, sed interdum etiam vigiliam seu profestum alterius festi. Et Ioannem citato loco per Parasceuen profestum Paschæ intelligere, verba ipsius manifestè indicant, quæ sic habent, ἡν δὲ παρασκευῆν τοῦ πάχα, Erat autem Parasceus (τοῦ) ipsius Paschæ. Vnde apparet, Parasceuen dici hoc loco ratione Paschæ, non sabbathi hebdomadalis. Vnde rectè qui Thesaurum Latine linguæ collegit sub Calepini nomine, παρασκευῆν Parasceue, inquit, à παρασκευάζω, quod est præparo, deducitur. Vnde & dies quo Dominus noster Iesus Christus pro humani generis salute cruci affixus fuit, Parasceue dicitur, quoniam eo die Iudæi sibi necessaria præparabant, vt Paschæ dies absq; operatione aliqua transigeretur. Intelligimus etiam hinc, Parasceuen non fuisse tunc Paschæ festum, alioquin posuisset in casu Nominatiuo identicè, non in genitiuo, & dixisset, ἡν δὲ παρασκευῆν τὸ πάχα, non τοῦ πάχα. Ad locum Marci, quæ confirmationis loco adducit, iam facilis est responsio. Nam Euangelista Parasceuen interpretatur ἡεσάββατον. Probauimus autem Ioannem per Parasceuen intelligere profestum Paschæ, ergo idem etiam ἡεσάββατον significat. Nec obstat Sabbathi nomen, constat enim ex sacris literis, eo nomine non solùm hebdomadale sabbathum, sed reliqua etiam festa sæpè intelligi, quòd in ijs non minus, quàm in sabbatho hebdomadali ab omni opere seruili quiescendum sit.

Explicatur Iohannes  
cus Ioan. 19.



Explicatur Io-  
cus alius Ioan.  
19.

QVINTVM argumentum legitur Ioan. 19. vbi Euangelista indicat, principes Sacerdotum rogasse Pilatum, vt crucifixorum crura frangerentur, & tollerentur, PROPTER Parasceuen Iudæorum, vt non remaneret in cruce corpora sabbatho: erat enim magnus dies ille Sabbathi. Ergo si noluerunt corpora in sabbatho manere in cruce, multò minus permisissent id in Paschate, die festo longè omnium celeberrimo, & per consequens multò minus interfecissent eum in ipso die Paschæ, volebant enim legis obseruatores videri strenuissimi. Sed hoc loco Iesuita rursus probare conatur, Parasceuen fuisse non ad Pascha, verùm ad sabbathum. Respondeo, hî: quidem intelligi per sabbathum hebdomadale sabbathum: in illud autem ex feria sexta translatum est Pascha eo anno quo Christus crucifixus est, propter traditionem quandam Iudæorum, vt mox indicabimus: & quia concurrerunt duo festi, Pascha nimirum & sabbathum in vnum diem, idcirco etiam dicitur μεγάλη ἡμέρα κύριου τῆς σαββάτου, magnus dies ILLVS sabbathi: non propterea, vt Iesuita vult, quòd sabbathum hebdomadale intra Paschalem hebdomadam tunc incidisset: nam id semper fit, nunquam tamen legimus propterea sic appellatum esse. Vnde Parasceue vtroq; modo rectè tam ad Pascha, quàm ad sabbathum hîc & alibi referri potest. Et sic etiam intelligimus locum Luc. 23. cap. Erat autem Parasceue, & sabbathum illucescebat.

Explicatur Io-  
cus Mar. 15.

SEXTVM argumentum peti potest ex cap. 15. Mar. vbi Ioseph dicitur mercatus esse sindonem, & corpus Christi è cruce sublatum, aromatibusq; conditum nouæ sindoni inuoluisse, & in monumentum nouum deposuisse, ostioq; monumenti saxum aduoluisse. Deinde 23. Luc. mulieres dicuntur emisse aromata & vnguenta: Postremò Iudæi causam criminalem egerunt contra Christum, eum comprehendi, examinarunt, accusarunt, testes produxerunt, & condemnarunt. Hæc verò omnia in die festo Paschæ propter legem vetita erant. Ergo in ipso festo non fuit crucifixus. Respondet Iesuita, in festo paschæ prohibita fuisse tantùm opera seruilia, non opera pietatis & charitatis: sepelire autem mortuos opus charitatis esse, non seruitutis: & proinde etiam aromata parare, & sindonem emere, non fuisse prohibitum. Ita quidem Iesuita: Sed videamus quid de hoc statuatur Deus Exod. 12. ait: NIHIL operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent. Vbi disertè omnia opera prohibet, præter ea, quæ ad victum pertinent. At sepelire mortuos ad victum non pertinet.

Quod Iudæorum exemplum attinet, respondet, eos non fuisse tam delicatæ conscientiæ, vt putarint id fieri non posse: sed satis existimasse honoris se detulisse diei festo, quòd non suis manibus Christum lapidarint. Respondeo, adeò delicatæ fuerunt conscientiæ, vt accusarint tùm Christum, quòd Sabbatho agrosos sanasset, tùm Apostolos ob spicas illo ipso die auulsas & manibus contritas. Multò minus igitur putarunt licere die festo aliquem comprehendere, accusare & condemnare. Vt de hoc nihil dicam, quòd iustitiam suam in obseruatione legis quærebant, & videri cupiebant legem seruare in omnibus.

Christum pas-  
sum in vigilia  
Paschæ, & eor-  
nam pridie in-  
stituisse proba-  
tur ex Patribus  
Irenæi locus  
explicatur.

Nostræ sententiæ ad stipulantur etiam Patres. PRIMO Irenæus, qui lib. 4. cap. 23. ait, Mosem Deuter. 16. cap. prædixisse Christi passionem, quoad locum, cum ait, Immolabis agnum Paschalem in loco quem elegerit Dominus, id est, Hierosolymis: quoad diem, quum nominauit diem Paschæ: quoad horam, quum dixit, Vespere ad Solis occasum. Vnde intelligitur, Irenæi sententiam fuisse, Christum anticipasse suum Pascha, & occisum illo tempore quo agnus immolabatur, lunâ 14. non 15. in Paschatis festo. Ad hæc respondet Iesuita, primò, Irenæi sententiam fuisse, Occisum Christum lunâ 15. non decimâ quartâ: nam primum diem Paschæ incepisse in vespera diei 14. Vbi manifestè verbis Irenæi alienum affingit sensum. Vult enim, Mosem prædicere voluisse, Christum immolandum eo tempore quo ipse ex Dei iussu agnum mactare præcepit: fuit autem tempus illud non die 15. sed 14. Nec obstat Paschæ vocabulum. Constat enim ex cap. 23. Leuit. ipsam etiam immolationem agni & diem 14. mensis primi ad vespere, Pascha vocari in Veteri & Nouo Testam. nec solum diē solennē 15. vt Alex. de Alex. in 4. par. q. 32. memb. 3. ad 2. et Reiner. in Sum.

in Sum.



in Summa Pantheol. tit. de Eucharistia cap. 8. & Abulen. in par. Defensorij cap. 8. indicant, magna est differentia inter diem Paschæ & diem festum Paschæ. Secundo dicit, per Vesperam intellexisse Irenæum horā vespertinam. Respondet: illam horam vespertinam intellexit, quā agnus immolabatur. Et ut magis se torquat, dicit, per vesperam non tam intellexisse vesperam diem, quā vesperam mundi. Sed hoc manifestè falsum est: de ea enim vespera loquitur, de qua Moses, ut verba eius clarè indicant. Loquitur autem Moses non de vespera mundi, sed de ea, quā agnus Paschalis erat immolandus.

SECUNDO Tertullianus dicit in libro contra Iudaos: Hoc enim & Moses initio primi mensis nouorum facturos vos prophetavit, quum omne vulgus filiorum Israel ad vesperam agnum esset immolaturum. Loquitur hoc loco de passione Christi, ac dicit, Mosē prædixisse, Christum occidendum eo tempore, quo agnus mactabatur: fiebat autem id non in festo Paschæ, sed in eius vespera seu vigilia, lunâ 14. Respondet Iesuita, Significare Tertullianum illâ ipsâ die, quā agnus immolabatur, Christum immolandum: & hoc impletum esse. Hoc verò illud ipsum est, quod nos quoque dicimus. Sed quomodo sese interpretatur? Prima, inquit, dies Paschæ extendebatur usque ad vesperam feriae sextæ. Vbi manifestè sibi ipsi contradicit. Primo loco vult, Christum passum eo tempore, quo agnus mactatus fuerit: factum id vespere lunâ 14. altero loco dicit, Christum passum in Paschatis primâ die: erat autem ea lunâ 15. non 14.

Tertulliani locus explicatur.

TERTIO Epiphanius hæresi 50. sic ait: Oportebat Christum in decimaquarta die immolari secundum legem. Ergo Christus anticipavit suum Pascha, quum illud pridie quàm pateretur celebrâret, & passus esset lunâ decimaquartâ, & proinde non in festo Paschæ. His respondet Iesuita, loqui Epiphanium de immolatione Christi non in se considerata, sed in figura ac typo: ac si clarius dixisset, Oportuisse agnum, qui figura Christi erat, immolari lunâ decimaquartâ ad vesperam. At manifestis & claris verbis Epiphanius, cum lege & Evangelica historia, nec non tota antiquitate consentientibus, aperitissimè vim facit. Dicit enim, Oportebat Christum (non agnum) in decimaquarta die immolari secundum legem. Postremum hoc addit, ut significet, fieri hoc debuisse, ut sic res figurata responderet figuræ. Quid clarius dici potuisset?

Explicatur locus Epiphanius.

QUARTO Chrysostr. homil. 82. in Ioan. dicit, Christum comedisse suum Pascha pridie, quàm illud comederint Iudæi. Idem omninò scribit Theophylactus in cap. 18. Ioan. Respondet Iesuita, Patres hos non significare voluisse, Christum Pascha comedisse pridie quàm populus Iudæorū, sed solūm pridie quàm sacerdotes illi, qui in nece Christi totâ nocte occupati fuerant, comederint, adeoque ipsum manducasse, quā omnes alij cōmuniter manducârunt. Confirmat alio loco Chrysostr. qui extat hom. 85. in Matth. vbi scribit: Principes sacerdotū totâ nocte occupatos fuisse in negotio mortis Christi procurandæ, & ideò nō potuisse eū cæteris debito tempore Pascha manducare, sed cupiditate interficiendi Christum præuicatos esse, & alio tempore comedisse Pascha. Respondet, Chrysostr. priore loco de Iudæis omnibus in genere loquitur, non solūm de Principibus. Sacerdotū: nec potest demonstrari locus, vbi per Iudæos principes tantūm Sacerdotum intelligat: sed distinctè de ijs loquitur. Quod ergò posteriore loco dicit, Summos Sacerdotes distulisse suū Pascha in sequentē diem, in eo manifestè sibi ipsi contradicit: quod etiā alijs in locis fecit. Nec etiā quod dicit est verosimile. Nam agnus Paschalis ipsis propriâ autoritate non licebat differre. Comedi debuit lunâ 14. primi mensis: Si verò propter impedimenta aliqua non potuit hoc fieri, debebat transferri immolatio eius non in diem proximè sequentem, vel alium aliquem primi mensis, sed ad diem 14. secundi mensis. Sic enim præcepit Dominus Num. 9. Homo qui fuerit immundus super anima, siue in via procul in gente vestra, faciat phase Domino in mense secundo, die 14. mensis ad vesperam, &c. Argumentum etiam, quo vitur, friuolum est, eos nimirum fecisse hoc odio Christi, & cupiditate interficiendi eum. Volebant enim iustificare facta sua, & per Legem Mosaicam ea defendere. Et quæ obsecro ausi fuissent accusare Christum coram Pilato violata legem, cum ipsi eodem crimine condemnari potuissent?

Explicatur locus Chrysostr.

Chrysostr. lapsus.



DE ORIGINE FESTORVM

Explicatur locus alius Chry-  
sostomi.

Eadem homilia in Ioannem Chrysoſtomus dicit, Chriſtum præueniſſe vnum diem in Paſchate celebrando, vt reſeruet mortem ſuam Paraſceue, quando etiam olim celebratum fuerit. Varias, ſed futiles interpretaciones Ieſuita poſtrema particula. Quando etiam olim celebratum fuit, ſcilicet Paſcha, aſſert: verum ſenſus verus ac genuinus eſt, Chriſtum præueniſſe vnum diem Iudæos in celebratione Paſchatis, non quidem contra, ſed ſecundum legem, nam antiquitus etiam, hoc eſt, ante traditionem eodem die celebratum fuiſſe. Dies enim ille quo Chriſtus ſuum Paſcha, pridie quam pateretur, celebrauit, fuit ſecundum legem 14. ſecundum traditionem autem 13.

Explicatur locus alius Chry-  
sostomi.

Idem Pater homil 84. in cap. 19. Ioan. dicit: Cùm tempore vrgerentur, horâ enim nonâ mortuus erat, & dum peteret eum à Pilato, & dum lauarent, iam veſpera aduentarat, quo tempore nihil licebat operari, in proximum monumentum poſuerunt. Quibus vtiq; ſignificat, acceleratam fuiſſe ſepulturam Ieſu, propter Veſperam in qua nihil operis fieri licuerit. Nec poteſt dici, veſperam ſabbathi intelligi, ſed veſpera Paſchæ innuitur, nam in hac quoq; nihil omninò operis fieri licebat, præter ea quæ ad victum pertinent, vt ſupra etiam indicauimus.

Explicatur  
Theophylacti  
locus.

QVINTO Theophylactus, qui in omnibus ſequutus eſt Chryſoſtomum, aperte docet, Chriſtum paſſum lunâ 14. non in die ſolenni Paſchæ, qui erat luna 15. & proinde etiam anticipaſſe Iudæos in celebratione Paſchatis. Sic enim in caput 27. Matthæi, in illa verba, A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt. Tenebræ, ait, factæ non erant iuxta naturæ ordinem, vt ex eclipſi Solis naturaliter facta: neque enim quando eſt decimaquarta Luna, fit Solis deliquium: quum autem crucifigeretur, omninò decimaquarta Luna erat, Paſcha enim Hebræorum tunc fiebat.

Explicatur locus  
Augustini.

SEXTO Auguſtinus refert libro 3. de Conſenſu Euangelistarum cap. 13. quosdam dixiſſe ſe eo anno quo Chriſtus mortuus eſt, Paſcha Iudæorum fuiſſe illo die quem Sabbathum ſequebatur, & propterea diem illum dictum Paraſceuen Paſchæ. Reſpondet Ieſuita, Auguſtinum referre ſaltem horum ſententiam, non probare. Reſpondeo falſum hoc eſſe quod Auguſtino tribuit: approbat enim diſcretis verbis eorum ſententiam, quod faciat ad confirmationem, præparationem ad Chriſti immolationem cœpiſſe ab hora nona nonâ, & proinde horam tertiam diei fuiſſe horam ſextam Paraſceues. Sed eſto, non probaueris illam expreſſis verbis, quid tum poſtea? nam nec improbauit eam, quod vtiq; feciſſet ſanctiſſimus Pater ſi veritati contraria fuiſſet.

Explicatur alius  
locus Augu-  
ſtini & Bedæ.

Deinde idem Pater Tractatu 120. in Ioannem, & Beda in cap. 19. Ioannis dicunt, acceleratam fuiſſe à Iosepho Arimatheeni & Nicodemò ſepulturam Domini, propter paraſceuen Iudæorum, quam Cœnam puram Iudæi Latine apud nos vſitatiùs vocant. Vnde intelligitur diem mortis Chriſti non ipſum feſtum ſolenne Paſchæ, ſed eius Paraſceuen fuiſſe. Nam ſi accelerata fuit ſepultura propter Paraſceuen ſabbathi, vt Ieſuita vult, in qua nihil operis fieri licuit, omninò certè intermiſſa fuiſſet in ipſo die ſolenni Paſchæ, in quo non minus omnia opera prohibita fuerunt, præter ea quæ ad victum pertinent.

Explicatur locus  
alius Augu-  
ſtini.

Idem Pater eodem loco ait, corpora crucifixorum ablata fuiſſe de ligno, ne pendentiâ in crucibus, magnum diem feſtum ſui diurni cruciatûs horrore cœdarent. Vbi certè per magnum diem feſtum non ſabbathum per ſe intelligit, quod nullo in loco ſic appellatur, ſed etiam diem feſtum Paſchæ, qui tunc in ſabbathum translatus fuit, & per conſequentiam Chriſtus non in die ſolenni Paſchæ, ſed in eius profeſto fuit paſſus.

Explicatur locus  
Anſhelmi.

SEPTIMO, Nicephorus lib. 1. hiſtoria Eccleſiaſt. cap. 28. ait: Paraſceues die ad veſperam, vt lex præcipit, agnum immolari oportebat, & eadem die verum agnum in cruce immolari: & iccirco præueniri à Chriſto oportebat, vt quintæ diei ad veſperam legale Paſcha celebraret.

OCTAVO Anſhelmus, qui floruit circa annos Domini 1090. apertiſſimè dicit in 27. cap. Matthæi, Chriſtum 12. Calend. April. in ipſo vernali æquinoctio, ſextâ feriâ, lunâ decima



decimaquartâ, in qua erat Pascha Iudæorum, fuisse crucifixum, vt eo die agnus Dei pro salute hominum in cruce penderet, quâ die agnus in liberatione populi occidi iussus est. Et huic sententiæ consentire Euangelistam dicit, qui ait, Iudæos propterea non introiisse in prætorium cum Pilato, ne contaminarentur, sed vt manducarent Paschâ. Et si quis obijceret, Quare ergo Dominus tunc non celebravit Paschâ? Sciatis inquit, quod ille non fuit sub lege, & voluit ante discipulis suis tradere sacramentum corporis & sanguinis sui, & postea ipsum corpus immolari in ara crucis. Hic quum nihil habeat Iesuita quod respondere possit, ad suas artes confugit, & dicit, dubium esse non posse, quin totus iste locus ab aliquo Græcorum fautore fuerit insertus in librum Anselmi. Nam quod confirmationis loco addit, eundem Doctorem in cap. 26. Matthæi ad verba illa, Primâ autem die azymorum &c. dicere, Christum die 14. comedissee agnum, & 15. fuisse occisum: Respondeo, Anselmum non sibi esse contrarium, respicit enim eo in loco cum Euangelista ad legem Dei, iuxta quam 14. lunâ Pascha celebravit, & 15. mortuus est, alio autem loco respicit ad consuetudinem tunc inter Iudæos vsitatam, iuxta quam 14. lunâ fuit crucifixus, & pridie quàm pateretur agnum comedit.

His testimonijs & autoritatibus accedunt etiam Rationes ponderis maximi. PRIMA hæc sit: Secundum legem, quæ habetur Leuit. 23. cap. dies Pentecostes celebrari debuit die quinquagesimo, à secunda die azymorum numerando, Eo autem anno quo Christus fuit crucifixus, dies Pentecostes fuit in Dominica die, vnde etiânum hodie tota Ecclesia die Dominicâ Pentecosten celebrat, hinc sequitur, secundam diem azymorum tunc etiam incidisse in Dominicam. Nam si numeremus quinquaginta dies inclusiue à secunda azymorum, vt lex iubet, necessario in eodem die hebdomadæ occurreret Pentecoste, in quo occurrit dies secunda azymorum. Hæc sunt tam certa & illustria, vt ne ipsi quidem Iesuitæ negare audeant. Si verò eo anno quo Christus passus est, dies Dominica fuit secunda azymorum: sequitur diem sabbathi fuisse primam azymorum, & diem solennem Paschâ: adeoq; diem Passionis Christi fuisse ante diem primam azymorum & diem solennem Paschâ, & Christum anticipasse suam Paschâ. Respondet Iesuita, dies Pentecostes numerandos à primo die prophano post festum primæ diei azymorum: & ideò si secundus dies azymorum sit prophanus, ab eo numerari debere dies Pentecostes. Si autem fortè sit dies festus, vt si occurrat in Sabbatho dies secundus azymorum, tunc à tertio die azymorum numerandos esse dies Pentecostes. Hæc quidem ille. Si verò quæras, vnde hæc habeat, Francolinus respondebit, Fateor me hanc declarationem apud doctorem aliquem non legisse: cap. 84. de Tempore horarum Canoniarum: Bellarminus verò, Authorem meæ sententiæ non habeo: tomo 1. Disput. de Cultu Sanct. lib. 3. c. 3. Sed de hac re plura diximus alio loco, vbi de Iudæorum Paschate & Pentecoste egimus.

SECUNDA ratio: Immolatio agni Paschalis typus & figura fuit passionis Christi: Immolari autem debuit agnus die 14. igitur Dominus quoq; pati debuit eodem die: & per consequens die antecedente cœnam instituit. Respondet, agnum Paschalem figuram fuisse Christi, quatenus in sacramento nobis apponendus erat manducandus: adeoq; illam immolationem potius significasse immolationem Christi in Cœna mysticam, quàm immolationem cruentam, quæ in cruce peracta sit. Sed hoc falsum esse, & immolationem agni typum fuisse Passionis Christi intelligitur ex Irenæi et Tertulliani testimonijs, paulò ante à nobis citatis. Cumque res admodum perspicua sit, confugit ad aliam solutionem: Christum nimirum passum eo die quo agnus fuerit mactatus, licet non eadem horâ: nam vespere diei 14. in qua agnus immolatus sit, ad diem sequentem pertinuisse: adeoq; Eucharistiam institutam eodem die & eadem horâ quâ agnus mactatus sit. Respondeo, vespere ad dies sequentes exclusiue, adeoque improprie pertinuisse, quatenus scilicet numerabantur dies sequentes à vespere precedentibus: alioquin agnus mactatus fuisset primâ die azymorum & in ipsa Paschali solennitate, quod est contra legem Leuit. 23. Deinde hæc solutio contra Iesuitam est. Nam si vespera diei 14. in qua agnus im-

Christum passum in vigilia Paschæ, & Cœnam celebrasse pridie, probatur Rationibus



DE ORIGINE FESTORVM

molabatur, ad diem 15. sequentem pertinebat, vespera diei 15. in qua Christum occisum volunt, necessario ad diem decimum sextum sequentem pertinuit, & per consequens Christus non eo die, multo minus eadem hora, qua agnus mactatus fuit, passus est, & proinde figuratum non respondisset figura.

Pascha duplex  
obseruatio.

**TERTIA** ratio sumitur à Traditione, quæ tempore Christi in obseruatione Paschatis obseruata fuit. Legitimè enim, iuxta mandatum Dei Exod. 12. Pascha celebrari debuit die 15. mensis Nisan, mensis inquam Lunaris, sic quòd annus & mensis quilibet ipso die nouilunij exordium sumpserit. Secundum hunc ritum agnus Paschalis die 14. ad vesperam immolari præcipitur. Et hoc Pascha Chrysostomus vetus vocat. Sed aliam Pascha obseruationem, quam Iudicialem vocant, legisperiti Iudæorum per *ἑνείκαια* quandam & legis moderationem in secunda templi instauratione statuerunt & ordinârunt. Quia enim sabbatha ac festa legalia ad lunæ cursum secundum dies mensium seruanda fuerunt, non semper in vnâ & eandem diem hebdomadæ incidere poterant, sed singulis variabant, nunc in hanc, nunc in aliam diem cadentes. Hoc pacto autè accidit, vt sæpè duo festa continuata et simul coniuncta fuerint, sabbathum hebdomadariu, & aliquod ex Mosaicis festis secundarijs: vnde magna incommoda nasci visa sunt Iudæis. Exempli gratia: Si festum Palmarum in sabbathum hebdomadariu incidisset, citra legis violationem, sabbathum ritè celebrari non posse arbitrabantur, quando ramos Palmarum colligere & circumferre sine labore die sabbatho prohibito non possent. Deinde si festum Paschæ aut Expiationis sabbatho fuisset continuatum, per duos integros dies permanere eos oportuisset in synagogis vel templo orantes ac ieiunantes: nullum enim cibum parare eis licebat, & is qui profanis diebus fuit præparatus, vix per triduum aut integrum biduum à fœtore & putredine in calidâ illâ regione conseruari potuisset: hoc verò nimis graue & molestum eis videbatur. Quamobrem ne tam incommodè festa caderent, translationem in diem sequentem excogitarunt. Nolebant autem alijs diebus, quoad numerum mensium, festa sua celebrare, quam in lege fuisset præscriptum, sed tantum aliâ die: idè primam diem anni, seu neomeniam primi mensis in talem feriam transtulerunt, quæ eiusmodi incommoda nulla afferret. Statuerunt igitur, ne primus dies mensis incideret in feriam 1. 4. 6. nec Pascha in feriam 2. 4. 6. nec Pentecoste in feriam 3. 5. 7. nec dies Expiationis in feriam 1. 3. 6. nec festum Sortium in feriam 2. 4. 7. De huius constitutionis origine & auctore plura diximus alio loco, vbi de anno Iudæorum egimus. Incidit autem, quod in confesso apud omnes est, eo anno quo Christus in cruce est passus, Paschæ solennitas in feriam sextam, hoc est, Veneris diem. Iudæi igitur obseruantes regulam festorum à Legisperitis traditam, neglexerunt veram neomeniam mensis Nisan, neq; solennitatem Paschatis celebrârunt feriâ sextâ, ne festum Palmarum caderet in sabbatho, & sabbathum violaretur, sed transtulerunt neomeniam veram in diem sequentem, adeoq; etiam Pascha ex die Veneris in sabbathum. Christus autem, sciens per mortem eius abroganda omnia festa legalia, non respexit ad festum Palmarum, vel ad alia festa, in obseruatione Paschæ, sed ad legem Dei, vt illam per omnia adimpleret: & iuxta legis mandatum obseruauit veram neomeniam, celebrauitq; cum discipulis suum Pascha die 14. mensis primi iuxta legem, quæ secundum traditionem erat 13. dies: passus est autem die Veneris, quâ iuxta legem Paschalis solennitas celebrari debuit, secundum traditionem verò Parasceue Pascha sua ad Pascha fuit.

Explicatur locus  
Matth. 26.

Hanc diuersam (Christi & Iudæorum) obseruationem Paschæ, ipsemet Christus innuere videtur, eo quòd dixit discipulis: *Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei, Magister dicit, tempus meum propè est, apud te facio Pascha cum discipulis meis; Matth. 26.* Quasi dicere voluisset, Si interrogauerit vos, quare Magister vester anticipat Pascha ante quam Iudæi ceteri id obseruent, dicite ei, tempus eius propè est, vt faciat Pascha cum discipulis suis. Dixit, Tempus meum, hoc est, tempus verum & legitimum propè est, volens hoc ipso reprahendere Iudæos tanquam transgressores legis, & voluptatibus deditos, qui nulla alia de causa Pascha transferebant, nisi vt voluptatibus consueris in festo Palmarum frui possent, quibus frui in sabbatho prohibitum erat.

Ad hanc quoque duplicem Paschæ obseruationem respexerunt Euangelista. Iudæorum enim

nim



vim observationem inuuentes, quoties inducunt Pontifices de Paschate differentes, clarè significat, Christum crucifixum fuisse eo die, quo Iudæi agnum Paschalem ederint, hoc est, in vigilia Paschæ. Sic D. Ioannes dixit: Iudæos Christum accusantes non introisse in prætorium Pilati, ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha, hoc est, agnum Paschalem. Dicit etiam diem crucifixionis fuisse Parasceuen, hoc est, diem in quo Iudæi præparabant ea quæ pro Paschate ritè celebrando erant necessaria. Marcus quoque diem Passionis Christi  $\omega\epsilon\gamma\tau\alpha\beta\beta\alpha\tau\omicron\upsilon$ , id est, profestum, vocat. Ad legis verò mandatum respicientes, significant, Christum crucifixum fuisse ipso die festo Paschæ, & pridie, quàm pateretur agnum Paschalem cum discipulis primâ die azymorum comedisse: qua de re paulò infra plura dicentur.

Contrà hanc verò mutationem seu translationem Paschatis in sequentem diem multa adducit Bellarminus, quibus probare conatur, nullam vnquam omninò talem mutationem fuisse inter Iudæos. Primò citat Rabbi Abenezram, qui in Commentario Leuit. cap. 23. disertis verbis affirmet, hanc traditionem non solum non fuisse ab initio secundi templi, sed ne eo quidem tempore quo consarcinatum sit Thalmud. Respondeo, falsum esse, quod ex Abenezra citat. Adhæc Paulus Burgenfis qui Rabbinus Hebræorum fuit, hanc traditionem à Iudæis obseruatam fuisse disertè in additione ad Lyranum scribit, in Comment. cap. 26. Matthæi, ut iam de Murostero & alijs in Iudæorum Rabbinijs admodum versatis nihil dicam, qui etiam traditionem istam defendunt & probant.

Secundò obijcit Epiphanium, qui hæresi 30. & 51. innuere videtur, festum azymorum & Paschæ solennitatem apud Iudæos in quamlibet diem hebdomadæ tempore Christi incidere consueuisse. Respondeo, Epiphanium in eo falli. Nec mihi hoc vitio vertant Iesuitæ, quum ipsi quoque, quando & quotiescunq; libuerit, autoritatem eius non recipiant, quòd habeat in multis opiniones quasdam valde singulares & extraordinarias: verba sunt Franco- lini cap. 67. de Tempore horarū Canoniarum. Adhæc computum Iudæorum Epiphanium ignorasse tota eius historia testis est.

Tertiò, vitur contra hanc traditionem rationibus. Ecclesiæ Asiaticæ, inquit, in primitiua Ecclesiâ celebrabant Pascha eodem die quo Iudæi sui temporis. At Ecclesiæ illæ celebrabant Pascha lunâ decimaquartâ primî mensis, quacunq; die hebdomadæ illa incidisset. Ergò etiam Iudæi illius temporis Pascha celebrabant quolibet hebdomadæ die sine vlla exceptione: Deinde, ait, Epiphanium, Theophilum, Ambrosium & Bedam in expositione discriminis inter Pascha Christianorum, & Iudæorum ac Iudæizantium, indicare, Iudæos & Iudæizantes in ipsa decimaquarta lunâ celebrasse Pascha, etiamsi esset Dominica: ex hac obseruatione colligunt, Pascha Iudæorum tempore illorum Patrum aliquando incidisse in Dominicam diem, & diem festum azymorum in diem lunæ, & proinde nondum cepisse traditionem illam Iudaicam, quæ cauit, ne festum azymorum in die Lunæ, Mercurij & Veneris celebrari liceret. Ad has rationes breuiter respondeo ex Epiphanio, qui hæresi 70. dicit de Iudæis, quòd, quæ ad Paschatis obseruantiam pertineant, corruerint, & confusa sint apud ipsos omnia: & propterea non mirum est si tempore illo Pascha etiam 2. 4. & 6. lunâ celebrârunt.

Superest ut refellamus Bellarmini rationes, quibus probare vult, Christum passum in ipso die solenni Paschæ, & cœnam instituisse in profesto seu vigilia eius, & non anticipasse suum Pascha. Ad hoc probandum adducit PRIMO, testimonia ex Euangelistis. Matthæus capite 26. dicit, primâ die azymorum, accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: vbi vis paremus tibi comedere Pascha? Marcus cap. 14. ait: Primâ die azymorum, quando Pascha immolabant. Et Lucas cap. 22. inquit: Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. Hinc colligit, Christum Sacramentum instituisse die decimaquartâ, quo ad vesperam inchoabantur dies azymorum, & sequenti die, qui erat dies solennis azymorum, occisum fuisse. Respondeo, ad legem Dei, non ad Hebræorum consuetudinem & traditionem Euangelistæ in his verbis respiciunt: quemad-

Iesuitarum argumenta & eorum confutatio

1.



DE ORIGINE FESTORVM

modum nos etiam hodiè in numerandis annis & diebus mensum, veterem stylum Calendarij, neglecto nouo, obseruamus. Volunt igitur Euangelista indicare, Christum cum discipulis discussisse & agnum Paschalem comedisse pridie antequam pateretur, primâ die azymorum, lunâ decimaquartâ ad vesperam, sed secundum legem, quam Christus in omnibus adimpleuit: & per consequens crucifixus fuit ipso die festo Paschæ, hoc est, eo die quo iuxta legem Paschalis solennitas celebrari debuit: illâ tamen eadè dies fuit vigilia Paschæ, iuxta Iudæorū obseruationem, qui eâ die, quâ Christus fuit crucifixus, comederunt agnum Paschalem ad vesperam, iuxta Patrum constitutionem. Hanc fuisse mentem & sententiam Euangelistarum, non obscure ex ipsorum verbis probari potest. Lucas enim dicit, Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha, nimirum iuxta legem, quam Iudæi negligebant. Apud eundem Christus discipulis dicit: Euntes parate nobis Pascha: quasi diceret, nos iuxta legis mandatum celebrabimus Pascha, neglectâ Phariseorum constitutione. Et quum Marcus dicit, Quando Pascha immolabant, vult dicere, iuxta legem:

2.  
Explicatur Io-  
cus Ioan. 13.

SECUNDO, citat Ioannem, qui cap. 13. dicit, Ante diem festum sciens Iesus, quia venit hora, &c. his verbis affirmare Ioannem dicit, diem Passionis Christi fuisse illo anno solennem ac festam, ex quo necessario sequatur, vt die precedente agnum comederint. Respondeo, fuit festa secundum legem, sed non secundum traditionem & obseruationem Iudæorum. Et proinde non contra nos, vt Iesuita vult, sed pro nobis facit, quod Iudæ dixit Dominus, quod facis, fac citius: id enim Apostoli putârunt dictum illi esse, vt emeret quæ necessaria erant ad festum, quod die sequenti iuxta legem celebraturi essent. Possumus etiam alio modo respondere, loqui Ioannem de festo futuro Sabbathi die, non de festo immediate consequente eam ipsam noctem feriæ quintæ, in qua hæc Dominus loquebatur. Sic Moses scribens, Mortuus est Aram ante Thare patrem suum, non vult significare, mortuum esse die immediate precedente diè obitus Thare. At quo modo, inquit Iesuita, suspicari poterant Apostoli, tantâ festinatione opus esse in parandis ad festum necessarijs, si adhuc supererat totus dies sequens ante festi solennitatem? Sed quero vicissim ab ipso, vnde nam habeat, Apostolos suspicatos fuisse magnâ festinatione opus esse in parandis ad festum necessarijs? Hoc enim Ioannes non innuit, sed dicit, quosdam putasse, Iesum dixisse Iudæ, Eme ea quibus opus est nobis ad festum, aut egenis vt aliquid daret. Existimasse igitur Apostolos, vt vel citò, vel tardè hoc faciat Iudas, non dicit Ioannes.

3.  
Explicatur Io-  
cus Ioan. 18.

TERTIO, ex cap. 18. Ioannis adducit verba Iudæorum ad Pilatum dicentium: Nobis non licet interficere quenquam: his verbis, ait, significant, non licuisse id eis ob festum quod tunc agebatur. Nam alioquin licuisse eis alio tempore occidere blasphemos, patet ex cap. 7. Act. vbi Stephanum in Concilio iudicatum lapidârunt: & Act. 24. conqueruntur apud Felicem præsidem Syriæ, quod volentibus Paulum secundum legem suam interficere, Tribunus Lyfias violenter eum eripuerit de manibus ipsorum. Respondeo ex Chrysostomo, quem tamen Iesuita pro se citat. Is homil. 82 in Ioannem: Quomodo, inquit, hoc significabant? Non licet nobis interficere quenquam: aut dicit Euangelista, quoniam non pro Iudæis tantum, sed & pro gentibus erat moriturus: vel quod crucifigere eis non licebat. Quod si dicunt, non licere interimere, eo tempore intelligendum est: nam quod interemerunt & aliâ morte, argumento est Stephanus lapidatus: sed crucifigere eum desiderabant, vt mortis genus iactarent. Quibus vtiq; verbis nequaquam dicit, vt Iesuita vult, non licuisse Iudæis occidere Christum ob festum, sed eo tempore, quo nimirum subiecti erant Romanis, non licuisse eis crucifigere aliquem, qui scilicet non tantum contra Iudæos, sed etiam contra Romanos peccasse visus esset. Ita etiâ interpretatur hæc Iudæorum verba Cornel. Iansenius & ipse Pontificius, Gandauensis Episcopus. Pulcherrimè huic sententia consentiunt verba Ioannis quæ mox sequuntur. Facta hæc sunt, ait, vt adimpleretur sermo quem prædixerat Iesus, vt indicaret quâ morte esset obiturus. Negat Iesuita vim horum verborum in eo consistere, vt indicaret, quod genus mortis esset subiturus Christus, sed quod prædixerit,



prædixerit, se à Iudæis tradendum gentibus ad occidendum, & quòd gentes Christum sibi à Iudæis traditum essent suis manibus occisuræ, non Iudæi. Sed hoc manifestè pugnat cum verbis Apostoli, qui dicit, Christum indicare voluisse πρὸς τὰ ἔθνη, id est, quo genere mortis, non à quibus, esset occidendus. Respicit autem Euangelista ad verba Christi quæ leguntur Matth. 20. vbi dicit, Tradent eum (Christum) gentibus ad illudendum, flagellandum & crucifigendum. Dicit ergo, vt hic sermo impletur, Iudæi dixerunt, Nobis non licet interficere quenquam: quasi dicat, idè negarunt sibi licere occidere aliquè, quòd neminem ita possent occidere, sicut Romani occidebant, ipsiq; Christum occidi volebant, vt simul verba Christi implerentur, quæ de mortis suæ genere prædixerat.

QUARTO, citant verba Pilati, quæ habentur Ioannis 18. cap. Est autem consuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Pascha, &c. Hinc apparere volunt, dies Paschales iam tum agi cœpisse. Respondeo, Pascha vel Paschales dies duobus modis accipi. Vno propriè & strictè, pro septem diebus azymorum. Altero verò impropriè & latius, pro diebus illis, in quibus Pascha & azymum præparari præcipitur: & sic decima quoque mensis inter Paschales dies numerari poterit. Non autem hoc loco per Pascha ipsum diem solennem Paschatû intelligendum, ex reliquis Eûangelistis patet, qui hæc verba quasi interpretantes, nō habent ἐν τῷ Πάσχα, sed, κατὰ τὴν ἰορτῶν, hoc est, circa vel secundum festum Paschatû. Matthæus cap. 27. dicit: κατὰ τὴν ἰορτῶν εἰώθει ὁ ἡγεμὼν ἀπολύειν ἓνα τῶν ὀχλῶν δ' ἑσμιον: id est, Circa festum consueuerat Præses dimittere turbæ vnum vindictum. Ita & Marcus cap. 14. κατὰ ἰορτῶν ἀπέλυεν αὐτοῖς ἓνα δ' ἑσμιον: Et Lucas cap. 23. ἀνάγκη δὲ εἶχεν ἀπολύειν αὐτοῖς κατὰ ἰορτῶν ἓνα. Vnde intelligitur, non ipso solenni die, sed circa vel ante eum hoc fieri solitum fuisse.

4.  
Explicatur Io.  
cus Ioan. 18

QUINTO, adducit Patres, qui dicunt Christum die decima quartâ Pascha celebrasse. Respondeo, plerosque Patres velle dicere, Christum Pascha comedisse eâ die, quæ secundum legem, non secundum traditionem fuit decimaquarta. Eadem responsio dari potest ad multorum Patrum, quos citat, testimonia, vbi dicunt, Christum occisum ipso die solenni Paschatû, nam eo die quo Christus passus est secundum legem celebrari debuit Paschalis solennitas, iuxta traditionem verò fuit translata in sequentem diem. Cùm igitur Patres dicunt, Christum crucifixum fuisse in festo Paschæ Iudæorum, intelligi debes de festo Paschæ legitimo, iuxta legem à Christo & discipulis legitimè obseruato. Et sic passus est, & non passus in die festo Paschæ: passus iuxta legem: non passus est, iuxta traditionem seniorum quæ temporibus Christi obseruabatur.

5.

### Quoto die mensis Iuliani Christus passus sit.

QUOTO etiam die primi mensis Christus in cruce passus sit, varia ac discrepantes Theologorum sunt sententiæ. Theophilus Casariensis iuxta aliquos docuit, vicesimâ secundâ die Martij, scilicet 11. Calend. Aprilis hoc factum. Lactantius, Eusebius & Augustinus Serm. 22. de Tempore, putant, passum Seruatorem 23. die Martij, hoc est, 10. Calend. Aprilis, quibus astipulatur Beda libro de Ratione temporum capite 65. & libro de sex ætatibus mundi: vbi tamen hoc parùm firmâ ratione probare conatur, quòd nimirum eâdem die Deus cuncta animalia terrestria & hominem creauit, ac de latere dormientis Euam matrem omnium produxit: Vnde, inquit, meritò creditur, si non melior sententiâ vincit, eodem decimo Cal. Apr. die Dominum fuisse crucifixum. Decebat enim vnâ eâdemq; die non solum hebdomadis, sed & mensis secundum Adamum pro generis humani salute viuificâ morte sopitum de productis è latere suo cœlestibus sacramentis sponsam sibi ecclesiâ sanctificare, qua videlicet die primū Adamū humani generis patrē ipse creauerat, eiq; de latere costa tollens mulierē ædificauerat, cuius adiutorio humanū genus propagaret. Eandem sequuntur sententiâ Ado Viennensis in Breuiario Chron. Actate 1.

1.  
2.



DE ORIGINE FESTORVM

Anselmus lib. 2. de Imag. mundi, c. 17. Nicetas, Gerlandus Lotharingus, & quidam Galli, de quibus Beda in lib. de Ratione temporū c. 45. refert, quod Pascha suū celebrārent quocunq; die octauus Calend. Aprilium fuisset, quando Christum resurrexisse crediderint: quibus etiam annu-merat Middelburgensis parte 2. Paulina lib. 5. cap. 2. Thuscōs, & in Asia Montanos. Rrusus Anselmus, parum sibi constans, in cap. 27. Matthai dicit, Dominum crucifixum fuisse 12. Calend. April. id est, 10. die Martij. Et iuxta hanc computationem, inquit, inuenimus etiam eo tempore, id est, 10. Calend. April. Dēi filium resurrexisse à mortuis, quo tempore protoplastum Adam inuenimus esse formatum ex limo terræ. Epiphanius hæresi 50. contra Thesarescaecatitas, & hæresi 51. contra hæresim, quæ non suscipit Euangeli-um Ioannis & Apocalypsim, reiiciens eorum sententiam qui dicunt, Christum passum esse 25 die Martij, dicit, se ex multa certitudine cognouisse, Seruatorē passum esse die ante de-cimum tertium Calend. Aprilū, quod Hugolinus Martellus in libro de anni integra resti-tutione capite decimo nono, de decimo quarto Calend. April. hoc est, de decimo nono die Mar-tij, Francolinus autem de 20. Martij intelligit. Idem Epiphanius hæresi 50. testatur, se inue-nisse in Actis Pilati, ante decimum quintum Calend. April. passum Dominum, id est, die 18. Martij. Hugolinus Martellus loco citato refert ex Augustino, fuisse nonnullos, qui verum Passionis Dominica diem Nonis Martij, hoc est, 7. die Martij fuisse dicerent. Victorinus Aquitanicus, qui floruit circa annos Christi 460. putauit Christum cruci affixum septimā Cal. April. id est, 26. die Martij, authore Middelburg. par. 2. lib. 5. cap. 5. quem sequuti sunt plures alij, quorum meminit Beda de Rat. Temporum, cap. 59. & inter recentiores Franciscus Mau-rolycus in Martyrologio sub die 26. Martij, & Panuinius in Chron. anno Domini 34. Paulus Middelburgensis parte 2. Paulina lib. 14. cap. 2. longā hac de re disputatione habitā, tandem, o-mnibus aliorum sententijs reiectis, concludit, Christum passum esse tricesimā die Martij. Et hi quidem omnes in hoc consentiunt, Christum mense Marcio & quidem feriā sextā crucifixum fuisse: sed in quotum diem mensis feria illa sexta tunc incidere, controuertitur. Ne igitur erra-rent, pluribus in locis, præsertim in Italia sexta quaq; feria mensis Martij sacra & celebres habentur, ex Hilarij Pictauiensis Episcopi instituto, ut testatur Middelburgensis par. 2. Paulina lib. 5. cap. 1.

Sunt tamen alij qui in Aprili Christum mortuum esse velint, & quidem 4. Non. April. id est, die secundo Aprilis, Hugolino Martello teste libro de integra anni restitutione, capite 19. Sunt alij, qui Astronomicis supputationibus se inuestigasse putant, tertio Nonas April. qui ter-tius est eiusdem mensis, Dominum crucifixum. In hac sententia est Rogerus Bacon, Ioan-nes de Muris & Paulus Burgenis, teste Middelburgensi parte 2. Paulina lib. 5. cap. 9. & 11. Hos etiam sequitur Abulensis parte 2. Defensorij capite 16. Ioannes Lucidus in libro de vero die Passionis Christi, capite 9. Pontacus in Chronographia, Iosephus Zarlinus in libro Italico, de vero anno & die, quo crucifixus est Christus, & denique recentiores ferè omnes. Fuerunt etiam qui Christum passum esse dixerunt tertio Idus April. hoc est, die 11. Aprilis: & in hac o-pinione fuisse Ioannem de Monte Regio Middelburgen. indicat parte 2. libro 5. capite 1. & 12. Iosephus Scaliger in libro de Emendatione Temporum, & Henricus Vuolphius lib. 2. Chron. diem Passionis Dominica 23. Aprilis fuisse dicunt, suamq; sententiam euentissimis rationibus probant.

Hæc diuersitas sententiarum indenata est, quod dies Passionis Dominica, in scriptis A-postolorum & eorum qui Apostolos proximè sequuti sunt, expressus non inuenitur. Id verò non casu, sed singulari Dei consilio factum crediderim, ut tam alti & imperscrutabilis mysterij dies in obscuro esset. Sic enim reipsā docere voluit contra Pontificios, eorumq; superstitiones, quas iam tum prauidit, nullum diem & tempus alio sanctius habendum, & memoriam rerum olim pro generis humani redemptione gestarum, non sic certis temporibus & diebus alligatam seu af-fixam esse, ut non alio quàm illo ipso præcisè, quo gesta sunt, si maximè ex vsu Ecclesie esset, ipsaq; necessitas postularet, celebrare & colere liceret. Quod si hæc diligenter perpenderent Ie-suitæ,

suitæ,



suita, fateri cogentur, aut rem liberam esse dierum observationes, nec alium sacratioem esse alio, aut Ecclesiam in dubio esse, an memoriam Passionis Dominicae iam ultra 1500. annos sacro vel profano die celebrarit, nec ne.

Celebratur eodem die **MARIAE AEGYPTIACAE** memoria, quod tunc obiit, iuxta Petrum de Natalibus Legenda 24. lib. 4. nam alij ad diem 8. huius mensis referunt. Nata fuit ea Valentis & Valentiniani Imp. temporibus, quantum ex Sabellico & Bergomense constat, in Aegypto ex Christianis parentibus. Cum autem annum 12. aetatis attingisset, relictis parentibus, Alexandriam se contulit, ubi libidinum astu turpissimis modis corpus suum prostituit. Inde vero Hierosolymam cum ijs venit, qui ad diem festum Exaltationis Crucis commea- re eo pro consuetudine solerent, nulla necessitate coacta, nisi ut in magna peregrinantiu frequenta libidinem expleret. Hierosolymis tamen in templo compuncta, poenitentiam egit, & posteaquam in aede Ioannis Baptista ad Iordanem, Cœna Domini vsa fuisset, in desertum abiit: ubi per annos 47. extra omnium hominum consuetudinem vixit, nuda oberrans, & tenuissimo alimento victitans, corpusq; domans incredibili abstinentia, non tamen sine certaminibus, quod vitæ antea per 17. annos vix obliuisci posset. In eremo nullum unquam vidit hominem, nisi Zosimum monachum quendam Palaestinum, qui ex religionis suæ ritu deserta pererrans, in eam fortè incidit. Atque tandem post biennium ex eo tempore, quo in eam inciderat, mortua inuenta & sepulta est. Hæc de Maria Paulus quidam Diaconus Neapolitanus in vitis Patrum, & ex eo Iacobus de Voragine Legenda 54. Petrus de Natalibus Legenda 24. lib. 4. Fulgosius lib. 6. Marulus lib. 4. Sabellicus Exemplorum libro 2. & Enne. 7. alijq; referunt. Sunt autem reliqua narrationis eorum partes, non fabulis solum, sed & erroribus plena: ut quod beneficio Mariae virginis ad meliorem vitam conuersa, oraculis admonita, ac per omnem vitam gubernata & protecta sit. In quam sententiam habentur quaedam precation- ulla, quæ Christi merito excluso, ipsam etiam salutem D. Virgini acceptam referunt. Fabulis vero monachorum similia videntur, quod alimentum ei in deserto ad annos 17. præbuerint panes duo dimidiati: quod Iordanem pedibus siccis transierit: quod inter orandum, intra terram & cælum cubitali sublata altitudine à Zosimo visa sit, & tandem leonis immanissimi minist- rio sepulta.

Maria Aegy-  
ptiaca.

DE SABBATHO SANCTO Paschæ: ubi  
& de CEREIO Paschali, & eius  
benedictione.

III.

**E**Thic dies in vera primitiua Ecclesia ieiunij & orationibus, nec non vigilijs & laudibus Dei peragebatur. In quodam Codice Decretorum librorum sedecim cap. 6. lib. 14. indica- tur, in synodo Arausicana prima circa annum 441. sancitum, ut in Sabbatho sancto, seu, in vigilia Paschæ, ieiunium ante noctis initium non soluatur. Sed hoc decretum non extat inter canones huius synodi. In synodo vero Antistodorense canon. 11. præcipitur, Non li- cere in vigilia Paschæ, ante horam secundam noctis, vigiliam expedire. Per vigili- huius Paschæ meminit etiam Tertullianus libro secundo ad uxorem: idq; propterea celebra- tam putat Hieronymus, in cap. 25. Matthæi, quod ludæorum traditio sit, Christum me- diâ nocte venturum in similitudinem Aegyptij temporis. Vnde reor, inquit ille, & traditionem Apostolicam permanisse, ut in die vigiliarum Paschæ ante noctis di- midium populos dimittere non liceat, expectantes aduentum Christi, & post- quam illud tempus transierit securitate præsumptâ, festum cunctis agentibus di- em. Huius rationis meminit etiam Lactantius libro septimo diuinarum institutionum, capite decimo nono, ubi de his ipsis vigilijs loquitur: & Isidorus libro 6. Etymol. cap. 17. Alij hanc cau- sam vigiliarum ad mediam vsque noctem in Sabbatho hoc asserunt: Cum in reliquis totius an- ni Sabbathis nonnullæ Ecclesiæ ieiunarent, ut Romana & Occidentales aliqua, sicut est vi- dere de Consecrat. distinct. 3. c. Sabbatho, & in Concilio Elibert. capite vigesimo sexto, nonnullæ

Ritus hoc die  
olim obseruati.

M



DE ORIGINE FESTORVM

Verò non ieiunarent, vt omnes ferè Orientales, sicut patet ex can. 66. Apost. & Epistola quinta Ignatij ad Philippenses: in hoc tamen anniuersario Sabbatho omnes ieiunârunt, vt patet in can. 66. Apost. & Epist. 5. Ignatij, & lib. 5. Constitut. Apost. cap. 16. & lib. 7. cap. 24. & Epist. 19. Augustini ad Hieronymum. Ita autem ieiunârunt, vt ad medium vsque noctis ieiunium differrent, vt hoc prolixiore ieiunio, & aliquid specialius agerent, & dolorem, qui in cordibus Apostolorum illo die fuerat, plenius indicarent. Sunt tamen qui existiment, has vigilias ideò obseruari, quòd Christus mediâ nocte à mortuis resurrexerit.

Superstitiones  
hac die obser-  
uatz.

Progressu verò temporis in locum horum exercitiorum multe & varia superstitiones sunt inuecta. Primò namq; ignem veterem omnem in templis extinguunt, & nouum ex chalybe eliciunt ac consecrant. Deinde candelâ ceream magnam, quam Cereum Paschalem nominant, in templa hoc die ferunt, eumq; benedicunt, & de igni illo nouo accendunt. Hos ritus ita describit Thomas Naogeorgus lib. 4. Regni Papistici:

Ante diem Paschæ vetus aptè extinguitur ignis,  
Et nouus è silicum venis extruditur: illum  
Adiurat multis aduersum incommoda pastor.  
Cuius quisq; capit torrem molimine summo,  
Fertq; domum, vt quando tempestas ingruat atra,  
Succenso, cœli plagâ sit tutus ab omni.  
Cereus hinc ingens, Paschalis dictus, amœno  
Sacratu cantu: cui ne mysteria desint,  
Thurea compingunt, in facta foramina grana.  
Hic ad honorem ardet vinctis tartara Christi,  
Nocte dieq; quasi hoc ritu capiatur inani.

Prior ritus ex Ethnicismo sumptus videtur: quod etiam Cælius Rhodig. Lect. Antiq. lib. 8. cap. 35. facetur. Nam de Virginibus Vestalibus loquens, & illo igne quem custodiebant: Illud, inquit, scitu dignum est, & nostræ religioni consentaneum, quòd mense Martio quotannis innouabatur ignis in templo Vestæ. Gyraldus etiam de Dijs Syntag. 4. Extincto, ait, igne Vestales à Pontifice verberari solitæ: quibus mos erat tabulam felicis materiæ tandiu verberare, donec ignis conciperetur, qui cribro aheneo in ædem à virgine deferebatur: quotannis tamen & nouus ignis excitabatur à Vestalibus, sicut & à nostris in Cerei Paschalis consecratione. Alter ex quodam facto Constantini Magni ortus videtur: de eo siquidem Eusebius libro 4. vitæ Constantini refert, quòd Paschales illas vigilias lampadibus, luminibusq; decorâris, accendens per totam urbem xioyas, hoc est, columnas seu moles cereorum.

Cerei Pascha-  
lis benedictio-  
nem quis insti-  
tuerit.

Hunc tamen ritum benedicendi Cereum Paschalem Sabbatho sancto in Ecclesijs primò instituisse dicitur Zosimus Papa circiter annum Domini 420. vt de eo referunt Liber Pontificalis, Supplementum Chronicorum, Summa Conciliorum, Platina, Sabellicus Ennead. 7. lib. 9. & Panuinius, Sigebertus, Pontacus in Chronicis, Galefnius in Martyrologio die 26. Decemb. Alcuinus in lib. de diuinis officijs cap. de Sabbatho sancto Paschæ, Amalarius libro 1. de Ecclesiast. off. cap. 18. Rabanus de Institut. cleric. lib. 2. cap. 38. Vualafrius in lib. de rebus Ecclesiast. cap. 30. Microlog. in lib. de Ecclesiast. obser. cap. 53. Rupertus Tuitien. lib. 6. de diuin. off. cap. 28. Polydorus libro sexto capite septimo de Inuentione rerum. Martinus verò Polonus, Cranzius in Metrop. libro secundo, capite primo, Henricus de Erfordia, Volaterranus, Panibalsion & Balasus hoc inuentum Theodato, quem alij Theodoron, alij Theodoton appellant, & Honorio primo ascribunt: quorum hic Pontificatum tenuit anno 622. ille verò anno 615.

Cereus non be-  
nedictus in  
Gallicia.

Quicquid sit, illud constat per annos plus sexcentos à nato Christo non fuisse vsitatum in Gallicia lucernam & Cereum consecrare. Nam in Toletano Concilio quarto, capite octauo sub Honorio primo habito circa annum Domini 627. statuitur, vt propter vnitatem pacis, in illis etiam Ecclesijs ritus ille benedicendi institueretur.

Ex his



Ex his quoq; simul intelligitur, hymnum quintum apud Prudentium falsam habere in non nullis exemplaribus inscriptionem, Ad accensionem Cerei Paschalis. Zosimus enim, qui etiam multorum auctorum testimonio Cereum Paschalem primum instituit, ut de Theodato & Honorio nihil dicam, plus quadraginta annis post Prudentium Pontificatum tenuit. Accedit huic rationi etiam alia, quod nimirum omnes hymni Prudentij non sunt scripti pro certo aliquo die anni, sed sunt generales, & conueniunt titulo libri, qui est Cathemerinon, hoc est, Quotidianorum seu Diurnorum. Tertio, ordo quoq; hymnorum Prudentij hanc inscriptionem refellit. Nam post hymnos, ad gallicantum, ad matutinum ante cibum, post cibum, qui Matutino, Laudibus, Sexta & Nona rectissime assignari possunt, iusto ordine consequuntur hymni ad accensionem lucernæ, & ante somnum pro Vesperis, quæ est hora Lucernarum, & pro Completorio. Quare si vera esset inscriptio, hymnus ille non fuisset eo loco collocandus. Et propterea magis probanda inscriptio, quam hymnus hic in Aldi exemplaribus habet, Ad accensionem lucernæ. Error autem inde natus videtur, quod inter hymnos ecclesiasticos reperitur hymnus, posterioribus demum temporibus compositus, cum tali inscriptione, Ad accensionem Cerei Paschalis, pro Sabbatho sancto, qui ex hoc quinto Prudentij hymno totus desumptus est. Causa autem instituti huius ritus hæc est, ut sacra resurrectionis Christi mysterium, benedictione sanctificati huius luminis suscipiatur, sicut ca. 8. Toletani Concilij 4. indicatur. Cereus quoq; iste catechumenis baptizandis præferetur, & in manus datur baptizatis: nam quod olim verbis & doctrinâ monebant ac docebant, baptismum esse φωτισμόν, id est, illuminationem, id progressu temporis grandis hæc moles Cerei huius representare debuit.

Tertio, in baptisteria recens aqua infunditur & consecratur hoc die. Quibus autem ritibus id fiat Naogeorgus his versibus indicat lib. 4. Regni Papistici:

Post liquidas etiam baptismi consecrat undas  
 Vel præsul, vel præpositus: nec enim amplius illæ  
 Baptismo profunt, nec possunt tingere quenquam,  
 Præterito quarum valuit toto usus in anno.  
 Magnâ procedunt pompâ celebriq; paratu  
 Candelis, crucibus, vexillis, chrismate, oliuo:  
 Circumeunt fontem nouies, diuosq; precantur,  
 Fixi stant omnes tandem: mox incipit ille,  
 Et ter tangit aquam, crucis effingitq; figuras.  
 Grandia tum profert multa & plaustralia verba,  
 Sanosq; adiurat latices, & vexat ineptæ,  
 Dum studet & credit meliores reddere multo,  
 Omnipotentis quàm dextra ac benedictio fecit.  
 Post & candelam vexatas ponit in undas,  
 Terq; suo flatu turbat pridiana obolenti  
 Prandia, & infuso tandem vinctas chrismate reddidit.  
 Attonitus spectat populus, creditq; potentem  
 Undis vim tribui tanto adiurantis hiatu,  
 Atq; alijs, agitatur quas gens doctissima, nugis:  
 Allatis igitur vasis de fontibus haurit  
 Fertq; domum contra morbos, pecorisq; suisq;  
 Inde silent tabulæ, & campanis pristina dantur  
 Iura, simulq; suum capiunt ieiunia finem,

Quod si vera sunt quæ habet decretalis prima Alexandri I. ipse Alexander instituit primò consecrationem aqua baptismatis.

Quarto, hoc tantum die, extra casum necessitatis, baptizandum, Victor I. Papa instituit. Liber Conciliorum. Funccius in Comment. ad Chronol.

Quinto, statim post Baptismum hoc die confirmandum Clemens I. statuit: sed id postea

M 2

3.  
 Aqua in baptis-  
 terijs, & c. c. c. c. c.  
 cur.

4.

5.



DE ORIGINE FESTORVM

in sequens sabbatum translatus fuit. Durandus in Ration. libro sexto, capite octuagesimo quarto.

6. *Vltimò, in Sabbatho sancto ante Missam altaria rursus in Papatu cooperiuntur & ornantur: Missa aliter celebrantur: Campana pulsantur, dum cantatur, Gloria in excelsis, &c. nō lumen portatur ante Euangelium, sed incensum. Durandus in Ration. lib. 6. cap. 85.*

IV. RESURRECTIONIS Dominicæ dies, quo Christiani suum PASCHA celebrant.

Pascha Christiani in memoriam resurrectionis Christi feruant. Paschæ nomen cur retineant Christiani.

**P**aschatis festiuitatem, non in memoriam transitus angeli in Aegypto, Iudæorum morte & consuetudine, sed salutifera RESURRECTIONIS Dominicæ, Christiani obseruant ac celebrant. Et tamen retinent Paschatis nomen, non propterea solum, quod agnus ille, qui à Iudæis in Paschate olim occisus est, typus fuit agni illius Dei Iesu Christi, qui eo tempore, quo ille mactatus, pro salute totius mundi occisus est, sed, quod illo ipso tempore ex hoc mundo transiit ad patrem. Pasch enim seu Phase transitum significat: ut Augustinus docet in Psalmum 68. vel etiam quod tunc sit transitus factus de veteri vita in nouam, ut idem Pater epist. 119. scribit: quo etiã Paulus respexisse videtur 1. Cor. 5. inquit: Expurgate vetus fermentum, ut sitis noua conspersio. Christus namq, veterem hominem passione, nouum autem resurrectione significauit, ut ait Augustinus epist. 57. ad Dardanum.

Ostereu vnde.

Germani vocant Osteren voce corrupta ex *Ustehnde*, quod Resurrectionem significat. Alij tamen deriuant à Latina dictione Hostia, quæ est Christus, pro peccatis nostris immolatus. 1. Cor. 15. Vnde Paschales oblata, die Osterstaden, quæ olim hoc tempore parabantur, ab offerendis hostijs dicta. Alij ab Ost deducunt, quod Germanis est Oriens, vnde & Austria Osterench dicitur, quod in Oriente, vel orto sole surrexerit Christus. Angli vocant Eoster, & Aprilem mensem, in quo plerunque celebratur Pascha, Eostemonath: idq, à Dea quadam cui Teutonici populi in paganismo sacrificarunt mense Aprili, quæ Eoster fuit appellata, ut Gesnerus indicat in suo *Mitbridate ex Munstero*.

De Hora Resurrectionis Christi.

Hora resurrectionis Christi incerta.

**D**e tertiâ resurrexisse Christum à mortuis, extra controuersiam est, de eo siquidem certa & luculenta sacrarum literarum extant testimonia. Quemadmodum autem incertum est, quoto die mensis primi passus sit Dominus, sic necessario quoq, ignoratur, quoto die mensis, et quâ horâ diei à mortuis resurrexerit. Vnde Hieronymus epist. 150. ad Eudibiam, quæst. 6. dicit, quod Dominus resurrexerit horâ quâ ipse voluerit, & quæ nulli mortalium cognita sit. Quamuis igitur ei, qui resurrectionis Dominicæ horam inuestigare & perscrutari velit, quam Dominus absconditam esse voluit, rectissimè illud Syracidis dici possit, cap. 3. Altiora tene quæsieris, & fortiora tene scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus: Non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt oculis videre tuis, &c. Enumerabo tamen simpliciter Theologorum sententias, quæ multis iam annorum centurijs in Ecclesia hac de re fuerunt.

Theologorum sententia de tempore resurrectionis Christi.

Docuerunt igitur aliqui, Christum mediâ nocte resurrexisse, ex quorum numero est Athanasius, qui in lib. de Virginitate sic inquit: Mediâ nocte surgito, & laudato Dominum Deum tuum. In hac enim hora surrexit Dominus à mortuis. Hunc sequuti sunt Gregorius Nyssenus in 1. & 2. Orat. de Resurrectione Christi. Cyrillus libro 12. in Ioannem capite 44. Dionysius Alexand. in epistola ad Basilidam presbyterum. Victor Antioch. in cap. 16. Marci. Hieronymus quoq, epist. 150. & Ambrosius in illud Luca 24. Vnâ autem Sabbathâ valdè diluculo, &c. Nicophorus etiam lib. 1. hist. eccles. cap. 31. Denique Euthymius in cap. 28. Matthæi vbi dicit, quod omnes sancti Patres dicant vnanimè, resurrectionis Dominicæ tempus fuisse circa primum gallicinium, quod Dominici dies lucez



lucem prætulit: per quod nihil aliud intelligit, quàm media noctis tempus: paulò enim supra, ad verba illa, Vespere autem Sabbathi, &c. manifestè dicit, Omne diluculum post sextam horam noctis incipere, quando primùm galli canant, & hoc tempus etiam Matthæum innuere voluisse his verbis, Vespere autem Sabbathi, &c. Hanc etiam sententiam comprobare vult Nyssenus Orat. 2. de Resurrect. Christi, consuetudine veteris ecclesie, quâ in vigilia Paschæ, sicut etiam supra in Sabbatho sancto diximus, vsq; ad mediam noctem vigilârunt & ieiunârunt: in illo verò articulo temporis ieiunia soluerunt, quasi eâ ipsâ horâ Dominus resurrexisset. Hinc quoq; Euthymius, quum dixisset, omnes sanctos Patres vnanimiter docuisse, tempus resurrectionis Christi fuisse circa primum gallicinium, addit: Ideò quoque post sextam noctis horam virtutis sectatores soluto ieiunio lætitiã auspicantur.

D. Augustini verò sententia est libro 4. de Trinit. cap. 6. & in dialogo ad Orosium quest. 26. Dominum non mediã nocte, sed mane diluculo in aurora resurrexisse. Dicit enim quòd ab hora quâ mortuus est Christus, vsque ad diluculum resurrectionis sint horæ 40. adnumeratâ etiam horâ 9. mortis. A vespere autem sepulturæ vsque ad diluculum resurrectionis sunt 36. horæ. Augustino ad stipulari videtur etiam Hilarius in capit. 28. Matth. Ignatius epist. 2. ad Trallianos, Cyrillus Hierosolymit. Cateches. 14. Ambrosius in Psal. 45. Subscripserunt quoq; huic sententiæ Scholastici doctores ferè omnes, & Antoninus tit. 5. c. 7. in specie dicit, quòd Christus decimâ horâ noctis surrexerit: & probatur primò, Euangelistæ Marci testimonio, qui cap. 16. ait: Surgens autem Iesus MANE primâ Sabbathi apparuit primo Mariæ Magdalenæ. Secundo, vaticinijs Prophetarum. Dauid Psalm. 30. ait: Ad vespere demorabitur fletus, & ad matutinum lætitiã. Psalm. 57. Exurge gloria mea, exurgam diluculo. Psalm. 97. Exaltabo mane misericordiam tuam. Quæ omnia Augustinus de resurrectione Domini, quæ facta sit mane diluculo, exponit. Illud etiam Ionæ ultimo, Et parauit Deus vermem ascensu diluculi, Augustinus epistola 49. ad Deo gratias, quæstione vltimâ, de Christo interpretatur, qui & vermis dicatur Psalm. 21. & sit matutinus, quia diluculo resurrexerit. Luctam etiam, quæ in aurora facta est ab angelo cum Iacobo Gen. 32. resurrectioni Christi applicat Eusebius Emisenus homil. 8. in Pascha.

Ad Euthymij autem rationes, quibus probare vult, Dominum mediã nocte resurrexisse, respondent, PRIMO: falsum esse quòd dicat, omnes sanctos Patres asserere Christum surrexisse circa primum gallicinium. Nam in genere loquuntur de gallicinio, nec addunt primum ne an secundum fuerit: videntur tamen secundum potius, quàm primum intelligere, præsertim cum dicat Euthymius, Patres dicere, Christum surrexisse in gallicinio, quod lucem Dominicæ diei præferat, nam hoc non de primo gallicinio, quod circa mediam noctem incipit, sed de secundo, quod est in noctis vltima vigilia, intelligendum quiuis facile videt: & proinde illud primum de suo addidit Euthymius. Secundum quoq; gallicinium magis propriè & simpliciter, quàm primum, sic appellatur. Sic enim Vergilius in suo Moreto canit:

Iam nox hybernas bis quinq; peregerat horas,  
Excubitorq; diem cantu prædixerat ales.

Plinius etiam lib. 10. hist. natur. cap. 21. de gallis gallinaceis loquens, Cum sole, inquit, eunt cubitum, quartaq; castrensi vigiliã ad curas, laboremq; reuocant: nec Solis ortum incautis patiuntur obrepere, diemq; venientem nuntiant cantu. Accedit his omnibus Seruatoris auctoritas, qui Mar. 13. ait: Nescitis quando Dominus domus veniat, serò, an mediã nocte, an galli cantu, an mane: vbi manifestè inter tempus mediæ noctis, & gallicinij distinguit. SECUNDO, quòd Euthymius dicit, diluculum incipere post sextam horam noctis, Middelburgensis probat Par. 2. Paulinæ lib. 1. cap. 1. tempore resurrectionis Christi Hierosolymis diluculum hora cum dimidia ferè ante ortum Solis incepisse. Ad consuetudinem illam Ieiuniorum, quæ in veteri ecclesia multi statim post mediam noctem soluerunt, respondetur etiam dupliciter. PRIMO, multos quoq; vsq; ad quartam vigiliam ieiunasse. SE-

Primâ sententia refutatur.



DE ORIGINE FESTORVM

CVNDO, Ieiuniorum illorum Augustinus & Hieronymus non resurrectionem Domini, sed duas alias causas afferunt, vt in die Sabbathi sancti annotauimus.

De triduo sepulturæ, seu mortis Christi.

Quæstio de tri-  
duo sepulturæ.

**Q**uæritur hic quæstio, quædiu Christus in sepulchro manserit? Respondet quidem Dominus in Euangelio, tribus diebus, & tribus noctibus. Scribis enim & Pharisæis de cælo signum petentibus dicit, Signum non dabitur, nisi signum Ionæ Prophetæ: sicut enim Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus: Matth. 12. & Marci 8. Oportet Filium hominis pati multa, & reprobari à senioribus, & à summis Sacerdotibus, & à Scribis, & occidi, & POST tres dies resurgere. Iudæi autem hoc esse negant ex Euangelica historia: nam si die Veneris ad vesperam sepultus primâ sabbathi diluculo surrexit, triginta sex duntaxat horis in sepulchro mansit, quæ tres dies & tres noctes efficiere nequeunt.

1.  
Responsiones  
ad obiectam  
quæstionem.

Ad hanc quæstionem variè respondetur. Nonnulli pro prima nocte numerant illud spatium temporis trium horarum, quo tenebræ factæ sunt super vniuersam terram ab hora sexta vsq; ad horam nonam: vt refert Augustinus cap. 24. libro 3. de Consensu Euang. & Theophylactus in cap. 28. Matth. Reijcitur autem ab Augustino hæc solutio, quòd per illam integrum triduum non habeatur.

2. Gregorius Nyssenus Orat. 1. de Resurrect. Domini, & Theophylactus in cap. 28. Matth. computant tempus ab institutione Eucharistiæ. Dicitur, inquiunt, Christus fuisse in corde terræ, ex quo instituit sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in vltimâ cœna, quæ fuit in vespere post feriam quintam: nam cum ipse haberet potestatem ponendi animam suam, manifestum est, quòd tunc immolauerit seipsum, cum tradidit discipulis corpus suum: nemo enim quicquam edit, nisi præparatum & matatum sit Videntur autem verba Christi non mysticè et figuratè, sed simpliciter & secundum literam intelligenda.

3. Eusebius Emisenus in Serm. feria 4. post Dominicam 1. Quadragesimæ (si tamen eius sunt Sermones illi) numerat tempus, ex quo Christus in potestate Iudæorum fuit. Omnis enim captiuus, qui se mortem non enasurum scit, iam se mortuum dicit.

4. Beda in homilia vigiliæ Paschæ dicit, noctem resurrectionis Christi computari debere pro duabus noctibus, & tunc tres dies & tres noctes haberi, synecdochicè tamen. Nam, inquit, ab initio creationis mundi vsque ad Christi resurrectionem dies præcessit noctem: & nox præcessit diem. Sed hæc ratio falsa est: nam à principio mundi nox apud Iudæos præcessit diem, vt suo loco indicauimus, & paulò post in Augustini solutione rursum probabimus. Et hic ordo temporum in resurrectione Christi apud Christianos sic mutatus est, vt, contra quàm sentiat Beda, tunc dies præcedere inciperet noctem.

5. Ioannes Ferus Serm. 9. in Dominic. Paschæ, totum illud numerat tempus quod fuit ab hora sepulturæ vsq; ad vesperam post diem Dominicum, quando discipuli demùm crediderunt Christum surrexisse: vt licet actu non fuerit in corde terræ vsq; ad vesperam, fuerit tamen quantum ad existimationem discipulorum. Errare autem videtur Ferus, quòd verba Christi, In corde terræ, non vniuocè accipit, sed partim actu, partim opinione. Ad hæc verba illa Christus non dixerat Apostolis, sed Iudæis.

6. Middelburgensis igitur aliam solutionem affert lib. 1. de die passionis Dominicæ cap. 1. his præsuppositis: Parasceuen non semper significare feriam sextam hebdomadæ, quam nos diem Veneris vocamus, sed diem præcedentem quocumq; festum in quamcunq; feriam incidat. Deinde, Sabbathum non semper significare feriam sextam hebdomadæ, sed etiam alia festa in quamcunq; feriam incidant. Hinc infert ex Euangelica historia, Christum crucifixum fuisse in Pa-

in Pa-



in Parasceue Paschæ, seu in vigilia Paschæ, & resurrexisse vnâ Sabbathorum, hoc est, vno die-  
rum Paschalium. Pascha namq; Sabbathum vocatur, & septem diebus continuis celebratur, &  
omnes hi septem dies vocantur à Iudæis Sabbathæ, quia in eis ab omni seruilis opere quiescendum  
erat. Vult igitur Middelburgensis ex Euangelistis nil aliud haberi posse, nisi quòd Domi-  
nus crucifixus sit in vigilia Paschæ, & resurrexerit à mortuis vnâ Sabbathorum,  
hoc est, vno dierum paschalium: non specificando, neq; de primo, neq; de secun-  
do. Sed hanc sententiã multa refellunt. Primò, Omnes Euangelistæ testantur, Christũ sur-  
rexisse vnâ vel primâ Sabbathorũ Hieronymus autẽ aliq; Patres indicant, hac phrasi Hebraicã  
denotari primã diem septimanæ post Sabbathum. Respondit Middelburgensis, primã sabba-  
thi, vel vnã sabbathi id significare quidem: in Euangelio autem non haberi, vnâ Sabbathi,  
sed, vnâ Sabbathorum, quod non significet primam diem septimanæ, sed vnã festorum Pa-  
schalium. Respondeo tripliciter: Primò, Dies Sabbathi in singulari, & Sabbathorum in plu-  
rali idem significare, septimam scilicet diem, quæ Sabbathum dicitur, patet ex lib. 1. Machab.  
2. cap. vbi bis Sabbathorum nomen in plurali pro septima die hebdomadæ ponitur. Inierunt  
prælium in die Sabbathorum. Et, Non exhibimus, neq; faciemus verbum regis, vt  
polluamus diem Sabbathorum. Non autem intelligendum de die aliquo festorum Pa-  
schalium aut Tabernaculorum ex Iosepho intelligitur, qui hunc locum quasi interpretans in-  
quit: Quibus non accipientibus verba, confluxerunt die Sabbathorum: & sicut e-  
rant in speluncis, ibi eos atroci incendio cremauerunt, quum repugnare propter  
diem Sabbathorum noluissent, ne in malis suis honorem Sabbathi transgredi  
viderentur. Nam vacare in eo nobis legitimum est. Item, Matathias docuit eos &  
Sabbathis pugnare, dicens, vobis metipsis eritis hostes si legem obseruare volue-  
ritis, in illo die contra vos venientibus inimicis. Et exinde mansit consuetudo pu-  
gnandi, etiam si tali die bella consurgant. Vide etiam lib. 2. Machab. 15. cap. Secundò,  
Euangelista Marcus cap. vltimo manifestè dicit, ΑΥΑΣΑC ΑΡΩΙ ΑΡΩΤΗ ΣΑΒΒΑΤΟC, &c. quum  
resurrexisset Iesus mane primâ Sabbathi, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, &c.  
Factam autem hanc apparitionem ipso die resurrectionis, contra quàm vult Middelburgen-  
ex cap. 20. Ioannis clarè perspicitur. Tertiò apud Euangelistas σαββατων vocabulum hoc lo-  
co Septimanam significat: nam apud Hebræos hoc nomen in plurali numero in hac significatio-  
ne usurpatur, vt est videre Leuit. 23. v. 15. & 25. v. 8. Obijcit Middelburgensis, non posse dici,  
primam septimanarum. Respondeo, in lingua Latina non licet sic loqui, sed in Hebræa. Adhuc,  
iuxta Middelburgensis sententiam, defendi non posse, Christum crucifixum fuisse feriã 6. hoc  
est, die Veneris, & resurrexisse feriã primã, quam in memoriam rei iam cum Apostolorum tem-  
poribus Dominicam appellârunt, & de quo nemo vnquam ab initio nascentis ecclesiæ vsque  
ad hæc nostra tempora dubitauit. Vnde Beda in lib. de Rat. temp. cap. 45. & de Rat. comp. cap.  
17. inquit: Quòd Dominus feriã sextã crucem ascenderit, & vnâ Sabbathorum, id  
est die Dominicã resurrexerit à mortuis, nulli licet dubitare catholico, ne legi, quæ  
agnum Paschalem decimã quartã die mensis primi ad vesperam immolari præ-  
cipit, pariter & Euangelio, quod Dominum eadem vesperã tantum à Iudæis, &  
mane sextã feriã crucifixum, ac sepultum, primã Sabbathi resurrexisse perhibet,  
videatur incredulus.

D. Augustini igitur solutio omnium optima videtur, quæ per Synecdochen dies hos & noctes  
computat, vt pars pro toto accipiatur. Vult enim pater ille pro tertia nocte numerandam  
esse noctem illam quæ præcessit diem Veneris. Vnde libro tertio de Doctrina Christiana cap.  
trigesimo quinto, Synecdoches mentionem faciens, Hoc modo locutionis, inquit, quo si-  
gnificatur à parte totum, etiam illa de resurrectione Christi soluitur quæstio. Pars  
enim nouissima diei, quo passus est, nisi pro toto die accipiatur, id est, adiunctã e-  
tiam nocte præteritã, & nox in cuius parte vltima resurrexit, nisi dies totus acci-  
piatur, adiuncto scilicet illucescente die Dominico, non possunt esse tres die-  
es & tres noctes, quibus se in corde terræ prædixit futurum. Idem libro tertio



DE ORIGINE FESTORVM

de Consensu Euang. repetit. Meminit etiam solutionis huius epist. 49. ad Deo gratias lib. 4. de Trinit. cap. 6. & lib. 1. quæst. Euang. cap. 7. Hanc Augustini sententiam Patres, Scholastici & ferè recentiores Theologi omnes sequuntur. Reijciunt quidem à nonnullis tanquam infirma, quòd pro tertia nocte numerat noctem illam quæ præcessit diem Veneris, noctem enim illam ad diem sequentem Parasceues non pertinuisse: nam ab initio mundi vsq; ad resurrectionem Domini diem inchoasse ab ortu Solis, & finisse in fine noctis sequentis: diemq; artificialem præcessisse & noctem sequentem, ad significandum, quòd homo à luce gratia casurus esset in noctem culpæ: Beda in homil. vigilia Paschæ. Antoninus tit. 5. cap. 7. & alij. Sed hæc manifestè falsa sunt. Nam contrà, ab initio mundi dies naturales non (vt nunc fit) ab ortu Solis, ad alium ortum, sed à vespera ad vesperam, seu ab vno occasu Solis ad alium Iudæi computarunt. Priores enim existerunt tenebræ: & Deus iussit lucem de tenebris splendescere, vt ait Paulus. Moses etiam ordine illo creationem exprimit, vt dicat: Factum est vespere & mane dies vnus: idque sexies iterauit. Hinc factum est, vt etiam Sabbathi sanctificatio à vespere præcedentis diei iuxta legem inchoanda fuerit. Sic enim præcipitur Leuit. 23. A vespera vsq; ad vesperam quiescetis sabbatho vestro. Incipiebat autem vespera, vt docent Iudæi, à sexta hora post meridiem, quia primus occasus Solis in hanc incidit, si ab æquinoctio, Iudæorum more, annum numerare incipias. Et habet hæc solutio nullam prorsus difficultatem. Si enim pœtis & oratoribus mucrone pro gladio, tecto pro tota domo vti licuit, cur non filio Dei pari ratione parte diei artificialis pro tota die naturali vti licuisset?

Controuersia primitiue Ecclesiæ de die Paschali.

Apostoli ab initio obseruarunt Pascha cum Iudæis.

**A**postoli post mortem & resurrectionem Domini obseruarunt Pascha vnà cum Iudæis, cum quibus lunà decimã quartã, quacunq; feriã accidisset, agnum Paschalem comederunt: sicut etiam Sabbathum, neomenias, & reliqua ceremonialia cum Iudæis ab initio obseruarunt, vt Iudæos lucrifacerent, & ad fidem Christi paulatim allicerent. Vnde Paulus 1. Cor. 9. inquit: Quum liber essem ab omnibus, omnibus me ipsum seruum feci, vt plures lucrifaciam. Factus sum Iudæis vt Iudæus, vt Iudæos lucrifaciam: ijs qui sub lege sunt, vt si essem sub lege, vt eos qui sub lege sunt, lucrifaciam. Imò non solum Iudæos, sed aliquos ex gentibus quoq; circumcidi ab initio voluerunt. Sic enim Paulus Timotheum ex patre Ethnico natum circumcidit: & comam quam ex voto nutrierat, rotondit ex lege, Nazæorum more: & in hanc sententiam plura alia de Apostolis leguntur, Act. 21. & 22. cap.

Apostoli legalia impugnarunt.

Crescente verò fidelium numero, & corroboratã iam Christi fide, docuerunt Apostoli, non amplius obseruanda esse legalia, sed per aduentũ Christi, qui vera est mundi lux & iubar, umbras istas cessare debere, præsertim quum viderent falsos fratres ex Iudæis, obseruationem legis, tanquam necessariam ad salutem, postulare. Hac occasione festorum quoque, neomeniarum ac sabbathorum obseruationes Iudæicæ abrogata & immutata sunt. Ac cœperunt quidam Apostolorum alij, ex quorum numero est Ioannes & Philippus Euangelista, in Orientis partibus Pascha in memoriam Cœnæ Dominicæ celebrare, sed tamen more Iudæorum, decimã quartã die lunæ: id quod Polycarpum vidisse testatur Irenæus ad Victorem Rom. episcopum, vt est apud Eusebium lib. 5. cap. 26. Hos multi alij sequuti sunt viri pietate & doctrina præstantes, quos recenset Polycrates Asiæ Episcopus in epist. ad Victorem, apud Eusebium lib. eodem cap. 24.

Nonnulli Apostoli mutant tempus Paschæ

Alios autem Apostolos, Petrum & Paulum præcipue, in diem Dominicum, proximum post plenilunium primi mensis, propter Resurrectionis Dominicæ memoriam, Pascha reuocasse, epistola Theophili Casariensis apud Bedam lib. de Rat. temp. cap. 45. testatur, in qua scribit, Gallos in principio ecclesiæ semper Pascha celebrasse 25. Martij, quòd putarent Christum eo die resurrexisse. Cappadoces autem nonnulli, eodem die celebrarunt, sed propter aliam causam, nimirum: quòd Christum eo die passum fuisse, & ipso die passionis agendum Pascha crederent, vt refert Epiphanius hæresi 50.

Hæc



Hæc verò diuersitas diu non est obseruata, nedum à quoquam reprehensa. Neq; etiam inuenies Apostolos, & qui eos proximè sequuti sunt, vel de Paschate, vel de alijs festiuitatibus legem aliquam constituisse, quo nimirum tempore, quous die aut mense illæ celebrandæ, sed saluam & integram omnibus reliquerunt libertatem illam fidelium in huiusmodi adiaphoris, de qua Paulus loquitur Coloss. 2. Hoc Socrates historia ecclesiast. lib. 5. cap. 22. de diuersa Paschatis, aliorumq; rituum obseruatione prolixè disputans, clarè testatur. Vnde simul intelligitur, quantum huic constitutioni tribuendum sit, quæ lib. 5. cap. 18. Clementis, sub Apostolorum nomine extat. Sic enim legitur ibi: Oportet dies Paschæ celebrare post æquinoctium, cauentes, ne cum Iudæis festum agamus: quod ne fiat, obseruate subtiliter æquinoctium verni temporis, quod est vigesimâ secundâ mensis duodecimi, qui dicitur Disfrus, obseruantes vsq; ad vigesimum primæ lunæ, ne in aliam hebdomadam incidat quartus decimus lunæ, &c. Hæc cum Socratis & Nicephori testimonijs non congruunt, qui indicant, Apostolos de ferijs legem nullam dedisse. Hinc Bouius Episcopus Ostunensis in Scholijs ad Constitut. Apost. inquit: Hoc totum caput delendum, vt notum ac nouum. Quod luce clarius perspicui potest ex ea Epiphanijs disputatione, quâ vtitur aduersus Audianos, imitantes in Paschæ obseruatione Iudæorum consuetudinem. Ipsa etiam constitutio se prodit, & tantum non vocem emittens clamat, se nouam esse. Ait enim æquinoctium fieri die 22. mensis Disfri, hoc est, Martij. Perspicuum est autem, Christi tempore æquinoctium fuisse 25. Martij: tempore verò Anatolij Laodicensi episcopi, qui vixit Probo imperante, anno Domini 280. æquinoctij tempus retrocesserat tribus diebus, Solq; Arietem ingrediens, faciebat æquinoctium vernum 11. Calend. April. hoc est, 22. Martij, quod narrat Eusebius lib. 7. hist. Ecclesiast. Quare noua est constitutio, fortasse edita post Concilium Nicænum, in quo Paschæ obseruatio ad eam rationem redacta fuit, vt post æquinoctium vernum 14. lunâ obseruaretur, & die Dominicâ, quæ post plenilunium prima esset, Pascha celebraretur.

Diuersitas primitiuz ecclesie in celebratioe Pasche diu non fuit obseruata.

Durauit hæc libertas vsq; ad Pium Romanum Episcopum, qui circa annos Domini 147. claruit. Is, vt legitur epist. eius decretali 1. primus lege edixit, vt Pascha Dominicâ die celebraretur ab omnibus. Vt autem decerneret hoc, permotum eum aiunt Hermetis cuiusdam visione, cui apparuit angelus in pastorali habitu, eiq; præcepit, vt Pascha die Dominico post lunam decimam quartam obseruaretur. Habetur etiam de Consec. dist. 3. c. Noffs. et refertur à Martino Polono ac Durando in Ration. lib. 6. cap. 86.

Pius I. Pascha die Dominica celeb. andum lege lauxit.

Non tamen Asiatici Doctores hanc Pij constitutionem multum curarunt, sed semel receptam consuetudinem retinuerunt: fuitq; hæc res leniter & amicè ab initio inter veranq; partem agitata. Quemadmodum verò ex paruis scintillis sæpè maxima oriuntur incendia, ita hinc quoque factum est. Cùm enim successor Pij Anicetus decretum antecessoris insolentiùs contra Orientales vrgeret, venit vnicam hanc ob causam Romam Polycarpus, Ioannis Apostoli discipulus, ad componendum hoc dissidium. Cùm verò ijs ea de re non conueniret, neuter alterum condemnauit, & constitutum est, vt quisq; de Paschate suum morem serualet, eâ tamen lege, ne propter dissimilitudinem in ceremonia illa de obseruatione Paschatis, concordia Ecclesie rumpatur. QVIA NON oportet, propter ceremoniarum obseruantiam, rumpere fideliconsonantiam. Hæc ferè Eusebius lib. 5. hist. Ecclesiast. & Nicephorus lib. 12. cap. 33.

Asiatici Pij decretum non curarunt.

Post paucos annos imperantibus Marco Antonino Vero, & L. Aurelio Commodo, factâ persequutione ecclesie sub Sergio Proconsule Asia, in qua Polycarpus & Sagaris episcopi, vnâ cum duodecim discipulis, qui Laodiceâ Polycarpum sequuti erant, martyrio coronati sunt, rursum mota est hæc quaestio, dicentibus Laodicensibus, et alijs, Pascha celebrandum esse secundum traditionem Polycarpi, quam à Ioanne Euangelista didicerit: Eleutherius autem restitit & contradixit eis, Pijq; Pontificis sententiam confirmauit. Cùm verò contentio hæc diutius duraret. Melito Sardenis ecclesie Episcopus, qui propter regnum Dei eunuchum se fecerat, defensurus Asiaticorum sententiam, duobus libris Paschæ rationem conscripsit, & docuit, Pascha cele-

Certamen de Paschate.



DE ORIGINE FESTORVM

brandum esse quartâ decimâ lunâ secundum Ioannis Apostoli traditionem. Horum scriptis pro-  
uocatus & incitatus Clemens Alexandrinus & Origenis præceptor, Paschalis solennitatis  
canonem edidit, rogatus à fratribus, vt ea quæ à successoribus Apostolorum viuâ voce accepis-  
set, memoriæ commendaret, & iuxta Rom. Pontificum traditionem Pascha die Dominicâ ce-  
lebrandum esse docuit.

Circa annum verò 200. imperante Seuero Pertinace maioribus & pertinacioribus studijs  
ab vtriusq; partis hominibus hac controuersia agitata est. Victor enim Rom. Episc. in quadam  
synodo Romæ habita sanciuerat, vt Pascha die Dominicâ, à 14. die Martij vsq; ad 21.  
eiusdem mensis celebraretur: Hoc decretum ad diuersos orbis episcopos mittit, petens ne  
à Romana ecclesia diuersum sentiant. Habiti igitur sunt de hoc negotio diuersi Episcoporum  
conuentus in Casarea Palestina, in Gallia, Ponto, Achaia & apud Ostroenam. Decretum ha-  
rum synodorum omnium fuit commune, nullo vnquam alio die quàm Dominico, iuxta morem  
& consuetudinem Romana Ecclesia, Pascha celebrandum, eiusq; ieiunia solennia soluenda es-  
se, vt refert Euseb. lib. 5. cap. 23. & Niceph. lib. 12. cap. 33. In Asia verò alterius partis conuen-  
tus facti sunt, qui & decreuerunt, & rescripserunt Victori, se nolle à veteri consuetudine, obser-  
uatâ inde vsq; à Ioanne, Philippo, Polycarpo, alijsq; sanctissimis viris, ad vnus imperium &  
minas discedere: vt apparet ex Polycarpi, præcipui inter Asiaticos Episcopi, epistola, cuius  
fragmentum extat apud Eusebium lib. 5. cap. 24. & 25. & Nicephorum lib. 4. cap. 37. Furor  
igitur & irâ accensus Victor, & auctoritate superiorum Episcoporum ac synodorum munitus,  
totius Asia Episcopos excommunicauit, & ab ecclesiâ vnitatis exclusit: Eusebio teste lib. 5.  
cap. 25. & Nicephoro lib. 4. cap. 38. Et fuit hic primus Episcopus in quo mysterium iniquitatis  
manifestè agere cœpit. Displicuit hic præceptus furor plurimis Episcopis, alijsq; viris bonis et pijs,  
qui hortabantur eum, vt quæ pacis, vnitatis & dilectionis essent potius ageret & sentiret, Eu-  
sebio & Nicephoro iisdem locis testibus. Irenæus Lugdunensis Episcopus imprimis, qui Poly-  
carpi discipulus fuit, etsi cum Occidentalibus Ecclesijs sentiret, Pascha non cum Iudæis, sed  
more Ecclesiæ Roman. die Dominico celebrandum, Victorem tamen acrius repræhendit & ob-  
iurgauit, quòd tot tamq; præclaras Ecclesias Dei à fidei vnitatis rescidisset, eò quòd morem, sibi  
antiquitus traditum, & ab Apostolis acceptum, custodirent: vide verba eius apud Eusebium  
lib. 5. cap. 26. & Nicephorum lib. 4. cap. 39. Atq; hoc modo res & controuersia hæc paulum seda-  
ta fuit per Irenæum, & alios pacis amantes viros, hac conditione, vt qualibet pars suam reti-  
neret sententiam. Eusebius & Sozomenus lib. 7. cap. 19.

Certamen de  
Paschate res-  
nouatum.

Sed non diu hæc concordia durauit. Nam circa annum Domini 318. maxima denuò ortâ  
est contentio inter vtrâq; partem: quam quum molestè ferret religiosissimus Imperator Con-  
stantinus, ad concordiam & fidei vnitatem omnes hortatus est: & sperans hoc malum præoca-  
cupari posse antequam latius diffunderetur, Asiaticos primùm monuit, ne cum Iudæis parrici-  
dis, & iugulatoribus Domini nostri aliqua ipsis intercedat communio. Theodoretus lib. 1. cap.  
10. Verùm Asiatici literis Imperatoris non obtemperantes, in opinione sua pertinacius perseue-  
runt, asserentes modum observationis Paschæ à Ioanne Apostolo traditum nequaquam esse de-  
serendum. Neq; se Iudæorum Pascha, & veteris legis vmbra seruare, sed Pascha nouum à  
Christo Seruatore institutum, custodire. Constantinus verò grauissimè ferens Ecclesiæ diuisio-  
nem, misit ad eos Osium, celeberrimum Hispaniarum Episcopum, vt dissidentes conciliaret.  
Sed quum re infectâ Osius redisset, et synodi indicendæ necessitatē Arij vesania Imperatori im-  
posuisset, euenit, vt in Concilio M. Nicææ congregato, secundo loco dissimilitudo & controuer-  
sia de Paschate proposita, atq; etiam ad æqualitatem reducta fuerit. In eo namq; perpetuo decre-  
to constitutum fuit, vt die Dominico Paschæ festiuitas in omnibus omnium vbiq;  
terrarum ecclesijs celebraretur. Extat ea de re exemplum epistolæ proluxæ Constantini,  
quam ad omnes ecclesias & prouincias misit, apud Socratem lib. 1. cap. 9. & Theodoretum lib.  
1. cap. 10. Atq; hoc decretum confirmatum fuit in synodo Arelatensi 1. cap. 1. & Antiochena, cir-  
ca annum 344. cap. 1. & in hodiernum diem obseruatur in Ecclesia.

Ratio inueni-  
endi diem Pa-  
schalem.

Ad inueniendum autem diem Paschæ Concilium Nicænum constituit, primò, vt Pascha  
semper



semper celebraretur post diem 21. Martij: nam illo tempore Equinoctium vernalis hoc die fuit, & Pascha post equinoctium celebrari debet. Secundo, ut post diem 20. Martij expectaretur luna 14. & post eam diem quareretur Pascha. Nam Pascha celebrari debet à luna 15. vsq; ad 21. inclusiue. Et ad inueniendam lunam, aurei numeri Cyclum composuerunt. Vbiq; enim in Calendario (ut vocant) aureus numerus inuenitur illius anni, ibi est Nouilunium. Tertio, ut post lunam 14. occurrentem, post vicesimam diem Martij, expectaretur dies Dominica, & illa est Pascha. Ista verò regulæ, ut tunc temporis fuerunt optima, ita hodie fallunt, quando equinoctium non est 21. die Martij fixum, sed semper anticipat: nunc enim est 10. Martij. Vsu quoq; compertum est aureum numerum antiquum non amplius fideliter Nouilunium indicare. Cumque Ambrosij tempore, nata esset difficultas quædam, & ignoraretur, qua nam esset vera dies Pasche secundum Nicænum Concilium, vndiq; missæ sunt literæ Episcoporum vtrò citroque, & extat Ambrosij proluxa epistola 83. hac de re. Deinde cum circa annos 400. similis difficultas orta fuisset, Innocentius 1. ita scripsit ad Aurelium Carthaginensem: Quum in futuro anno ante diem 11. Cal. April. penè luna 16. colligatur: itemq; quum in ante diem quartum Calend. memoratarum veniat 23. existimauit 11. Calend., earundem die, festa paschalia celebranda: quoniam in vigesima tertia luna, nullum Pascha vnquam factum esse cognoscimus, &c. Monet quoq; Aurelium, ut ipse etiam, coactâ synodo, questionem illam discuteret, & ad se scriberet Concilij sententiam. Rursum tempore Leonis, quum eadem orta esset difficultas, scripsit de ea Leo Papa ad Imp. Martianum in hanc sententiam epist. 62. Ab vndecimo Calendarum April. vsq; in 10. Cal. Maiarum legitimum spatium celebrandi Pascha sit præfinitum. Intra quod omnium varietatum necessitas concludatur, ut Pascha Dominicum, nec prius possimus habere, nec tardius. Quod enim in decimum & in nonum Calend. Maiarum videtur nonnquam peruenisse festiuitas, quædam ratione defenditur. Quia etsi dies Resurrectionis vltra terminum videtur exisse, dies tamen passionis, limitem positum non videtur egressus. Ad octauum autem Calendarum Ma. Paschalem obseruantiam perducere, nimis insolens, & aperta transgressio est. Hæc Leo. Constat autem anno 1546. incidisse Pascha in 7. Calend. Martij, ut etiam testatur Surius monachus in marginalibus annotationibus ad epist. 62. Leonis. Eadem scripsit Leo ad Eudoxiam Augustam, ad Episcopos Gallie & Hispanie, & alios, ut est videre epist. 63. 64. 65. & 95. Africani quoq; Episcopi, ne in suis Ecclesijs hac in re varietas aliqua accidere posset, in Carthaginensi Concilio 3. anno 399. habito, decreuerunt, ut propter errorem omnes Episcopi obseruationem Paschalem ab Ecclesia Carthaginensi accipiant. Similiter in Carthaginen. synodo 5. anno 420. cap. 7. præcipitur, diem Paschæ formatarum subscriptione omnibus esse significandum: de Consec. dist. 3. placuit. Et in Concilio Bracaren. 2. anno 610. cap. 9. iniungitur Metropolitanis, ut ex diligenti collatione aliorum ante tres menses Epiphaniarum indagent tempus Paschatis, & deinde suis comprouincialibus indicent, & vno tempore celebrandum annuncient. Idem statuitur in Concilio Toletano 4. ca. 4. anno Domini 639. Et diu ante in Concilio Aurelianensi 4. circa Pelagij 1. tempora, ca. 1.

Nihilominus tamen hinc inde alterius partis manserunt reliquie, & Tessaresæ decæ titæ, Latine Quartodecimani appellati sunt: Nicephorus lib. 4. cap. 39. Fuerunt enim in Lydia sub Arcadio, ut actiones Concilij 1. Ephesini ostendunt. Fuisse & Ioanni Constantinopolitano Episcopo iisdem temporibus cum Quartodecimani certamina Socrates tradit lib. 6. cap. 11. Idem etiam testatur lib. 7. c. 79. de Nestorio Constantinopolitano Episcopo, quod per Asiam, Lydiam, & Cariam Quartodecimani multa mala intulerit. Sed & Philastrius qui claruit circa annos Christi 380. Trithemio teste, in hareson Catalogo refert, huius cõsuetudinis affectas in Galatia, Syria, Phrygia & Hierosolymis suâ adhuc ætate multos fuisse. Celebrata quoq; est synodus apud Laodiceâ Phrygiæ Pacatiana, authore Theodosio episcopo, anno 368. in cuius can. 7. tanquã hæretici excõmunicantur. Quartodecimani, nec prius recipi præcipitur, quàm omnem condemnent hæresim. Obserua quousq; processerit hæc cõtentio. Circa annũ quoq; 370. temporis op-

Certamen de  
Paschate non-  
dum sopitum.



DE ORIGINE FESTORVM

portunitatem naſti, per Martianũ Nouatianũ Valentiſ Imperatoris amicum, ſynodo Epiſcoporum in Pazenõ Bithyniæ vico conuocatã, Paſchaliſ ſolemnitatis rationem à B. Ioanne Apoſtolo ipſiſ traditam, minimè immutandam eſſe decernentes, regulam de Paſchæ obſeruatione tradiderunt, vel lunã decimã quartã, quacunq; feria accidiffet, Paſchaliſ obſeruetur ſolemnitas. Poſt aliquot annos Martiano iſto Nouatianorum iam factõ Epiſcopo, Sabbatiuſ quidam, ex Iudæo Chriſtianuſ factuſ, vnã cum Macario & Theodõſto canonem feſtiuitatis Paſchaliſ ſub Valente Imp. in Pazenõ conſtitutum, defendere conati ſunt. Martianuſ itaq; ſynodum in Sangario Bithyniæ conuocauit, in qua Sabbatiuſ cauſas diſſenſionis propoſuit, & omnium Epiſcoporum conſenſu, decretum editum fuit, quod appellârunt *Adſequeſ*, quia in eo ſtatuertur, liberum cuiq; eſſe debere, agere Paſcha quandõ velit, ne propter opinionum contrarietatem, & eccleſiarum diſcrepantiã, fidei vnitas diſſolueretur. Socrates libro quinto, capite vigefimo primo, & in Tripart. hiſt. libro 9. capit. 37. & Nicephoruſ libro 12. cap. 31.

Britanni quoq; & Scoti apud Bedam lib. 3. hiſtorie cap. 25. & lib. 5. cap. 22. Paſcha celebrabant prima Dominica poſt lunam decimã tertiam Martij, ita vt aliquandõ ipſi 14. lunã Paſcha celebrarent. Ac licet in hoc neq; Iudæis, neq; Chriſtianis conſentirent: nam Iudæis primuſ dieſ ſolemnis erat luna 15. ſed incipiebant feſtum à veſpera precedente, id eſt, luna 14. ad veſperam, iſtiſ autem primuſ dieſ ſolemnis erat decimuſ quartuſ, & cum etiam ipſi inciperent à primis veſperis, neceſſariõ incipiebant luna 13. nihilominuſ tamen ex imperitia exiſtimabant ita S. Ioannem celebrare ſolituſ. Hoc igitur Auguſtinuſ, Benedictini Ordiniſ Monachuſ à Gregorio Papa anno Domini 597. cum cohorte militum Gallorum & Italorum in Britanniam miſſuſ, vt eam Romano Pontifici lucretur, & ei긑 quaſtuoſa ac ſuperſtitioſa iuriſdictioni ſubijciat, repræhendit, ac conuocatã ſynodo inter alia etiam poſtulauit, vt Paſcha eodem tempore quo Romani celebrarent. Sed tunc conatuſ ei긑 irrituſ fuit, Britannis aliquandiu Aſianas & Græcas ceremonias retinentibuſ. Auguſtinuſ igitur atrox bellum concitauit, & libertatem ſuam eccleſiaſticam defendentes atrociter perſequutuſ eſt. Poſt aliquot annos Honoriuſ Papa ſuoſ vultureſ in Angliã literis iuuat, & Scotoſ, vt in Paſchatiſ obſeruatione erranteſ, redarguit: idem etiam Ioanneſ 4. facit. Regino lib. 1. Facta ſunt hæc circa annuſ 627. iuxta Bedam, qui zum temporis errorem hunc exortuſ dicit. Moti ſunt igitur hiſ literiſ & terriculamentis Pontificuſ Rom. Scoti in Auſtralibuſ Hyberniæ partibuſ, vt Romano more Paſcha obſeruent: Septentrionaleſ verõ, & vniuerſi Piſtones, in veteri conſuetudine perſeuerârunt. Beda lib. 3. cap. 3. Cũ igitur controuerſia hæc inter parteſ componi nequaquam poſſet, ſed acerbuſ validiuſq; ſubindè agitaretur, adeõ vt ipſam etiam regiam infeſtaret: (nam cũ Rex Oſuuinuſ cum ſuiſ Scotorum more Paſchatiſ feſtum celebraret, regina verõ Cantuariuſ ſuoſ ſequens, adhuc in Ieiunio perſiſteret, ſicq; biſ ageretur Paſcha in vno anno) Rex, vt huic malo occurreret, ſynodum indixit, in qua duo potiſſimuſ viri Colmannuſ Lindiſfarnenſiſ Epiſcopuſ, & Vuilfriduſ abbaſ pro vtraq; parte non ſine contentione diſputârunt. Scoti affirmabant, ſe conſuetudinem ſuam à Ioanne Apoſtolo per ſuoſ maiores accepiſſe. Pontificij è contra Petruſ ſui moriſ authorem faciebant. Ac multuſ quidem vltro citroq; allatiſ, tandem ab Oſuuiño rege concluſuſ eſt, ſe parteſ Petri potioreſ & melioreſ iudicare, ne ſibi aliquando ad cælum venienti offenſuſ foreſ claudat. Sicq; repudiatã Scotorum conſuetudine, Romano more apud Northanymbroſ Paſcha celebrari cœpit. Sed Colmannuſ cum ſuiſ aſſentiri noluit, & poti긑 Epiſcopatuſ ceſſit: congeſit etiam ex antiquorum ſententijs & diſtiſ libruſ contra ceremonialeſ Romanuſtaſ pro ſocijſ Quartodecimanis, Balæo teſte. Facta ſunt hæc anno 664. Beda lib. 3. cap. 25. & 26. & Siebertuſ in Chronico. Circa annuſ Chriſti 700. Naitanuſ etiam Piſtorum Rex in Pontificiorum conceſſit ſententiã, & in conſeſſu doctõrum & procerum decretuſ facit de Paſchate ſecunduſ Romanam conſuetudinẽ celebrando, Beda lib. 5. cap. 22. Non multo poſt quoq; Huenſeſ monachi, ab Ecberto inſtituti, ſub abbate Duumchado, anno Domini 728. Romano more Paſcha celebrare incipiunt, Beda lib. 5. cap. 23. Britoneſ verõ Paſcha Romanuſ & aliaſ ceremoniãſ pontificiaſ reſpuerunt, & impugnârunt, Beda lib. 5. cap. 24.

Inter



Inter hos ipsos etiam, qui Pascha iuxta Niceni Concilij decretum obseruauerunt, discordie & dissensiones exorta sunt: quod in quarta decima lune perscrutatione, & primi mensis terminatione saepenumero variarent, propter varietatem Calendarij, & Cyclorum, quibus pro quarta decima luna indaganda utebantur. Alexandrini enim, qui Nicenae synodo interfuerunt, nouum cyclum lunarem, quem decennoualsm vocant, Calendario suo coaptantes, à 4. Cal. Sept. principium eius statuerunt, & à primo anno post Nicenam synodum eum inchoauerunt. Latini vero, iuxta consuetudinem suam, quam ab Hebraeis acceperant, à lunatione autumnalis aequinoctij hunc Cyclum deduxerunt. Ex hac Cyclorum & Calendarij diuersitate, multae inter Graecos & Latinos contentiones ortae sunt, ex quibus etiam aliae controuersiae indies pullularunt, tum de primi mensis exordio, quem Alexandrini & Graeci ab 8. Id. Martij, sed Latini à 3. Non. Martij auspiciandum duxerunt: tum de terminis Paschae, siue limitibus constituendis, quos Graeci ad dies 35. extenderunt: Latini autem ad 30. duntaxat dies limitandos putauerunt, ne Pascha primi mensis terminos excedat, & abominosum Pascha in secundo mense fiat: tum etiam de embolismis collocandis potissimum in anno octauo, & decimo nono Cycli Decennoualsis. Post multas contentiones ecclesia Romana tandem approbavit doctrinam Alexandrinorum, & recepit Canones per Theophilum Alexandrinum aditos, iuxta declarationem Dionisij abbatis Romani, qui circa annum Domini 532. Victorini & Latinorum de Pascha celebratione scripta confutans, Alexandrinorum doctrinam in usum reuocauit, cyclumque Decennoualem Paschalem Theophili Romano Calendario inscripsit, nullam in eo mutationem factam, nisi quantum supputationis ratio exposulabat, propter diuersa Calendariorum principia: quamobrem necesse fuit mutare denominationes numerorum à 4. Cal. Sept. usque ad principium Ianuarij.

### Ritus celebrandi Paschalem diem.

**C**elebrabatur Pascha in veteri Testamento non tantum propter memoriam liberationis ex Aegypto, aliorumque beneficiorum, quae Deus populo suo olim praestiterat: sed imprimis, quia typus erat Messiae, qui suo sanguine genus humanum à captiuitate & tyrannide peccati, mortis, diaboli & inferni liberare debebat. Quo etiam Ioannes Baptista respexit, inquit: Hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Abrogauit autem Christus hanc ceremoniam non solum institutione caenae Dominicae, in qua corpus & sanguinem suum comedendum & bibendum propinat, sed etiam profusione sui sanguinis in ara crucis. Ideoque post Christi resurrectionem credentes non amplius Iudaico ritu Paschalem agnum mactauerunt & comederunt, sed eius loco caenam Dominicam celebrauerunt in publicis congressibus, in quibus etiam Resurrectionis memoriam decantauerunt, & ieiunia praecedentis hebdomadae soluerunt. Fuit hic simplex ritus primitiuae Ecclesiae in celebratione diei Paschalis: cuius etiam meminit Athanasius in epistola ad Dracontium, ubi indicat, in Africanis ecclesijs hoc ritu suo tempore celebratum esse Pascha, ut primò conciones de resurrectione Domini ad coetus collectos habitae sint, postea verò ad epulas populus confederit, inspiciente & praecipiente episcopo, ut religiosè & ritè epularentur. Et in Aurelianensi synodo ca. 27. sancitur, ut nulli ciuium Paschae, sicut Natalis Domini & Quadragesimae solennia, in villa liceat celebrare, nisi quem infirmitas impediatur. De Consec. dist. 3. Nulli ciuium.

Progressu verò temporis varij abusus & superstitiones accesserunt. Innocentius III. enim anno 1215. in Concilio Lateranensi M. decreuit, ut omnes fideles vtriusque sexus in anno semel saltem, nempe in Paschate, Eucharistiae sacramentum percipiant: Et hinc est, quod in Papatu vulgus in Paschate tantum communicat. Hac autem de re nihil vel Christus vel Apostoli definiuerunt, sed liberum reliquerunt in cuiusque ecclesiae arbitrio. Nam Christus, Paulo auctore 1. Cor. 11. dixit, Hoc facite, quotiescunque biberitis, in mei commemorationem. Ipse quoque Paulus eodem loco ait, Quotiescunque comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis. Hinc legimus nonnullos

Caenam Domini loco Paschae celebrant in primitiua ecclesia.

Superstitiones quae hac die introductae.

le

N



DE ORIGINE FESTORVM

in primitiua Ecclesia singulis diebus, alios die tantum Dominicâ per totum annum, plures in celebrioribus festis communicâsse. Et manifestè Agathensis synodus diu ante Innocentium decreuit, vt Laici, qui festo Paschæ, Pentecostes & Natiuitatis Domini non communicâssent, in numero fidelium non haberentur.

2. Romæ quoq; hac die fit Statio apud S. Mariam maiorem. Hoc inde sumpsit originem, quòd cum Gregorius I. Papa hac die ibi celebraret Missam, & Pax Domini, pronuntiaret, angelus altâ voce respondit, Et cum Spiritu tuo: in huius rei memoriam Statio eâ die fit dicto loco. Propterea etiam cum Papa hac die ibi Missam celebrat, & dicit, Pax Domini, nihil ei respondetur. Ita quidem nugatur Durandus in Ration. lib. 6. cap. 88. Ergo ante Gregorium annos plus minus 590. à nato Christo hac ceremonia nusquam fuit.

3. Processionum origo in Dominicis.

Ante Missam etiam huius diei fit Processio, eò quòd angeli dixerunt mulieribus, Ite, discite discipulis, quòd præcedat vos in Galilæam. Similiter etiam Dominus, Nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam. Ab hac Processione omnes Dominicales Processiones per annum originem suam habent. In ea præcedunt luminaria, cruces & vexilla: sequuntur sacerdotes albis induti vestibus: & nihil ex Veteri, sed Nouo tantum Testamento cantatur. Post Processionem sequitur Missa, & tres cerei ante altare ardere consueuerunt, ad Trinitatem significandam, vt ibidem Durandus refert.

4. In die quoq; Paschali nihil comedendum arbitrantur Papista, quòd à sacerdote non sit prius benedictum. Vnde in quibusdam locis, quæcunq; comedi debent ad ecclesiam portantur, & in atrio aut vestibulo ecclesie cum cruce & aqua benedicta, & in vestibus sacris à sacerdote benedicuntur, & ipse de singulis aliquid ad suam necessitatem accipit. Belet in Rationali cap. 118. Et multi hos benedictos cibos tanquam ad salutem animarum vtiles emunt: quòd tamen prohibitum fuit in Laodicensi synodo, ca. 14.

5. In quibusdam etiam locis hac die, sicut & in Natali Christi, Episcopi alijq; Præsules cum suis Clericis aleis ludunt vel etiam pilâ, interdum etiam ad choreas & cantus deueniunt, vt refert Durandus in Ration. lib. 6. cap. 86. & Belet ca. 120. Faciunt hoc ad Echnicorum imitationem, apud quos certo tempore anni serui cum dominis eadem potestate fruebantur. Exempla aliquot Græcorum ab Athenæo recitantur lib. 4. Dipnosoph. Apud Romanos quoq; Saturnaliorum diebus moris fuit, vt domini famulos suos conuiuio exciperent, ipsiq; seruorum officia fungerentur. Reprehendit autem Athenæus lib. 6. hunc morem & consuetudinem, minimeq; (vt etiam Plato lib. 6. de Legibus) dominos cum seruis & ancillis suis iocari atq; nugari, ne & illis parendi serui seruiendiq; & sibi imperandi conditionem difficiliorem reddant. Quantò minus hoc Christianorum episcopos & antistites decet, præsertim in Paschate & Natali Domini, quandò maximarum rerum memoria celebratur?

6. Quidam Hyberniæ populi arbitrati sunt, obsequium se præstare Deo, si per anni circulum furto & rapinâ congererent, quæ in Paschali solennitate profusissimis, tanquam ad honorem resurgentis Domini, absumerent conuiujs: fuitq; inter eos vrgens concertatio, ne fortè quis ab alio immoderatissimis ferculorum præparationibus vinceretur, vt referunt Magdeburgenses Cent. 12. cap. 6.

7. Constantinopoli quoq; in die Paschali Tarasius Archiepiscopus finitâ communionis, sacris indutus vestibus, ad basilicæ veteris locum, qui dicebatur Estia, exibat, & egentibus parabat conuiuium, eisq; discumbentibus ministrabat, & vinum infundebat ac distribuebat, vt refert Ignatius in vita eius apud Metaphrastem.

De Rifu Paschali.

**A**Bijs verò lætitiæ signis, quæ in Memoriam Resurrectionis Dominicæ in die Paschali edebantur, sine dubio consuetudo illa in plurimis Pontificijs Ecclesijs originem sumpsit, quâ in ipso sacrosancto die Paschæ inter concionandû, ad recreandum auditorû animos & risum excitandum, quum nullo vnquam tempore nos magis oporteret esse serios profanæ & ludicræ



ludicra proferuntur fabellæ ab ipsis sacerdotibus, haud aliter quàm à scenicis histrionibus & circulatoribus. De qua consuetudine Oecolampadius in Epistola ad Capitonem de Risu Paschali, Hunc morem, ait, tanquam sacrum custoditurus frater quidam, magno satis ineruditæ plebeculæ plausu deblatterabat tam ridicula deliramenta, vt me pudeat eiusmodi nugis chartas commaculare, nē aures pias offendam. Eum ego hominem non multo post conueni, rationem requirens, vnde mos ille inoleuisset, an Paschalibus gaudijs dignus, an ab Apostolis in has vsq; temporum feces profluxisset. Admonuit is me inscitiae meæ, qui pulcherrimam, concionatoricq; in primis necessariam τῆς ὀρθοπραξίας virtutem ignorarem. In Paschali die non tam serium esse oportere concionatorem. Sequenti die in conuiuio multorum exposui disputationem nostram: cœperuntq; & sodales ridiculas geras memoriter singuli per censere, quas alij alijs in locis audierant, eo ipso die scilicet. Vnus, instar cuculi, placentulis in caua salice deuoratis cucullabat: alius fimo bubulo incubans, tanquam vitulum producturus, appropiantes sibilis more anserum abigebat: alius Laicum vnâ nocte cucullo indutum, sacerdotem esse persuadebat, & ad altare trans mittebat. Ita commemorabant, vt ante oculos rem depingerent. Aderat & qui D. Petri strophas narraret, quibus hospites symbolis nauis defraudârit: Obsceniores missas facio. Rogante autem me, num quid & allegorías tenerent: subito repressus est clamor: nulli in numero erat quod responderet. Vix tandem senior ait, audisse se ex concionatoribus, non id tum agere eos, vt mysteria euoluant, sed ne non festiui & cōmes auditorium exhilarent.

Hunc autem morem grauissimè Oecolampadius in illa epistola perstringit. Et nē quis putaret sibi soli displicuisse, inter alia dicit, se vidisse grauissimos viros alioqui Verbi diuini non indiligentes auditores, eâ horâ domi delituisse, ne talibus nugis contaminarentur. Vidi quoq; ait, et viderunt mecum alij permulti, nonnullos, ridentibus alijs concionatoris ineptias, indignabundos tam auditorium quàm concionatorem reliquisse. Adducit etiam Ioannis Keyserbergij, similiter hunc ritum detestantis, verba, ex ipsius Catulo Peregrini, quæ sic habent: Quid est hoc quòd tempore Paschali inualuit corruptela, vt ad risum & leuitatem populus per quosdam prædicatores ridendos, cum excessu nimio etiam prouocatur: Planè deuotionem, quàm prius conceperant, prorsus extinguentes. Profectò in talium labijs mors est.

Contra Risum Paschalem.

#### DE QVINGVAGESIMA intra Pascha & Pentecosten.

**D**ies illi quinquaginta intra Pascha & Pentecosten omnes festiui olim fuerunt Christianis. Hoc inde colligitur, quòd Tertullianus in libro de Idololatria dicit: Si singulæ gentium solennitates numerentur, non possent implere nostram Pentecosten, hoc est, quinquaginta illos dies festos à die Paschæ in Pentecosten. Et Hieronymus ad Lucinũ Epist. 28. cum dixisset, Vtinã omni tempore ieiunare possemus, addit: Nec hoc dico, quòd Dominicis diebus ieiunandum putem, & contextas quinquaginta diebus ferias auferam. Et Ambrosius in cap. 17. Luc. inquit: Maiores tradidere nobis, omnes quinquaginta dies Pentecosten, vt Pascha celebrandos, quia octaua hebdomadis initium Pentecosten facit. Et Sermone 60. dicit: Istorum quinquaginta dierum iugem & continuatam esse festiuitatem, qualis est die Dominicâ. Et Serm. 61. ait. Instar Dominicæ, tota quinquaginta dierum curricula celebrantur, & omnes isti dies veluti Dominiçi deputantur, cum post Resurrectionem totâ Quinquagesimâ Christus cum hominibus commoratus sit. Chrysostomus quoq; hos quinquaginta dies festiuitatem sanctorum dierum nominat, & dies esse remissionis ac indulgentiæ ait: monet præterea suos auditores, vt ita eam festiuitatem agant, ne relaxatione corporum puritas corrumpatur animorum: abstineant ab omni luxu, ebrietate, la-

Quinquagesima olim tota festiua.



DE ORIGINE FESTORVM

sciuiã, & dent operam sobriæ remissioni, ac sanctæ sinceritati: idẽ deberi non modò utilitati ac saluti ipsorum, sed etiam ipsi festiuitati ac tempori: *Serm. 8. de Resurrectione.*

Quinquagesima quomodo celebrata.

Propter honorem autem & gaudium resurrectionis, & ascensionis Domini, nec non propter gloriosum sancti Spiritus aduentum hos dies cum magna læticia egerunt instar Dominicæ diei. Vnde etiam toto tempore, sicut die Dominicâ, non ieiunârunt, nec de geniculis, sed stantes adorârunt, vt indicat *Tertullianus lib. de Corona militis*, item *Hieronymus aduersus Montanos & Luciferianos*. Et *Ambrosius Serm. 61. ait*: Scire debet vestra sanctitas, cur istorum quinquaginta dierum numero sit nobis iugis & continuata festiuitas, ita vt hoc omni tempore, neq; ad obseruandum indicamus ieiunia, neq; ad exorandum Deum genuis succidamus, sed sicut Dominicâ solemus facere, erecti & feriatu resurrectionem Domini celebramus. Item, Sic disposuit Dominus, vt sicut eius passione in Quadragesimæ ieiunijs contristamur, ita eius resurrectione in Quinquagesimæ ferijs lætaremur. Eadem etiam refert *Durandus in Ration lib. 6. cap. 86. & habentur distinct. 76. Scire. In conuentibus etiam horum dierum in hymnis & canticis Alleluia in signum lætitiæ utebantur*, vt indicat *Augustinus Tractatu 17. in 5. cap. Ioannis*; item *Epist. 86 ad Casulanum*, & *Epist. 119.*

Quinquagesimæ origo.

*Hilaris in Prologo explanationis Psalmorum solennitatis huius Apostolos authores quodammodo facere videtur, sic enim ait*: Sabbathath Sabbathorum eã ab Apostolis religione celebrata sunt, vt his Quinquagesimæ diebus nullus neq; in terra strato corpore adoret, neq; ieiunio festiuitatem huius beatitudinis impediatur. *Tertullianus autem de Corona militis numerat hanc festiuitatem inter illa, quæ sine vllius scripturæ testimonio, solius traditionis titulo, & consuetudinis patrocinio recepta fuerint. Et habuisse hanc solennitatem, vt etiam alias, liberas obseruationes, id probat satis, quòd iam pridem sublata est penitus: nam & ieiunia sequentibus seculis intra Pascha & Pentecosten instituta, & geniculationes admissæ sunt: & tantum Quadragesimus dies, qui est Ascensionis, & Quinquagesimus, qui est Pentecostes, festiui manserunt.*

Quinquagesimæ libera obseruatio.

De Septimana in ALBIS.

Septimana hæc cur dicatur in Albis.

Septimana illa, quæ sequitur Paschalem diem vulgò vocatur Septimana in Albis, propter angelos, qui in resurrectione Domini in albis vestibus apparuerunt: & quia olim baptizati in Sabbatho sancto his diebus candidis vestibus utebantur vsq; ad Sabbathum in Albis, in quo deposuerunt eas: vel etiam, quòd tunc solebant illi qui baptizati erant confirmari ab Episcopis, & albas alias vestes induere vsq; ad sequens sabbathum: *Belech in Ration. cap. 130 & Durandus in Rat. lib. 6. cap. 86. & 89. Chrysostomus etiam Serm. 8. de Resurrectione inquit*, Eo die quo Paschalis solennitas concludi solita fuit, neophytes commutasse habitum, quem candidum eo vsq; gestârunt. Vnde etiam solennitas huius septimanæ dies seu festum Neophytorum vocatur ab *Augustino Epist. 119. ad Lanuarium.*

Septimana hæc tota festiua fuit

Fuit autem, secundum consuetudinem primitiuæ Ecclesiæ, maximè verò ex constitutione Constantini Magni, tota festiua: *Paulus Diaconus lib. 11. Roman. rerum*: vbi etiam indicat, quã ratione hanc solennitatẽ hoc toto octiduo celebrandam præceperit, nimirum sine negotio cuiuscq; operis. Hoc decretum Constantini postea confirmauit Concilium vniuersale VI. Constantinopol. anno 681. iuxta Panuinium, celebratum in Trullo can. 66. A sancta, inquit, Resurrectionis die vsq; ad nouam Dominicam totã septimanã Ecclesijs vacare fideles oportet, Psalmis & hymnis & spiritualibus canticis in Christo gaudentes, festumq; celebrantes, & diuinarum scripturarum lectioni mentem adhibentes, & sanctis mysterijs iucundè fruente. Nequaquam ergo his diebus equorum cursus, vel aliquod publicum fiat spectaculum. Et in *Moldensi synodo can. 77. ita statuitur*: Dies octo sacrosanctæ Paschalis festiuitatis, omnibus Christianis feriatos esse decer-



decernimus, ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, gynæceo, cæmentario, pictorio, venatorio, forensi, mercatorio, audientiali, ac sacramentis exigendis: qui secus fecerit, excommunicetur. *Idem confirmavit Carolus M. Ludouicus, & Lotharius in legibus quas collegit Ansegisus Abbas cap. de Feriarum obseruatione. Extat etiam in decretis de Baptismi temporibus, de Consec. dist. 4. c. Non ratione: & refertur à Rhenano in Annotat. ad Tertulliani librum de Corona militis.*

*Remisit tamen paulum rigorem hunc Synodus Moguntina anno 813. iussu Caroli Magni habita, in qua ca. 36. ita sancitur. Præcipimus dñem Dominicam Paschæ cum omni honore & sobrietate venerari: similiter feriam secundam, tertiam & quartam: A feria quinta ante Missam licentiâ sit arandi vel seminandi, & hortum vel vineam excolendi, & sepem circumducendi, ab alio verò opere cessare decreuimus. In banc etiam sententiam Durandus in Ration. lib. 6. cap. 86. Tribus, inquit, primis diebus Paschæ solenniter est feriandum: in sequentibus verò licet viris ruralia opera, quæ magis necessaria sunt, exercere: sed scemini non licet nere, nunquam autem choreas ducere. Et in Constitutionibus ad tollendos abusos in Ecclesia per Laur. Compegium anno 1524. Ratisponæ editis, sancitur ca. 20. vt dies Paschæ cum feria secunda & tertia duntaxat celebris habeatur.*

*Aduerte autem quàm religiose progressu temporis hæc solennia obseruârunt. Durandus in Ration. lib. 6. cap. 89. Alij descendunt, inquit, processionaliter ad fontes Baptismatis cum cereo per hanc totam hebdomadam, cantantes canticum Exultationis: & populus sequitur, scilicet viri per se, & mulieres per se, in memoriam eius, quòd Hebræi Pharaone & suis in mare rubro submersis fecerunt, qui pro gratiarum actione de submersione hostium per totam hebdomadã redibant ad mare viri & mulieres separatim, cantantes canticum. In his etiam Processionibus Neophyti quotidie per hos septem dies à patrinis & matrinis ad Ecclesiam ducuntur, & pascuntur corpore Domini, & cerei præcedunt eos. Cereos autem, quos in Sabbatho sancto, dum baptizarentur, habuerunt, per hanc hebdomadã in quibusdam locis ad Missas & vespèras accendunt, & in Sabbatho in Albis, ac sequenti Dominicã illos accensos afferunt sacerdoti. In quibusdam etiam Ecclesijs his septem diebus, quando descenditur ad fontes, præfertur quidam serpens imaginarius super virga, & candelã nouo lumine accensã super caput serpentis retorta affigitur, ex qua Cereus Paschalis, & omnes aliæ candelæ in Ecclesia accenduntur. Hac Durandus.*

*Alij verò ludos scenicos, & quidem ex sacrosancta historia Passionis Christi instituunt, qui hæc septimanã Paschatis populo publicè in theatro exhibentur. Fit hoc manifestè contra auctoritatem Constantinop. Concilij vniuersalis 6. in cuius can. 66. præcipitur, Ne à sancta die Resurrectionis vsq; ad cœnam Dominicam totã septimanã ALIQUOD publicum fiat spectaculum. Hanc etiam consuetudinem grauissimè insectatur Ludouicus Viues in suis Comment. ad cap. 27. lib. 8. Augustini de Ciuitate Dei. Mos nunc est, inquit, quo tempore sacrum celebratur Christi, morte suã genus humanum liberantis, ludos, nihil propè à scenis illis veteribus differentes, populo exhibere: etiã si aliud non dixerò satis turpe existimabit quisquis audiet, ludos fieri in re maximè seria. Ibi ridetur Iudas quàm potest ineptissima iactans, dum Christum prodit: ibi discipuli fugiunt militibus persequentibus, nec sine cachinnis & actorum & spectatorum: ibi Petrus auriculam rescindit Malcho, applaudente pullatã turbã, ceu ita vindicetur Christi captiuitas. Et post paulum, qui tam strenuè modò dimicarat, rogationibus vnus ancillulæ territus abnegat magistrum, ridente multitudine ancillam interrogantem, & exhibilantem Petrum negantem. Inter tot ludentes, inter tot cachinnos & ineptias solus Christus est serius & seuerus: cumq; affectus conatur mœstos elicere, nescio quo pacto non ibi tantum, sed etiam ad sacra frige facit, magno scelere atq; impietate non tam eorum qui vel spectant vel agunt,*

Superstitiones progressu temporis in hac septimana obseruatz.

Passio Dominica in ludum scenicum commutata.



DE ORIGINE FESTORVM

quàm sacerdotum, qui eiusmodi fieri curant. *Hac Viues.* Matilius in suis locis *Com-  
munibus* fol. 11. historiam recenset, quâ ostendere vult, Deum grauiter irasci huiusmodi contem-  
poribus *Passionis Domini nostri Iesu Christi*, eamq̃ hoc modo proponi & representari nolle.  
Cum ageretur, inquit, in quodam celebri loco tragœdia de *Passione Domini no-  
stri Iesu Christi*, quidam agens personam pendentis in *Cruce Saluatoris nostri*, ac-  
cepto in corde lethali vulnere ab alio, petente vesicam eruore impletam, & lateri  
ipsius alligatam (hic militis illius egit personam qui lanceâ latus Domini aperuit,  
ex quo statim exiuit sanguis & aqua) mortuus concidit: alium etiam, qui deflen-  
tis sub cruce personam repræsentabat, lapsu suo interemit, cuius mortem frater  
vindicans in eo, qui ipsum in ligno pendentem sauciavit, capitali supplicio affe-  
ctus est. Ita quatuor occubuerunt, non sine suspitione, Deum omninò nolle vt ho-  
mines in tam serijs ludant rebus. *Hac ille.*

Feria huius  
ritus.  
Ostermon-  
tag.

*Feriâ illâ, quæ proximè sequitur Dominica resurrectionis diem, Germanicè der Oster-  
montag, multis in regionibus conuiuia agitantur, quæ ferè ouis & mellitè quibusdam libis co-  
ctis atq̃ placentis constant. Et pluribus in locis, quum Scholastici hymnum illum canunt, Chri-  
ste qui lux, &c. tum cætera quoque turba puerorum & puellarum ostiatim oua colligunt, ab  
ijs maximè, qui eos è sacro fonte leuârunt, & illa tum simul comedunt, quod vulgò Osterlern  
vocat. Ipsa verò oua sic collecta, & tantum non emendicata Zimpfeltag vocant, quasi  
Simboltag, propterea quòd illis ouis ceu symbolis collatis atq̃ collectis vnâ epulari consue-  
uerunt.*

*Eâdem die pleriq̃ in locis Papatûs mulieres olim verberârunt maritos suos, & sequenti die  
mariti uxores suas. Durandus in Ration. lib. 6. cap. 86. dicit, fieri hoc, ad notandum quòd coniu-  
ges debeant se mutuò corrigere, ne alter ab altero exigat hoc tempore debitum thori. Decretum  
est enim in Concilio Elibertino circa Siluestri tempora, vt habetur de Consec. dist. 2. Omnis ho-  
mo. & 24. q. 4. c. 1. quum die Paschatis communicare debeant, tribus precedentibus, & tribus  
vel quinq̃, vel septem sequentibus diebus, ab amplexibus vt abstineant: imò Liberius Papa hoc  
seruandum instituit per totam Quadragesimam ad Pascha vsq̃. Carranza & alij in Epitome  
Conciliorum hæc citant ex Gratiano, quia non extant in Canonibus Concilij Elibertini. Paus-  
sanias in Achaicis indicat, in quodam festo Cereris, quod septem diebus celebratum fuit in tem-  
plo Cereris Mysia, quarto die mulieres suos viros in templum reuersos derisisse, & has vicissim  
viros: de quo vide librum nostrum de Festis Ethnicorum.*

V. VINCENTIVS Hispanus, Prædicatorij ordinis monachus, obiit anno Christi 1418.  
Non. Aprilis. Canonizatus & sanctorum Catalogo ascriptus fuit à Calixto tertio, anno Do-  
mini 1455. Ob eamq̃ rem supplicationibus Deo gratias egit, ab Ecclesia *M. nerua vsq̃ ad S. Pe-  
trum* continuato magno cleri ac populi Romani apparatu. Platina. Antoninus tit. 23. cap. 8.  
§ 4. Sabellicus Enne. 10. lib. 6.

VI. SIXTVS Episcopus Romanus factus sub Adriano Imp. martyrio sub eodem coronatur,  
8. Idus April. vt Petrus de Nat. refert lib. 4. cap. 33.

VII. EGESIPPVS natione Iudæus, vicinus Apostolorum temporibus fuit, claruit enim sub  
Adriano et Antonino Imp. Ad fidem Christi conuersus, scripsit omnes à *Passione Domini vs-  
q̃ue ad suam ætatem* historias libris quinq̃. Historiam etiam Iudaicam à *Matthia exorsus  
vsq̃ ad belli Iudaici finem* composuit. Sub Aniceto Romam venit, ibiq̃ ad Eleutherium vsq̃ue  
perseueravit, & diem suum obiit 7. Idus April. vt Hieronymus de *Viris illustribus & Pet. de  
Nat. lib. 4. cap. 36. referunt.*

VIII. DIONYSIVS Corinthiorum fuit Episcopus sub Vero & Commodo Imp. hoc est, circa  
annu Christi 174. vt Eusebius in Chron. habet. In signi doctrinâ ornatissimus, singulari fide & dex-  
teritate Ecclesiam suam rexit, & ad alias quoq̃ epistolas scripsit. Tandem Corinthi obiit 6. Id.  
April. vt testatur Hieronymus de *Viris illustribus & Pet. de Natal. lib. 4. cap. 37.*

IX. PROCORVS nepos fuit Stephani protomartyris, Comes Ioannis Euangeliste, & vnus  
ex septem primis diaconis ab Apostolis electis, vt est videre Act. 6. cap. Factus Episcopus  
Nicome.



Nicomedia, à Ioanne Euangelista Antiochiam mittitur, vbi martyrio coronatus vitam finiuit 5. Idus Aprilis, vt indicat Pet. de Nat. lib. 4. cap. 39.

DE SABBATHO IN ALBIS, in quo AGNVS  
DEI distribuuntur.

R.

**D**ies hic Sabbathum in Albis vocatur, quòd in eo baptizati in Sabbatho sancto vestes albas, quas per totam hanc septimanam gestarunt, deponunt.

DE AGNVS DEI confectione &  
benedictione.

**I**n eo quoque orbiculi quidam cerei, quos à figura impressa vocant Agnus Dei, benedicuntur & distribuuntur à Pontifice Romano. Sed antequam ritum illum referamus, de eorundem Confectione & Consecratione nonnulla dicemus, vt inde intelligatur quid sint, & quanta illis tribuantur. Adscribemus autem hæc ex Ceremoniali Romanae Ecclesiæ, ne quid à me hæc fictum putet aliquis. In eius igitur libro primo, Sect. 7. sic legitur. Agnus Dei soliti sunt benedici à summo Pontifice annis primo Pontificatus, septimo, & deinceps singulis septenis. Antiquitus autem cera alba pro illis formandis per magistrum ceræ Palatii Apostolici, & per illos, qui volebant pro se Agnus Dei, ponebatur super altare Beati Petri, quam Subdiaconus Apostolicus de altari accipiebat, & in aliqua camera capaci & idonea in Palatio ipsi cum alijs Subdiaconis & Acoluthis Papæ manibus proprijs formabant Agnus Dei cum magna deuotione, reuerentia & munditia. Habebant aliquos seruos, qui necessaria ministrabant. Et omnia fiebant impensis cameræ, ceram albam mollificabant cum oleo sancto, & oleo Chrismatis quod superfuerat de anno præterito. Deinde quum facta erat tota quantitas, præsentabantur capsæ plenæ Agnus Dei, & benedicebantur per Papam. Hodie autem Sacrista cum suis Capellanis & Clericis capellæ format ipsos Agnus Dei. Ceram ipsam sumit vel ex Cereo benedicto in Sabbatho sancto anni præteriti, vel aliunde expensis Papæ. Non miscentur oleo sancto, aut sacro Chrismate: sed puri & mundi præsentantur in capsis Papæ in camera sua. Pontifex aliquo die post Pascha ante Sabbathum in Albis dictâ siue auditâ Missâ in sua priuata capellâ, indutus amictu, albâ, cingulo, stolâ & mitrâ simplicî, benedicit aquam benedictione communi, sicut fit in Dominicis diebus à Sacerdotibus, in aliquo magno vase ibi præparato. Et si magis placet potest illa aqua prius benedici ab aliquo Episcopo domestico Papæ. Deinde Pontifex accedens ad vas prædictum, depositâ mitrâ stans dicit Versum, Adiutorium nostrum in nomine Domini Respon. Qui fecit cælum & terram. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus: Domine Deus pater omnipotens, statutor elementorum omnium, & conseruator humani generis, datorque gratiæ spiritualis, & largitor salutis æternæ, qui aquas ex Paradisi fonte manantes totam terram irrigare iussisti, super quas vnigenitus tuus siccis pedibus ambulauit, & in eis baptizari dignatus est, quæ vnâ cum suo sanguine de latere sacratissimo profluxerunt, & baptizari in eis præcepit discipulis omnes gentes, adesto benignus & clemens, & nobis tuâ hæc magnalia recolentibus adueniat, vt ea, quæ in hoc aquarum vasculo ad gloriâ tui nominis præparato infundere decreuimus, & immergere, benedicas, & benedicta sanctifices, quatenus ipsorum veneratione et honore nobis famulis tuis crimina diluantur, abstergantur macule peccatorum, impetrentur veniæ, gratiæ conferantur, vt tandè vnâ cum sanctis & electis tuis vitam percipere mereamur æternâ: per eundem Christum Do. nostrum, Amen.

Notas



DE ORIGINE FESTORVM

Resumit deinde mitram Pontifex, & infundit balsamum ex ampulla in aquam in modum crucis, dicens: Consecrare & sanctificare digneris Domine aquas istas per istam vñtionem balsami, & nostram benedictionem, in nomine Patris † & Filij † & Spiritus sancti † Amen. Et ter signat. Deinde ex alia ampulla in eandem aquam infundit sanctum Chrisma, & in modum crucis dicens: Consecrare & sanctificare digneris Domine aquas istas, per istam vñtionem sancti Chriſmatis, & nostram benedictionem: in nomine Patris † & Filij † & Spiritus sancti † Amen. Benedictâ aquâ vertit se ad capſas, vbi sunt *Agnus Dei*, & sine mitra stans dicit: Dominus vobiscum. Respon. Et cum spiritu tuo. Oremus, Deus omnium sanctificationum Dominator, Dominus, cuius pietas sine fine sentitur, qui Abraham patrem fidei nostræ præcepto tuo filium Isaac immolare disponentem in figuram redemptiois nostræ per arietem vepribus in hærentem eius sacrificiũ consummare voluisti, quiq; Mosis famulo tuo legifero iuge holocaustum præcepisti in agnis immaculatis offerri, te suppliciter deprecamur, vt nostræ vocis exoratus officio, hæc cereas formas innocentissimi agni imagine figuratas bene † dicere, & per inuocationem tui sancti nominis sanctificare digneris, vt per eius tactum, & visum si-

„ deles inuitentur ad laudes, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tem-

„ pestatum, ventorum rabies, infesta tonitrua temperentur: fugiant atq; tremi-

„ scant maligni Spiritus ante sanctę crucis vexillum, quod in illis exsculptum est,

„ cui flectitur omne genu, & omnis lingua confitetur, quia deuictâ morte per Cru-

„ cis patibulum Iesus Christus regnat in gloria Dei Patris: ipse enim tanquam o-

„ uis ad occisionem ductus in morte tibi Patri sanctum sui corporis obtulit sacrifi-

„ cium, vt ouem perditam diabolicâ fraude seductam reduceret, & reductâ suis hu-

„ meris ad cœlestis patrię gregem reportaret: qui tecum viuít, & regnat in vñtate

„ Spiritûs sancti Deus per omnia secula seculorum, Amen. Deinde dicit aliam o-

„ rationem: Omnipotens sempiternæ Deus, qui legalium hostiarum, & ceremoniarum es institutor, & quæ pro restauratione humani generis fieri instituisti, vt plasmatio tua, quæ suggestionem diabolicâ decepta, tuæ maiestatis imperium contemnendo indignationem tuam incurrit, & his hostijs atq; sacrificijs obediendo placari voluisti, sicut in sacrificio agni primitiarum instituiti Abel, & in oblatione Melchisedech sacerdotis tui: atq; in immolatione hostiarum, agnorum, arietum, & taurorum pinguium, Abraham, Mosis & Aaron famulis tuis: quæ omnia illis in figuram contingebant, quia cum tua sancta benedictione sancta erant, atq; salutifera offerentibus. Et sicut ille Agnus, de cuius sanguine postes & superlimina domûs linebantur, immolatus, populum tuum à persecutione Ægyptiaca mediâ nocte liberauit: & quemadmodũ ille agnus innocens tuâ voluntate immolatus in ara Crucis Iesus Christus filius, protoplastum nostrum, de diabolica potestate eripuit: sic isti agni immaculati virtutẽ illam accipiant, quos consecrandos offerimus in conspectu diuinę maiestatis tuæ. Tu eos benedice, sanctificare & cõsecreare digneris, vt tuâ largâ benedictione sanctificati eandem virtutẽ accipiant contra omnes diabolicas versutias, & fraudes maligni spiritûs, vt illos deuotẽ super se ferentibus

„ nulla tempestas eisdẽ præualeat, nulla aduersitas dominetur, nulla aura pestilens,

„ neq; aëris corruptio, nullusq; morbus caducus, nulla maris procella, & tempe-

„ stas, nullum incendium, neque vlla iniquitas dominetur eis, neq; præualeat ho-

„ mo: partus cum matre incolumis conseruetur per intercessionem vnigeniti Filij

„ tui Domini nostri Iesu Christi: qui tecum viuít, &c. Oremus tuam clementiam omnipotens Deus, qui cuncta ex nihilo creasti, & post Adæ lapsum Noe, & filijs eius benedixisti, qui iusti coram maiestate tua comparuerunt, atq; tuâ miseratione ab aquis diluuij salui facti sunt, sic istos Agnos benedice, sanctificare & consecrare digneris, quatenus eos, deuotẽ deferentes, ob reuerentiã & honorem nominis

Nota.

Nota blasphemiam.



nominis tui, liberentur ab omni inundatione aquarum, & ab omni fluctuatione diabolicæ potestatis, & à morte subitanea per virtutem Passionis Iesu Christi filij tui, qui tecum viuit & regnat, &c. His finitis accingitur Pontifex, & sumptâ mitrâ sedet apud vas aquæ, & Cubicularij ad eum portant Agnus Dei in peluibus argenteis, quos Pontifex immergit in aquam, & Prælati astantes eos extrahunt, & in peluibus portât super mensas cum mappis præparatas vt siccentur. Et omnibus BAPTIZATIS per Pontificem, vel per eius Prælatos, surgens Pontifex stans sine mitra, dicit super eos has orationes. Oremus, O alme Spiritus qui aquas fecundas, & cuncta viuificas, & in aquarum substantia maximaq; sacramenta constituisti, quæ à te sanctificante amaritudine dimissâ in dulcedinē iunt conuerſæ, & tuo flatu sanctificatæ, atque imperante lauacri susceptione sanctæ Trinitatis nomine omnia peccata diluunt: quæsumus Domine hi Agni sacrâ & perenni vndâ baſam oq; sacri Chriſmatis perfusi, tu illos bene + dicere, sancti + ficare & consecrare digneris, quatenus à te benedicti virtutem accipiant contra omnia diabolica tentamenta, & omnes portantes tui esse possint inter aduersa & prospera, & tuâ consolatione acceptâ nullum periculum timeant, nullamque formident vmbra, nulla sæuitia diabolica aut versutia humana eis noceat: sed fortitudine tuæ virtutis roborati, tuâ consolatione glorientur, qui verè Paracletus diceris, & in Trinitate perfecta viuis & regnas per omnia secula seculorum, Amen. Domine Iesu Christe, fili Dei viui, qui verè es agnus innocens, sacerdos & hostia: qui propheticâ voce vitis es, lapis angularis prædicaris: qui mundi peccata abstulisti, qui occisus nos redemisti Domine Deus in sanguine tuo: atq; postes pectoris & frontis nostræ tuo cruore liniuisti, ne diabolica nocturna verusitas, & meridiani incurſus, & populus sæuens, & super domos nostras transiens, vires in nos exerceant. Tu verè es agnus immolatus pro nostra reconciliatione, & iugis voluisti à tuis fidelibus in tui memoriam immolari, & in agnū paschalem summi sub speciebus panis & vini in sacramento in salutem, & in remediū animarum nostrarum, vt præſenti seculo transacto, ad resurrectionis & æternitatis gloriam venire possimus. Rogamus ergo Clementiâ tuam, vt hos agnos immaculatos bene + dicere, sanctificare & consecrare digneris, quos de cera virginea in tuum honorem formauimus, per opera crucis, & sacrâ vndâ, balsamoq; & sacro chriſmate liquori confecti in sanctificationem tuæ conceptionis, quam absq; contagione ac propagine humanâ solâ diuinâ virtute suscepisti, sic eos deferentes tuearis, protegas & defendas ob omni periculo incendiij, fulguris, procellæ & tempestatis, & ab omni aduersitate custodiper mysteriū passionis tuæ: & sic eos liberare digneris ab omnibus periculis, & in puerperio laborantes, sicut matrē tuâ ab omni periculo liberasti, & Susannam de falso crimine, & B. Theolâ virginē & martyrē tuam ab incendijs, & Petrum à vineulis absolutum, illæsum abire fecisti: ita nos ab hoc seculo illæſos abire facias, vt tecum sine fine viuere valeamus: qui viuis, &c.

*His finitis reponuntur Agnus Dei in suis capsis, & in Sabbatho in Albis distribuuntur* Distributio  
*hoc modo, vt habetur in Ceremoniali Romanæ Ecclesiæ libro secundo, Sectione secundâ. Veni-* Agnus Dei.  
*unt ante Pontificem per ordinem omnes Cardinales, vnus post alium à seniore ad iuniorem, &*  
*factis reuerentijs, porrigunt mitras suas, cornua mitræ deorsum vertentes, & Papa imponit eis*  
*tot Agnus Dei, quot ei placet. Antiquitus dabantur cuilibet Cardinali tres, Prælati duo, a-*  
*lijs vnus tantum.*

*Solent etiam Pontifices Romani hos Agnus Dei sæpè maximi muneris loco mittere Re-* Agnus Dei  
*gibus & Principibus, & hic est questus illis longè vberimus. Sic Urbanus quintus ad Impe-* vis.  
*ratores quendam Græcorum tres Agnus Dei misisse perhibetur, cum his versiculis:*

Balsamus, & munda cera, cum chriſmatis vnda  
 Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum,



DE ORIGINE FESTORVM

Fonte velut natum per mystica sanctificatum.  
Fulgura defursum depellit, omne malignum  
Peccatum frangit, vt Christi sanguis, & angit.  
Prægnans seruatur, simul & partus liberatur.  
Dona defert dignis, virtutem destruet ignis.  
Portatus mundè de fluctibus eripit vnda.

*Ergo quæ verbum Dei merito & sanguini Christi, ea Pontifices Romani suo Agnus Dei per summam blasphemiam tribuunt, nimirum quod crimina diluat, peccatorum maculas abstergat, veniam impetret, gratiam conferat & ab omni malo protegat ac defendat.*

Agnus Dei & eius distributio ab Ethnicis sumpta,

*Hunc autem morem ab Ethnicis mutuatos esse Pontifices Romanos, non immeritò dixerit. Solebant enim illi in Saturnaliorum festo sigillaria, siue sigillaricia munera mittere. Erant autem Sigillaria parua quædam imagines: Martialis in Apophoretis:*

Gloria tam parua non est obscura sigilli. Es rursus:  
Sum fragilis, sed tu, moneo, ne sperne sigillum.

*Ita de Spartiano refertur, quod Saturnalia, & Sigillaricia amicis inopinantibus miserit frequenter. Et pueris in primis Sigillaria dari fuisse solita, ex illis Spartiani verbis videtur posse colligi: quæ à parentibus sigillariorum gratia acceperat, id vel clientibus, vel magistris spontè donauit.*

*Ricum hunc Baronius quoq, tomo i. pag. 551. fatetur ex Ethnicismo in Ecclesiam derivatum esse, sed ex alia occasione. Cera illæ, inquit, quæ ex cereo Paschali acceptæ, alijsq, puris admixtæ, & sacro chrismate delibutæ, ac benedictione sanctificatæ sunt, eo quod agni, Christi typum præ se ferentis, impressam imaginem habent, Agnus Dei dici consueuerunt, easq, recens baptizati suspensas ad collum ferunt. Nam cum suis infantibus Gentiles bullas, ad auertendas fascinationes, vt Varro docet de Latina lingua lib. 6. re turpiculâ consignatas, vel aliter superstitionibus auctas collo appenderent: ad eas abolendas, placuit, superstitione in religionem mutatâ, ex eiusmodi sacris ceris bullas confici, quas agni Christum præ se ferentis imagine insignitas geniti in Christo gestarent. Cordis item imaginem in bullis suis Gentiles ferre consueuerant, quo, vt tradit Macrobius lib. 1. c. 6. Saturnal. sic noscerent se esse homines, si corde præstarent: Christiani verò, Christi agni imagine, discerent eius exemplo esse mites & humiles corde. Nec valet Baronij  $\chi\rho\nu\sigma\ \phi\upsilon\gamma\epsilon\tau\omega$ , rectè fieri, si quædam ex superstitione gentilitia in religionem Christianam transferantur. Nam si nomen solum mutatur, idololatria verò ac superstitio eadem manet, non minus ea in Christianis, quàm in Ethnicis damnanda, & improbanda est. Sic Israelitæ in deserto, & postea in Dan & Bethel vitulos aureos, aliq, alijs temporibus idola, simulachra & imagines ex Ethnicismo in suam religionem transtulerunt, ijsq, non Gentilium Deos, sed verum Deum representârunt, eumq, hoc modo colere voluerunt. De vitulo enim in deserto dicitur, Hi sunt Dij tui, Israel, qui eduxerunt te ex Ægypto, Exod. 32. Hac verba Nehem. 9. sic enunciantur. Hic est Deus tuus, qui te eduxit ex Ægypto. Deus autem dicitur simulachrum Dei, vsitata Metonymiâ, quâ nomen rei signatæ tribuitur signo. Verus igitur Deus vitulo hoc representatus fuit. Sic mater Michæ dixit, se argentum illud, ex quo simulachrum factum est, sanctificasse Iehouæ ad faciendum sculpsit: & Michæ se Iehouam in eo colere ostendit, Leuitâ conducto. Duæ etiam illæ statuae, quas Ieroboam in Dan & Bethel collocavit, vt specie conuenerint cum vitulo Israelitarum in Ægypto: sic ijsdem verbis institutionis representando vero Deo destinata fuerunt. Vnde Bellarminus quoq, fatetur lib. 2. de Imaginibus cap. 13. Non improbabili liter dici, Iudæos vitulum aureum pro Imagine veri Dei habuisse, idq, etiam confirmat testimonio Abulensis, Caietani & aliorum in 17. cap. Iudicum. Quia verò eadem idololatria & superstitio contra manifestum Dei verbum mansit, idcirco propheta eam nomen in Iudæis, quàm Ethnicis reprehenderunt ac damnârunt.*

Agnus Dei ceremonia ex Iudaismo.

*Vualafrius verò Abbas in libro de Officijs diuinis cap. 19. Iudaicam esse ceremoniam dicie hanc Agnus Dei consecrationem, samq, reprehendit.*

DOMI-



DOMINICA prima post Pâscha Quasimodo appellatur, à textu qui ex prioribus Epist. Petri 2. cap. in ea cantatur, Quasimodo geniti infantes, lac sermonis syncerum ex petite, vt per illud adolescatis, &c. Quæ verba nouæ vitæ spiritualis nos admonent.

XI

IULIUS primus Pontifex Romanus fuit. Athanasius Oratione primâ contra Arrianos, orthodoxum eum vocat, & virum Apostolicum: fuisse etiam professorem syncerum, acerrimumque defensorem Nicanorum dogmatum ibidem testatur. Moritur Romæ pridie Idus Aprilis.

XII

IUSTINVS gentilis ab initio fuit, & in disciplinis philosophicis, atq; omni gentilium eruditione, haud vulgariter excelluit. Christianus autem factus, religionis Christiana ac disciplina acerrimus defensor extitit, ac certamina multa ingenti animo suscepit, à quibus nec minus vllis, nec morte deniq; ipsâ deterreri potuit, vt à calumnijs & blasphemijs professionem Christianam vindicaret, simulq; ei plures adiungeret. Martyr autem obiit sub Marco Antonino Vero, cum paulo ante martyrio suo Polycarpus in Asia functus esset: Idib. April. vt Hieronymus de Viris illustribus & Pet. de Nat. lib. 4. cap. 50. indicant.

XIII

TIBVRTIVS anno Christi 174. sub Commodò Imperatore passus est 18. Calend. Maij, quòd Ioui sacrificare nollet. Herm. Contractus, Vincentius & Petrus de Natalibus libro 4. capite 51.

XIIII

OLYMPIA in Perside apud Cardilam urbem anno 253. 17. Cal. Maij sub Decio Imperatore post multos & horrendos cruciatu, quos propter Christum constantissimè passa est, spiritum amisit: Vincentius & Pet. de Nat. lib. 4. cap. 53.

XV

CARISIVS cum octo socijs apud Corinthum martyrium passus est: nam ipse & socij propter confessionem Christiani nominis pelago immergi, perpetuas triumphæ palmas à Domino percipere meruerunt, 16. Cal. Maij. Pet. de Nat. lib. 4. cap. 55.

XVI

#### LANCEÆ & CLAVORVM Christi festum.

**I**nnoCentius VI. festum Lanceæ & Clavorum Christi hoc die celebrandum instituit, Molano teste in additionibus ad Vsuarium. Mirum est nullum festum institutum ab illis laqueo Iudæ, aut tribunali Pilati. Balæus. De hoc festo ita scribit Trithemius in Chron. Hirsaug. Festum, ait, Lanceæ Christi, Clavorum & Coronæ Domini nostri Iesu Christi feriâ 6. post octauas Paschæ singulis annis per vniuersum orbem Christianum celebrandum Carolus V. Imperator impetrauit à Papa cum magnis indulgentijs, gratijs & remissionibus peccatorum. Sub Innocentio VIII. Mustapha Bassa, qui simul etiam Vistrus erat, Romam Orator venit, ac ferrum lanceæ, quæ latus Domini aperuit, secum attulit, vt Iouius indicat in vita Baiazetis II. Refert Platina in vita Paschalis 2. Belli sacri tempore, quod aduersus infideles in Oriente gestum est, sub Boëmundo hanc lanceam in Basilica S. Andreae Antiochiæ repertam esse. Idem author est in vita Gregorij IX. Balduinum Constantinopolitanum Imp. quum se agrè ab hostibus inopiâ aerarij tutaretur, & filium pignori mercatoribus Venetis, ob æs mutuo acceptum, dedisset, hanc lanceam cum spongia, quæ Christus potus est, Venetis pecuniosis vendidisse. Mirum igitur non iniuriâ alicui videri possit, vnde Mustapha suam lanceam habuerit: nisi dicere velis, Balduinum lanceam lignum tantum vendidisse, Turcam autem ferrum solùm attulisse Romam. Quicquid sit, lanceam istam in hoc festo ita inuocare solent: Aue ferrum triumphale, Intrans pectus tu vitale, Cœli pandis ostia, Fœcundata in cruore, Felix hasta nos amore, Per te fixi saucia, &c. quæ certè atrocissima est blasphemia in Filium Dei, qui solus ostia cœli merito suo nobis aperuit.

Lanceæ Christi inuocatio.

ANICETVS Syrus, Romana Ecclesia in verbi diuini ministerio laboriosè præfuit: & anno 169. nati Seruatoris, 15. Calend. Maij, in magna Christiana fidei constantia, pro Dei veritate sanguinem postremò fudit. Platina, Balæus & Petrus de Natalibus libro quarto, capite 57.

XVII



DE ORIGINE FESTORVM

- XVIII.** DOMINICA secundâ à Paschate vocatur Misericordia, ab Introitu, qui in ea cantatur ex Psal. 33. Misericordiâ Domini plena est terra, &c.
- XIX.** TIMON Diaconus & martyr de septem primus ab Apostolis electus est, ut habetur Act. 6. Is Euangelium Iesu Christi disseminans Corinthum venit, ibiq; à Iudæis & Græcis ut traditur, flammis iniectus, sed nihil læsus est: dehinc cruci affixus martyrium suum impleuit 13. Cal. Maij: Hieronymus in Martyrologio.
- XX.** SVLPITIVS prædicatione & miraculis Flavia Domicilla ad fidem Christi conuersus, sub persecutione Traiani, quum sacrificare Dijs nollet, capite plexus est 12. Cal. Maij. Per. de Nat. lib. 4. cap. 68.
- XXI.** SIMEON Archiepiscopus Seleucia, quum Solem adorare nollet, sub rege Persarum Sapore capite casus est 11. Cal. Maij, ut in Tripartita historia legitur.
- XXII.** GAIVS Dalmata Romana Ecclesia Episcopus, & Cæsari Diocletiano cognatus, peruenit ad tempora imperij Diocletiani, sub quo continuata fuit sæuissima persecutio, sic ut in cryptis & terra cauernis, non in Papali palatio aut templo magnifico, latuerit diu: atq; inde e ductus anno Domini 295. vnâ cum Gabinio fratre Presbytero coniugato sub gladio 10. Calend. Maij vitam finivit.

**XXIII.**

S. GEORGII festum.

De S. Georgio fabula.

**S**anctus Georgius ille, quem hoc die festo colunt Papista, eumq; in suis necessitatibus inuocant, non modò non Sanctus, sed ne homo quidem, imò in rerum natura, nunquam fuit: vnde etiam antiquissimi & probatissimi authores, & historici tam prophani quàm Ecclesiastici, eius nullam prorsus mentionem faciunt.

Iacobus quoq; de Voragine Archiepiscopus Genuensis, Legendâ 56. & Petrus de Natalibus libro 4. de Vitis Sanctorum cap. 81. ingenuè fatentur, Legendam eius inter Apocrypha numerari, & addunt causas non leues. Huius, inquiunt, Martyris Legenda in Niceno Concilio inter apocrypha connumeratur, eò quòd in eius martyris Actis multa diuersitas inuenitur, tam ex parte loci, quàm ex parte modi, & tam ex parte temporis, quàm ex parte iudicis. Nam in Calendario Bedæ dicitur, quòd passus sit in Persida ciuitate Diospoli, quæ prius Lida dicebatur, & est iuxta Ioppen, Alibi, quòd passus sit sub Diocletiano & Maximiano Imp. Alibi, quòd sub Diocletiano Imp. Persarum, præsentibus 70. Regibus sui Imperij. Alibi, quòd sub Daciano præside in ciuitate Militena, Diocletiano & Maximiano Imp. Scripturae autem diuersæ, & fidem sibi inuicem derogantes, nihil firmitatis habent: & due Orationes pugnantia continentes, vera simul esse non possunt. l. Script. c. de fide instrum. Ex diuersis igitur Legendis, inquit Petrus de Natal. ea quæ magis authentica videntur, circa eius martyrium & miracula hic collecta sunt, multis dissonis & incredibilibus omisis, & diuersitatibus pro posse ad concordantiam reductis. Ex quibus intelligitur, quantum etiam Petri Legendæ de Georgio tribuendum sit, Non enim dicit, se eam consarcinaturum ex antiquis & probatis authoribus, sed ex his diuersis, repugnantibus & sibi inuicem contradicentibus, apocryphis quoque scriptis, quæ sibi videantur magis authentica. Vnde autem scire is potuit, quæ authentica & vera, & quæ non sint. Item dicit, se pro posse diuersitates illas ad concordiam reducturum. Nihil ergo certi, & cui credere tuto possumus, in ea continetur.

De Legendâ Georgij idem testatur, sed alijs adductis causis, Baronius in Notis ad Martyrol. Rom. De Actis, inquit, S. Georgij martyris est Censura Gelasij in decreto de libris apocryphis apud Gratianum dist. 15. c. Sancta Rom. Ea etenim quæ ab hæreticis composita dicuntur, in Ecclesia Romana non legi testatur. Sexta Synodus etiam Can. 63. profitetur, quosdam martyrum historias ab hæreticis esse conscriptas, eò nimirum consilio, ut Dei martyres afficerentur ignominia, & qui illas audirent, ad incredulitatem deducerent: quas omnes, eadem S. Synodus vetuit publicari,

blicari,



blitari, igni q̄ tradit mandauit. Id etiam à Manichæis hæreticis factitatum S. Augustinus testatur scribens contra Adimantum, alijsq̄ in locis, agens de Manichæis.

Quænam autem essent Acta Georgij à Gelasio improbata atque reiecta, exquirendi studio fatigatus, ea me tandem inuenisse arbitror. In nostra bibliotheca 3 tomo Vitæ sanctorum antiquissimo, ac penè vetustate consumpto codice, pag. 159. inueni Acta quædam S. Georgij multis haud dubium referta mendacijs. Id portentosa quædam ab omni miraculorum ratione aliena feruntur: quæ quidem (vt prædictæ Synodi verbis utar) non ad pietatem legentes, sed ad infidelitatem adducunt. Insunt præterea illæ quædam accepta ab hæreticis atq; Gentilibus: vt conflictus ille Georgij cum Athanasio mago: alludit nimirum auctor impius ad Georgium Arianum Episcopum inuasorem sedis Alexandrinæ & Magni Athanasij eius sedis Episcopi pugnaeissimum aduersarium: Athanasium enim ab Arianijs esse magnum appellatum, Acta Tyrj Conciliabuli satis docent. Apud Gentiles etiam eandem sparsam esse de eo calumniam, constat ex Ammiano Marcellino c. 15. At Georgium Arianum Episcopum defuncto iam Constantio Imp. occisum esse ob sua scelera Alexandria, relatumq; à suis inter martyres, liquet, testante id etiam Marcellino lib. 22. Ex quibus sanè apparet, totam illam de Actis Georgij fabulam fuisse commentum Arianorum. Leguntur in illis alia nonnulla indigna martyre: vt fanatica quædam & portentosa, suspectum contubernium viduæ, ars dolosa eiusdem adperdendos Gentilium magos, atq; enecandos Gentiles quosque. Innumera præterea tormentorum genera, quibus agitarus Georgius, nec mori potuit; vt præter equuleos, vngulas, crates ferreas ignitas, rotamq; mucronibus vndiq; præfixam, calceosq; armatos clauis, quæ & in alijs leguntur Actis, etiam arca ferrea clauorum cuspidibus intus ad feriendum aptata, præcipitium, contusiones malleis ferreis iteratæ, columna ingentis ponderis super eum posita, ingentisq; molis saxum super caput reuelatum, ferreum ignitum stratum, liquens plumbum superfusum, 40. igniti clauis, quibus est confossus, æneus bos candens,mersio in puteum, ingentis ponderis saxo ad collum ligato; quibus nec quidem occidi martyrem potuisse tradunt, Ad hæc insuper fingitur ibi Dacianus quidam Imperator, qui Persis dominetur, & 75. Regibus imperet, sub quo Georgius passus sit, & alia multa, quæ potius delirantium somnia, quàm synceram historiam martyris præ se ferant: quæ Gelasij censurâ proscripta esse absq; aliqua difficultate sibi quisq; suadere potest. *Et mox: Extant, inquit, Acta Georgij à Metaphraste edita, sed in iisdem displicent quæ de Athanasio mago feruntur. Alia rursus Acta habentur nomine Pasicratis serui Georgij scripta, quæ omnia Lipomanes Latinè reddidit: habet ea Surius tom. 2. quæ alienæ potius, quàm meæ censuræ subijcio. Vidi ea quoq; quæ Iacobus de Voragine habet in Legendis Sanctorum, quæ quidem non mediocri indigent castigatione. Legi & in veteri manuscripto, quæ in quibusdam Ecclesijs recitari solent, Acta Georgij, vbi & annus passionis describitur 290. ibiq; hæc solummodo tormenta Georgius passus narratur, verbera, rotam, ignitamq; sartaginem: ac demum gladio capite truncatus legitur: quæ licet ob longiores paraphrases, & carmina, quæ in eis habentur intexta, minimè referant pristinum illum candorem ac sine fuce dicendi stylum, tamen cæteris probabiliora videntur,*

*De certamine seu pugna Georgij cum Dracone, in qua Regis filiam ab eo liberauit, nihil quicquam etiam apud probatos authores inuenitur, sed fabulantur de illa aliqui ad hunc fere modum. In Libya vrbe Silea magnum periculum fuit à Dracone ingenti, qui in vicino stagno viuebat, & sæpenumero egressus urbem halitu suo venenato afflauit ciuibus pestem & morbos foedos, quibus multi eorum extincti sunt. Etsi autem*

*De eorundem  
Georgij cum  
Dracone fabula*

*la,*



armati ciues sæpius eum arcere conati sunt, tamen vi & afflatu eius maligno repulsi in seruitutem tristem redacti sunt. Ex quo tandem euenit, vt pactiõnem facere conati sint in hunc modum, vt singulis diebus duas oues illi vorandas traderent. Id cum ad tempus bene longum esset factum, penuria ouium tanta extitit, vt exsoluere promissum amplius non possent. Idcirco in pactiõnem denuò venerunt, placuitq; vt in singulos dies vnam ouem cum homine vno darent. Hic vt iure res tota agi videretur, fors coniecta est quotidie, & quemcunq; illa tetigit, ad Draconem eductus est cum oue. Accidit autem, vt aliquando etiam ipsa Regis filia, elegantiforma & moribus, eã sorte delecta ad Draconem à parentibus, cognatis, amicis & ciuibus cum ploratu & luctu magno educeretur. Sed quum adhuc in via essent, opportunè aduenit Georgius eques cataphractus, animum fortem & acrem præ se ferens. Hic audito luctu & squalore turbæ, statim quid rei esset, quæsiuit? Responderunt ei, duci ad Draconem vnicam Regis filiam, impendereq; adeò ciuitati vniuersæ exitium à Dracone, cuius sæuitia ac voracitas expleri non possit, nisi totam ciuitatem exhauerit atq; absorpserit. Huius igitur misertus Georgius, iussit bono esse animo, solatium atq; opem præsentem pollicens, simul atq; incitato cursu in Draconem irruit. Is verò occurrit ei prædæ auidus, rictuq; immani mortem minitans. Georgius autem animo præsentem ac læto hastam contoruit, belluamq; confodit, & ciuitatem interuisione liberauit. Hoc facto recreati ciues, Georgium cum lætitiâ & gratulatione maxima exceperunt, in urbem duxerunt, & omnia studia atq; officia veræ pietatis ac gratitudinis cumulatè tribuerunt. *Hæc fabula longè aliter à Iacobo de Voragine Legenda 56. & à Petro de Natalibus lib. 4. c. 81. narratur.*

*Pro mera etiam fabula habetur & inter symbolica refertur à Baronio in Notis ad Martyr. Rom. Pictura, inquit, illa S. Georgij, quæ effingitur eques armatus, qui hastæ cuspide Draconem interficit, iuxta quem etiam virgo posita manus supplices tendens imploret auxilium; symboli potius, quàm historiæ alicuius, opinor esse expressam imaginem. In nullis enim, quæ recensuimus, S. Georgij Actis antiquis, quicquam eiusmodi legitur: sed à Iacobo de Voragine, absq; aliqua maiorum auctoritate, ea ad historiam referuntur: quæ potius in virgine illa typum expriment (more maiorum) prouinciæ, vel ciuitatis alicuius, quæ aduersus diaboli vires tantum martyris imploret auxilium. Symbolicas eiusmodi picturas pingi à Christianis olim consueuisse, satis docet Eusebius in vita Constantini Imp. lib. 3. c. 3. vbi agit de pictura Constantini, deq; Dracone ab eo medio ventre transfixo, & in mare proiecto.*

*Ita quidè Baronius, sed minus piè & commodè & verè de Georgij typo & symbolo adumbrata, diuinans. Melius Villauincenius Possuini: Is, inquit, pictura Georgij docet, quomodo magistratus ciuilis gerere se debeat, in cauenda tuendaq; Ecclesia. Diabolus immanis crudelisq; Draco, sine intermissione & mille modis insidiatur virginis Ecclesiæ: quam videtur simul cum agno immaculato, sponso videlicet Christo, deuoraturus. Ac iam iam actum videtur de Ecclesia, nullaq; amplius spes salutis superest. Sed interuenit pius magistratus, qui suâ prudentiâ, fortitudine, potentiâ, fide, Draconem opprimit, atq; virginem saluam esse & quiete gaudere iubet. Atq; hæc nimirum agit magistratus Christianus, quouis tempore, dum furiosos conatus hæreticorum ac tyrannorum interuertit ac frangit.*

*Alij hoc typo humani generis redemptionem veteres adumbrare voluisse putant. Georgius enim hic est Christus: Draco vel serpens est diabolus immani sæuitiâ ac tyrannide grassans in genere humano, nunc hunc, nunc alium diripiens atq; deglutiens. Ciues urbis Silæ imago sunt totius generis humani, quod est præda & direptioni diabolo, nec se tueri villo pacto potest. Solus Christus eã est potentiâ, vt diaboli inferniq; robur omne comminuat atq; frangat: pro quo ingenti beneficio gratias ei debemus agere sedulo, & pietate ac gratitudine eum colere & celebrare.*

*Symbolicas*

Nota?



Symbolicas huiusmodi imagines & picturas multas S. Patres olim finxerunt. Tertulianus ingeniosè depingit patientiam in Oratione quâ patientiam pijs commendat. Chrysostomus in Mattheum homilia 29. graphicè ante oculos ponit Avaritiam, effigie hominis terrifici horrendiq̃, cuius caput sit partim canis, partim lupi: oculi ampli, flammâs de se quaqua versum eiaculantes: os antri instar latè diductum: in ore pro dentibus ancipites & acutissimi gladij: de lingua exerta fons scaturiens, veneno lethali infectus: pro brachijs vtrique extenduntur dracones, qui ore hiantes, & aduncis unguibus obuia quaque rapiunt ac dilaniant: manu vero vtraque accensas gestat faces. Venter autem & pectus inextinguibilibus flammis perpetuè affluant: denique pedes alati, quibus quàm celerrimè quovis feratur & penetret. Alij alias descriptiones atque imagines quasdam acutè confinxerunt, doctrinam etiam siue admonitiones addiderunt, quibus non oblectârunt auditores & lectores, verùm etiam de rebus gravissimis salutariter commonesecerunt. Ac Rhetores tradunt, ἐπιόχας, quibus res quasi in tabula depictæ, aut potius viua subijciuntur oculis, multò latissimè patère.

Ceterùm nostrum Georgium, quem pro hoc vel illo typo à maioribus effectum esse Villauincentinus alijq̃ indicant, Baronius cum illis nullum reuera fuisse confisur.

At fuisse tamen Georgium Sanctum Martyrem, etsi draconem non occiderit, omninò contendit Bellarminus libro primo, capite vigesimo de Ecclesia triumphante. Respondeo, hunc Georgium, de quo agimus aliquando vixisse & in mundo extitisse, probandum fuit Bellarmino ex probato aliquo antiquo authore: sed hoc non facit, neque etiam potest. Sin autem unquam fuisset, certè historiæ Ecclesiasticæ tam immane eius supplicium, & celebre martyrium non præterissent.

Deinde, concedo fuisse Georgium & quidem pro martyre habitum, verùm non illum de quo agimus, sed ut Athanasius in Apologo de fuga sua, & Apolog. 2. & Gregorius Nazianzenus Orat. in laudem Athanasij testantur, Georgium Cappadocem, hominem improbum & hæreticum Arianum, qui cum militari manu & satellitibus Alexandriam à Constantio Imp. missus, vi se in Episcopatum illum intrusit. Is cum ab Ethnicis sub Iuliano apostata crudelissimè peremptus esset, cadauerq̃ eius igne crematum, & cineres in mare proiecti, ne honorificè, tanquam martyr, à Christianis sepuliretur, à nonnullis postea pro martyre coli cœpit, immeritò, ut eos redarguens docet Epiphanius hæresi 76. veruntamen coli cœpit. Ac progressu temporis passio huius Georgij à sectatoribus eius composita & diulgata, multos sic fefellit, ut Gelasius etiam, zametsi fraudem hanc olfecerit, ipsum nihilominus putaret sanctum fuisse martyrem: nec sine probabili ratione, quandoquidem aliorum, qui verè sancti extitissent, passiones similem in modum ab hæreticis mendaciter scriptæ essent. Et quum Gelasius demùm circa annos 496. hanc fraudem deprehenderit & huius Georgij Acta inter Apocrypha numerârit, sequitur ante eum, etiam Romanam Ecclesiam, delusam ab Arianis, Georgium Arianum pro vero Martyre coluisse.

An Georgius fuerit martyr aliquis.

Romæ quoq̃ hoc die Signilustrium celebratur, in quo ostenditur vexillum S. P. Q. R. ad imitationem Tubælustrii veteris.

### Commemorationis SEPTEM DOLORVM

Beatæ virginis Mariæ  
festum.

Georgius Hallerus Decanus Cœnobij Kiebacensis, à vaccis & riuo præterlabente sic dicti, & in Marchia Bauarica siti, in sibi suaq̃ pastoralis curæ commissio districtu, primus instituit festum Commemorationis septem dolorum B. virginis Mariæ circa annos Domini 1545. teste Bruschio in Chron. Monasteriorum Germaniæ: de quo etiam ipse tale templo eius Cœnobij affixit Epigramma:



DE ORIGINE FESTORVM

Conficiare tuis ne sola doloribus ægris  
 Virgo parens Domini Diua Maria mei:  
 Solennem post Pascha diem tibi dedico, Phœbus  
 Quem decimum nonum semper ab axe trahet.  
 Confluat hanc nostram populus quo totus in ædem,  
 Et peragat festum fœmina virgæ tibi.  
 Exorans natumq; patremq; , vt ceu tibi in istis  
 Adfuit ærumnis virgo Maria tuis:  
 Sic quoq; nos nusquam lachrymantes atq; gementes  
 Gratia clementis deserat ipsa Dei.

XXIII.

ADELBERTVS amplissimâ familiâ Boëmorum natus fuit, vt Bonfinius indicat. Apud Fuldenses, quorum conuersatio toto orbe tum prædicabatur, literas felicissimè didicit, & monasticum habitum, vt matris votum impleret, assumpsit. Boëmis autem Episcopo destitutus ipse eligitur. Cùm autem ob eius gentis in idololatria Ethnica & feritate pertinaciam extremam frustra aliquandiu ibi docuisset, Romam abiit, ibiq; monasticæ vitæ habitû denuò assumpsit. Sed Româ per Boleslaum Ducem reuocatus, redijt, Boëmis verò antiquum obtinentibus, vt Bonfinius indicat lib. 1. Dec. 2. plantandæ religionis gratiâ Vngaros adijt, inde ad Polonos contendit, à quibus Gnesnensi Archiepiscopatu præficitur. Breui autem interiecto temporis spacio ad Boruffos abiit, apud quos Ethnicorum sacerdotum instinctu trucidatus scribitur anno Christi 995. iuxta Marianum Scotum: 9. Calend. Maij, secundum Trithem. vel 7. Calend. Maij, iuxta Petrum de Nat. lib. 4. cap. 87. vel 8. Cal. Maij, vt alijs placet.

XXV.

Tertia DOMINICA à Paschate Iubilate dicitur, ab Introitu eius diei, Iubilate Deo omnis terra, &c. ex Psalm. 66.

DE S. MARCI TRANSLATIONE & festo.

Eodem die festum quoq; S. MARCI celebratur. Fuit is aliquandiu comes Petri Apostoli, à quo etiam didicit Euangelium. Scripsit autem Euangelicam historiam in Aegypto, vel à Petro iussus, vel à fidelibus rogatus, & vix persuasus, anno 10. post Ascensionem Christi in cælum, secundum Theophylactum. Eusebius in fine libri 3. histor. Eccles. ait: Marcus quidem tanquam interpret Petri, quæ meminisset, ea accuratè perscripsit: non eo tamen ordine, quo dicta factaq; sunt à Domino. Neq; enim Dominum audiuit, neq; est sequutus, sed Petrum deinde. Quamuis interim Epiphanius dicat, Marcum fuisse vnum ex septuaginta discipulis Iesu: lib. 2. como 1. contra hæreses. Missus ad Aegyptum Alexandriæ Euangelium docuit, & celeberrimam ibi Ecclesiam constituit. Inde ad Cyrenas & Pentapolitanos progressus, Christi verbum ibi quoq; prædicauit. Cùm autem in idolorum cultores inueheretur, impetum in eum fecerunt, funibus pedes eius constringentes, crudelemq; in modum per urbem rapiantes, tum saxis corpus eius alliserunt, conscideruntq; , vt sanguis abundè profueret. Postea carceri incluserunt: inde verò extractus, per plateas immanissimè raptatus expirauit octauo Neronis anno circa annos Christi 64. 7. Cal. Maij.

De translatione corporis D. Marci diuersæ sententiæ.

De translatione corporis S. Marci diuersæ sunt diuersorum sententiæ. Sigebertus in Chronie. anno 471. sub Simplicio Papa factam esse refert. Hanc autem sententiam falsam esse, cùm euident ratio, tum etiam cæterorum omnium auctoritates facile euincunt. Petrus de Natalibus quoque, quem in prima editione sequutus sum, libro secundo, capite sexagesimo primo scribit, eam factam esse anno 465. sub Iustiniano Duce & Vrso Episcopo Venetorum. Horum verò tempora post multa secula inciderunt. Baronius autem testatur in suis Notis ad Martyrologium Romanum, se in Codice manuscripto Bibliothecæ Vaticanæ reperisse, hanc translationem factam esse anno Christi octingentesimo: ibidemque referri, Ecclesiam eius absolutam anno 1071. Sabellicus verò, cui Venetorum res plus cæteris nota fuerunt, id contigisse scribit sub Iustiniano Venetorum Duce, cuius magistratus incidit in annum 831.

nam



nam annis 809. pater eius Angelus, Particiacus dictus, Dux creatus Rempub. administrauit annis 22. His astipulari videtur Platina, qui ait, hanc translationem factam sub Gregorio IV. Papa, qui Pontificatum adeptus est anno 828. seditque annos 16. At cum prædictum Iustinianum duobus tantum annis in magistratu fuisse dicat Sabellicus Ennead. 8. libro 9. affirmare necesse est, huius Gregorij anno 4. vel 5. eam translationem factam esse. Certum autem est, omnes à scopo veritatis longè aberrasse, qui eam ante 500. vel 600. Christi annum factam referunt, cum nunquam illis temporibus Alexandrina ciuitas sub Saracenorum dominio fuerit, quando hæc accidisse omnes fatentur. Corpus S. Marci adhuc Venetijs in magnificentissimo templo asseruatur, in honorem eius exstructo, ibidemque translationis eius festum celebratur.

De Litanis quæ fit in D. Marci festo in libro nostro de Templis, &c. pag 356. & sequent. diximus.

CLETVS Papa sub Domitiano Imp. passus est 6. Cal. Maij.

XXVI.

ANASTASIVS Pontifex Rom. eligitur in suprema senectute, & quieuit in Domino 5. Cal. Maij, anno 404.

XXVII.

VITALIS Mediolanensis, quum dijs alienis sacrificare nollet, Sacerdotis Ethnici instigatu Rauennæ profundissimâ factâ foueâ, in eam præcipitatus, & terrâ, lapidibusque obrutus est, sub Neronis imperio, circa annos Domini 50. 4. Calend. Maij: Petrus de Natalibus libro 4. cap. 95.

XXVIII.

PETRVS Mediolanensis, qui etiam Veronensis dictus, fuit Prædicatorij Ordinis monachus, homo sanguinis Christiani ficientissimus, Prædicator Crucis, & Inquisitor violentissimus, immanissimusque. Cum anno Domini 1252. ad lanienam instruendam proficisceretur, inter Mediolanum & Comum à nobili quodam interfectus est, diffisso eius capite, quòd tantâ vehementiâ multorum arma in verè Christianos, & à Romana idololatria abhorrentes, expediuerat. Occisus est 7. die Aprilis: sed quia in festa Paschalia crebrò incidit is dies, Innocentius IV. qui eum canonizauit, festum eius 3. Calend. Maij celebrare iussit. Surius ex Lentino Petri contemporaneo.

XXIX.

CATHARINAE Senensis festum, quod per quàm sanctè percolunt Prædicatores monachi, eodem die celebrari cæpit, quum fuisset canonizata à Pio Pontifice Rom. anno Christi 1461. Eius supersticiosissimam vitam & hypocriticam sanctitatem habes descriptam in libro nostro de Origine & progressu Monachatus, &c. folio 258. postremæ editionis.

EVTROPIVS filius fuit, vt Petrus de Natal. nugatur ex Dionysij Areopagite quodam libro, lib. 4. cap. 105. Xerxis cuiusdam Persarum regis. Is à pueritia Græcis & Chaldeis literis imbutus, liberalibusque artibus institutus, à patre licentiam lustrandi orbem nactus, in Galilæam cum Nicanore pedagogo venit, auditoque de Iesu miraculis eum videre & audire cupiuit. Interfuit igitur miraculo, quum Christus quinq; panibus 5000. homines satiasset. Et morte illius non modicum dolorem concepit, sed de resurrectione certior factus in eum credidit, Romamque ad Petrum abiit, à quo plenè in fide institutus & in Galliam missus, quum ab infidelibus primò lapidibus, deinde plumbatis cæsus esset, tandem securi caput ei amputatum fuit prid. Calend. Maij. Sed mirum, quòd de his apud omnes Euangelistas altissimum silentium est.

XXX.

## M A I V S.

FESTA ET MEMORIÆ SANCTORVM, quæ mense MAIO à Christianis celebrantur.

PHILIPPI & IACOBI festum.

0 3



DE ORIGINE FESTORVM

I.  
Festi huius  
origo.

**V**IX tres Apostoli honorem hunc in primitiua Ecclesia sortiti fuerunt, vt peculiaria festa & solennitates ipsis instituerentur, B. Rhenano in Annot. ad Tertulliani lib. de Corona militis, teste. Progressu autem temporis decretum fuit, vt Calendis Maijs celebrarentur solennitates in honorem omnium Apostolorum: quod Graci facere dicuntur in festo Petri & Pauli. Postea autem duobus tantum hic locus relictus est, Philippo et Iacobo. Durandus lib. 7. cap. 10.

**PHILIPPVS** Bethsaidæ natus, vnus ex 12. Apostolis, qui primùm à Christo vocati sunt, missus fuit, quum Spiritum S. accepisset, in Scythiam ad prædicandum Euangelium: quam gentem ferè omnem ad Christianam religionem conuertit. Postremò autem, quum Hierapolim Phrygiæ venisset, propter Christi nomen cruci affixus, lapidibusq; obrutus est, Calend. Maij: Breuiarium Romanum.

**IACOBVS**, cognomento iustus, & Christi Apostolus, post Ascensionem Domini Hierosolymorum Episcopus creatur. Cum autem 30. annos Ecclesiæ illi sanctissimè præfuisset, Christum constantissimè prædicans, lapidibus primùm appetitur: mox in altissimum templi locum ductus, inde præcipitatus est. Qui, confractis cruribus iacens, semiuivusq; manus tendens ad cælum, grauius eius capite fullonis fuste percusso, animam Deo reddidit, 7. anno Neronis Cal. Maij.

II. Quarta DOMINICA Quinquagesimæ Cantate appellatur, ab Introitu ex Psalm. 98. Cantate Domino canticum nouum, &c. qui eo die in Ecclesia cantatur.

**ATHANASIVS** Alexand. ab Alexandro, Alexandrinæ vrbis Episcopo educatus, postea in synodo Nicæna diaconus, tandem ad eius vrbis episcopatum promouetur. In docendo mirus & accommodatissimus artifex fuit, rebusq; gerendis admirabili quâdam solertia, & inuictus Christianæ religionis propugnator. Arianorum fictis criminibus in exilium pellitur: inde verò reuocatus, varijsq; agitatus contumelijs, & insidijs petitus, infracto tamen animo Christi causam sustinuit, & tandem in Domino obdormiuit 6. Non. Maij.

DE INVENTIONE S.  
Crucis.

Orthodoxi nō  
reijciunt festa  
S Crucis, &c.  
simpliciter.

**I**N uentionis S. Crucis festo pauca quædam in genere de festis S. Crucis præmittam in Græcâ Ischeri Iesuitæ gratiam. Is enim libro primo de S. Cruce capite quinquagesimo nono. Grauius inquit, offendunt hæreticos dies festi Crucis uenerationi dedicati. Respondeo, Orthodoxos, quos iste hæreticos vocat, festi dies Crucis, Sacramenti, &c. per se non offendunt, vt supra satis demonstratum est: sed secundum quid. Si enim Papistæ festa Crucis in honorem & memoriam veræ Crucis, hoc est, passionis ac mortis Christi celebrarent, nullum sanum offenderent. Similiter, vt supra quoque dictum est, si Papistæ festum corporis Christi liberum relinquerent, vel in hunc usum celebrarent, vt quotannis certo die populus erudiretur de vero usu huius Sacramenti, deq; erroribus in eo exortis, festus dies talis tolerari utcumque posset: Sed quum festum hoc, & quæ in eo peraguntur, tanquam cultus necessarius & meritorius institutus sit, in eoq; populus de vero usu Sacramenti nihil erudiatur, tanquam idololatricum reijcitur. Eodem modo, quum S. Crucis festa celebrent non in Dominica Crucis seu passionis memoriam, sed in lignæ Crucis honorem, quæ ad salutem nostram nihil adiumenti conlucit, adprobari nullo modo possunt, præsertim cum in ijs lignum ipsum, non Christus, qui in eo pependit, adoretur & inuocetur. Sic enim hymnus horum festorum habet:

Saluæ Crux sancta: saluæ mundi gloria,  
Vera spes nostra: vera ferens gaudia.  
Signum salutis: salus in periculis,  
Vitale lignum: vitam portans omnium.  
Te adorandam, te crucem viuificam:

In te



In te redempti: dulce decus seculi:  
Semper laudamus, semper tibi canimus!  
Per lignum serui: per te lignum liberi, &c.

*Pergit Gretscherus, & inquit, Litigent, si lubet; aduersarij non nobiscum, sed cum maioribus nostris, qui iam olim singulari pietate ducti, certos dies sanctissimæ cruci, consignarunt. Nos id non fecimus. Sed maiores nostros religiosè potius imitari, quàm perfidè eorum vestigia deserere conamur. Respondeo, Ad eundem prorsus modum Iudæi idololatræ ad Ieremiam Prophetam dixerunt: Sic fecimus nos, & Patres nostri, & Reges nostri, & Principes nostri, & benè nobis erat. &c. Deus autem inquit: In statutis Patrum vestrorum nolite ambulare: &c. Ego Dominus Deus vos iter. Et Cyprianus inquit: Non videndum est quid aliqui ante nos fecerint, sed quid ille, qui ante omnes est, in suo verbo nobis faciendum præscripserit & præmonstrârit. Eutyches hæreticus dixit etiam, vt Act. 1. Chalcedon. Concilij videri licet: Sic à progenitoribus meis accipiens credidij, in hac fide genitus sum, &c. Sed quod à maioribus suis acceperat hæresis erat.*

*Addit Iesuita: Omnem honorem, qui Cruci defertur pertinere ad ipsum Christum. Respondeo, hanc protestationem contrariam esse factò, vt ex citato hymno intelligitur.*

*Pergit: Iudæi festum diem instituerunt posteritati sempiternâ memoriâ & solenni pompâ celebrandum, quando sacrum ignem inuenerunt, 2. Machab. 2. Item, festum Sortium, seu Mardochei. Hest. 9. Ergo in memoriam quoq; Crucis, &c. licet etiam in nouo Testamento festa institueret. Respondeo, Non valet consequentia à Ceremonijs veteris Testamenti, ad ceremonias Noui Testamenti; nisi velimus Iudaismum reuocare in Ecclesiam Christi, eiq; iugum nouum imponere.*

*Crucem, in qua pependit pro redemptione humani generis Iesus Christus, ab Helena Constantini Imp. matre inuentam esse, ex Ambrosij Oratione in Theodosij Imp. funere habita, Gretscherus Iesuita & alij probare volunt. Sic enim ibi: Venit Helena, cœpit reuifere loca sancta; infudit ei spiritus, vt lignum crucis requireret. Accedit ad Golgoatham, & ait: Ecce locus pugnæ, vbi est victoria? Quæro vexillum salutis, & non inuenio. Ego inquit in regnis; Crux Domini in puluere: Ego in aulis; & in ruinis Christi triumphus ille adhuc latet: & latet palma vitæ æternæ. Quomodo me redemptam arbitror, si redemptio ipsa non cernitur? Video quid egeris Diabole, vt gladius, quo peremptus es obstrueretur. Sed Isaac obstructos ab alienigenis puteos eruderauit, nec latere aquam passus est. Tollatur igitur ruina, vt vita appareat, promatur gladius, quo veri Goliæ caput est amputatum, aperiatur humus, vt salus fulgeat. Quid egisti Diabole, vt absconderes lignum, nisi vt iterum vinceres? Vicit te Maria, quæ genuit triumphatorem, quæ sine imminutione virginitatis edidit eum, qui crucifixus vinceret te, & mortuus subfugaret. Vinceres & hodie, vt mulier tuas insidias deprehendat. Illa quasi sancta Dominum gestauit, ego crucem eius inuestigabo. Illa generatum docuit; ego resuscitatum. Illa fecit, vt Deus inter homines videretur; ego ad remedium peccatorum diuinum de ruinis eleuabo vexillum.*

*Hanc autem Orationem Ambrosij, vt & alias aliquot, suppositicias esse Erasmus testatur, quòd in ijs nihil sit Ambrosiana vena. Gretscherus autem lib. 1. de S. Cruce pag. 39. dicit; Erasmi de Ambrosiana Oratione Censuram tanti facimus, quanti Calvinistas cum omnibus suis censuris. Quo ipso insignem insolentiam ac arrogantiam prodit Iesuitarum, qui omnes patres, ab ipsis dissentientes, & doctissimos viros, inter quos D. Erasmus merito numeramus, præ se contemnunt, censuris suis vellicant, & nihil nisi quod ipsi soli dicunt, scribunt ac faciunt rectum putant.*

*De tempore autem, quo inuenta est Crux, ita dissentiunt authores, vt nihil ferè certi de eo*



De tempore  
Inuentæ Cru-  
cis discrepan-  
tia.  
S. Crux non  
inuenta tempo-  
re Eusebij Pa-  
pæ.

statui possit. Platina in Vita Eusebij, qui Pontificatum Rom. adeptus est circa annos Christi 307. Durandus in Rationali lib. 7. cap. 11. & alij, ex Damaso tempore Eusebij Papæ inuentam esse dicunt.

Quâ autem ratione hoc fieri potuerit non inuenio: Nihil enim tum tempo-  
ris Constantinus in Syria iuris habuit, quæ incredibili Maximini tyrannide tunc  
premebatur: Verba sunt Onuphrij Panuinij Augustinensis monachi in suis ad Platinam  
Annotationibus in Vita Eusebij. Deinde, eo tempore, quo hæc referuntur facta, Helena si Ma-  
riano Scotto credimus, adhuc fuit Ethnica & infidelis, neq; etiam filius eius Constantinus adhuc  
plenè in Christum credidit; quod post Crucis in cælo visionem demùm ardentissimè fecit. Sic  
enim Marianus scribit: Anno septimo Constantini M. ad Euangelij veritatem, &  
secundum Dionysij Cyclum 305. Constantino quartò, & Licinio quartò Coss.  
Constantino à Papa Siluestro baptizato, scribit illi sua mater Helena, vt negans  
Christum, Iudæos sequeretur. Tunc Idibus Augusti congregati sunt cum Helena  
130. sapientiores Iudæorum, cum Constantino autem & Siluestro Papa 24. Episco-  
pi, à quibus Iudæi sacrâ Scripturâ superati sunt. Nicephorus etiam lib. 7. c. 36. hæc ea-  
dem refert, & porrò indicat, Helenam à Syluestro demùm ad fidem Christianam conuersam es-  
se. Quæro igitur, quâ Helena potuerit adhuc Ethnica & infidelis Crucem Christi, quam Genti-  
les summè abominabantur, Hierosolymis quærere? Quæro etiam, quâ potuerit Eusebij tempore,  
qui quinq; annis ante initum à Siluestro Episcopatum obiit, Hierosolymam, religionis ergò pro-  
ficisci? Nam post Eusebium ante Siluestrum Milriades Ecclesiam Rom. 4. annos & 7. menses  
rexit. Non immeritò ergo Volateranus lib. 22. Eusebij, ait, tempore Crucem inuentam  
ab Helena magna historiæ discrepantia est.

Hinc colligimus, falsum hoc quoq; esse, Eusebium Papam in memoriam inuentæ Crucis fe-  
stum vbiq; terrarum celebrari instituisse. Sic enim in Decretali eius ad Episcopos Thussæ &  
Campaniæ, & de Consec. dist. 3. Crucis legitur: Crucis D. N. Iesu Chrtisti, quæ nupèc nobis  
gubernacula sanctæ Rom. Ecclesiæ tenentibus, 5. Non. Maij inuenta est, in Ca-  
lendario die prædicto inuentionis festum vobis celebrare solenniter mandamus.  
Refert etiam Durandus lib. 7. c. 11. Rational. Hoc etiam decretum Vincentius in Speculo hi-  
stor. non Eusebio, sed Helenæ tribuit, lib. 14. cap. 96. & Nicephorus lib. 8. cap. 29. Vnde &  
Gretscherus Iesuita lib. 1. de S. Cruce cap. 56. dicit, Festum Inuentionis S. Crucis, quod Latina  
Ecclesia celebrat die 3. Maij, incertum est, quo auctore institutum sit.

Zonare senten-  
tia.

Zonaras tomo 3. Annal. in Constantino M. tradit, post baptizatum Constantinum Hele-  
nam, ascito sibi comite Siluestro, Hierosolymam profectam fuisse & Crucem reperisse. Sed ne  
hoc quidem verum est: nam baptizatus est Constantinus demùm cum iam finem vitæ suæ ad-  
esse animaduerteret, mortuâ Helenâ matre.

Eusebij senten-  
tia.

Eusebius in Chronico Inuentionem Crucis ad annum Constantini decimum quintum refer-  
re videtur. Ait enim: Anno Domini 325. imperij Constantini 16. Helena Constantini  
mater: diuinis monita visionibus, beatissimum Crucis signum, in quo mundi sa-  
lus pependit, apud Hierosolymam reperit. Sed ne Iesuita quoq; hoc probant, vt est vi-  
dere apud Gretscherum in lib. de S. Cruce pag. 154. & videntur hæc à posterioribus demùm ad-  
iecta fuisse. Certè Eusebius huius Inuentionis prorsus non meminit, vel in Constantini literis,  
vel in historia, in qua tamen, præsertim lib. 3. de Vita Constantini, multa de Helenæ peregrina-  
tione Hierosolymitana, & repurgatione Caluariæ montis narrat. Ac multis demonstrat Baro-  
nius tomo 3. anno 325. librorum incuriâ errores multos in Eusebij Chronicon irrepisse.

Hieronymus  
prorsus non  
meminit.

Rufini & alio-  
rum sententia.

Prorsus etiam non meminit Inuentionis S. Crucis Hieronymus in Chronicis, quod valdè  
miratur Vincentius in Speculo histor. lib. 14. c. 102.

Rufinus autem lib. 1. c. 7. & 8. Theodoretus lib. 1. cap. 18. Sozomenus lib. 2. c. 1. & 2. Socrates  
quoq; lib. 1. c. 17. historiæ Ecclesiasticæ indicant, Nicæno Concilio iam celebrato, hoc est, anno  
325. ferè post Eusebium Papam Crucem inuentam fuisse. Sic enim Sozomenus: Cùm iam Con-  
cilium Nicænum venisset ad exitum, & sacerdotes omnes domum reuertissent,  
impe-



Imperatori supra modum ideo latatus est, quòd Ecclesiam vniuersam de doctrina fidei consentientem videret. Atq; vbi pro Episcoporum concordia, pro se, pro liberis, pro imperio deniq; Deo gratias egisset, templum Hierosolymis, circiter locum qui dicitur Caluarie, ad honorem Dei illustrandum ædificare instituit. Per idem fere tempus Helena imperatoris mater venit Hierosolymam tum precandi causa, tum sancta illa loca visendi, quæ quoniam pio animo erga religionem Christianam erat affecta, visa est sibi operæ pretium factura, si lignum crucis veneranda inuenire posset. *Hæc Sozomenus. Et Baronius suspicatur, Crucem inuentam esse proximo anno à Nicæno Concilio, anno videlicet Domini 326. Imperij autem Constantini 21. Siluestri Papæ 13. At vulgo dicitur, Suspicionem esse nequam, ac proinde nihil certi inde colligi p. test.*

Baronij sententia.

*Theodoretus verò indicat, Helenam iam ferè octogenariam, ac non diu ante mortem Hierosolymam profectam fuisse, & in somnis diuinitus admonitam, crucem reperisse in monte Caluarie, sed maximo cum labore & difficultate. Nam, vt inquit Sozomenus, veteres Gentiles, qui Ecclesiam persecuti fuerunt, quoniam Christianam religionem, recens iam ortam delere & excindere omnibus opibus, viribusq; laborabant; iccirco eum locum ingenti aggere superiniecto obruerunt, eumq; in maiorem altitudinem, vt etiamnum apparet, erexerunt. Quin etiam vniuerso loco tum sepulchri, vnde Christus resurrexit, tum Caluarie, muro vndiq; circumdato, eum pro suo arbitratu exornare cœperunt. Nam primum sternunt lapidibus; deinde fanum Veneris superstruxerunt, postremò simulachrum in eo statuunt, ad eum sanè finem, vt & qui Christum in eo loco adorarent, Venerem viderentur colere, & temporis diuturnitate, vera causa cur homines eum locum venerarentur, veniret in obliuionem; quippe cum Christiani neq; eò tutò accedere possent, neq; alijs indicare auderent; sed contra omnibus pro certo confirmaretur, in eo loco aliud esse nihil, præter fanum gentium & Veneris statuam. Ita Sozomenus.*

Theodoretus.

*His etiam ad stipulatur Hieronymus in epistola ad Paulinum de Institut. Monach. Ab Adriani, inquit, temporibus vsq; ad imperium Constantini, per annos circiter centum octoginta, in loco Resurrectionis simulachrum Iouis, in Crucis rupe statua ex marmore Veneris à Gentibus posita colebatur: existimantibus persecutionis authoribus, quòd tollerent nobis fidem Resurrectionis & Crucis, si loca sancta per idola polluisent.*

*Refert igitur Paulinus in epistola ad Seuerum, Helenam Augustam multorum, tam Iudaorum quàm Christianorū operam vsam in quærenda Cruce & loco in quo abscondita delituit: imò etiam, vt ait Sulpitius lib. 12. militarem manum & omnium provincialium multitudinem adhibuit: Vnius tamen indicio potissimum inuenta Crux dicitur à Sozomeno, & Gregorio Turonensi lib. 1. c. 26. qui illum prius Iudam, post conuersionem verò ad Christum Quiriacum vocatum fuisse tradit. Si autem Helena prius in somno admonita, locumq; Crucis non ignorabat de eo diuinitus certior reddita, quid opus erat tot adiutoribus & indicibus? Respondet quidem Gretscherus pag 156. eam de loco Crucis non fuisse definitè à Deo edoctam. Sed quis hoc dixit Iesuita? aut ex quo authore id habet?*

Cruce inuenta magno labore.

Tandem verò, inquit falsus Ambrosius, apertâ humo, & decusso puluere, tria patibula confusa reperit, quæ ruina contexerat. Nam cum crucem in monte Caluarie quærent, in profunda quadam parte illius montis antrum seu sepulchrum, vnde Christus resurrexerat, emerit, ait Sozomenus; in altera autem parte eiusdem loci tres inuenta sunt Cruces.

*Hic rursus duo occurrunt dubia. Primum est, quòd dicitur, in vno eodemq; antro tres cruces inuentas esse. Sozomenus autem scribit lib. 2. c. 1. milites ligna crucium alia aliò temerè proieçisse. Quid enim curæ, inquit, hæc res illis erat, præsertim cum singuli prius festinarent domum redire, quàm aduersperasceret, & non ducerent commodum*



moras diutius circa cruces virorum violenter occisorum necere. Cui igitur opera precium visum est tres illas cruces disiectas colligere & simul in vno loco defodere?

Cruce Domini-  
ca vt agnita.

Alterum dubium est, quomodo, iuxta Ambrosium tria patibula in vno eodemque loco confusa re-  
perta fuerint, quo iudicio, vel signo & coniectura Helena eiusque adiutores crucem Dominicam  
agnoscere, eamque a duabus reliquis discernere potuerint? Respondet Ambrosius ille falsus ad  
hunc modum. Incerta, inquit, hæret, vt mulier, sed certam indaginem Spiritus san-  
ctus inspirat; eo quod duo latrones cum domino crucifixi fuerint. Querit ergo medium lignum:  
sed poterat fieri, vt patibula inter se ruina confunderet: casus mutaret & inueteret. Redit ad  
Euangelij lectionem: inuenit, quia in medio patibulo prælatus titulus erat: Iesus Nazarenus,  
Rex Iudeorum. Hinc collecta est series veritatis: titulo crux patuit salutaris. Hoc est, quod  
petentibus Iudeis Pilatus respondit: Quod scripsi, scripsi, id est, non ea scripsi, quæ vobis place-  
rent, sed quæ ætas futura cognosceret: non vobis scripsi, sed posteritati: propemodum dicens: Ha-  
beat Helena qua legat; vnde crucem Domini recognoscat. Inuenit ergo titulum: Regem ado-  
rauit, non lignum vtiq; quia hic gentilis est error, & vanitas impiorum. Sed adorauit illum,  
qui pependit in ligno, scriptus in titulo: illum qui sicut scarabeus clamauit, vt persecutoribus su-  
is peccata donaret. In hac etiam sententia fuit Chrysostomus, cuius verba Homil. 84. in Ioan-  
nem hæc sunt: Cùm postmodum defossum esset lignum Crucis, nulla de eo cura sus-  
cepta, cùm & fideles timerent, & alij vacarent, contigit vt diu post perquirere-  
tur: & cùm tres Cruces inuentæ essent, par est, & quia media erat (non igitur confu-  
sa fuerunt) & propter titulum Domini crucem agnitam: nam latronum cruces  
titulum non habebant.

Huic verò sententia de agnita Cruce Domini, contradicunt alij historici omnes, qui de In-  
uentione eius scripserunt, & dicunt, non titulo, sed miraculis Crucem Dominicam agnitam fuisse  
se. Nam Sozomenus Crucis Domini titulum a cruce reuulsum & separatam fuisse his verbis  
docet: Per difficile erat, crucem Domini a reliquis duabus internoscere, præsertim  
cum non illius modò inscriptio ab ea diuisa esset, verùm etiam ipsæ tres cruces  
promiscue proiectæ erant.

Bellarmin. lib. 2.  
de Imag. c. 27.  
Gretsch. de S.  
cruce lib. 1. c. 55  
Rufinus. lib. 1.  
c. 7.

Huic igitur discrepantiæ vt occurreret aliquo modo Bellarminus, & ex Bellarmino Gret-  
scherus, dicunt, Rufinum indicare, ex titulo quidem agnitam fuisse crucem Domini, sed non o-  
mninò euidenter, quia titulus non fuerit affixus Cruci, sed iacuerit propè eam. Sed hanc postre-  
mam particulam assuunt Iesuitæ verbis Rufini, quæ sic habent: Aderat quidem & titulus  
ille, qui Græcis, atq; Latinis & Hebraicis literis a Pilato fuerat conscriptus; sed  
nec ipse satis euidenter Domini prædebat signa patibuli. Nihil prætereâ.

Alio igitur modo, quàm titulo agnitam fuisse crucem Domini Rufinus scribit lib. 1. c. 7. &  
8. nempe, sanitatis restitutione semi mortuæ femina. Accidit in eadem vrbe, inquit Ruffi-  
nus, primariam quandam loci illius foeminam; graui ægritudine confectam: semi-  
necem iacere. Macarius per idem tempus Ecclesiæ illius Episcopus erat, is vbi cum  
stantem Reginam atq; omnes pariter qui aderant, videt. Adferre, inquit, huc to-  
tas, quæ repertæ sunt, cruces, & quæ sit, quæ portauerit Dominum, nunc nobis a-  
periet Deus. Et ingressus cum Regina pariter & populus ad eam, quæ decumbe-  
bat, defixis genibus huiusmodi ad Deum precem fundit: Tu Domine, qui per vni-  
genitum filium tuum, salutem humano generi, per passionem crucis conferre di-  
gnatus es, & nunc in nouissimis temporibus aspirasti in corde ancillæ tuæ per-  
quirere lignum beatum, in qua salus nostra pependit, ostende euidenter ex his  
tribus, quæ crux fuerit ad Dominicam gloriam, vel quæ extiterit ad seruilis sup-  
plicium, vt hæc mulier, quæ semiuiua decumbit, statim, vt eam lignum salutare  
contigerit, a mortis Ianuis reuocetur ad vitam. Et cùm hæc dixisset; adhibuit pri-  
mò vnam ex tribus, & nihil profecit: adhibuit secundam, & ne sic quidem aliquid  
actum est. Vt verò admouit tertiam repente ad pertis oculis mulier consurre-  
xit, & stabilitate virium recepta, alacrior multò, quam cùm sana fuerat, tota domo  
discurre.



discurrere, & magnificare Dei potentiam cœpit. Hæc Rufinus. Paulinus autem, & Sulpitius referunt, mortuum ad vitam reuocatum fuisse, contactu crucis Dominicæ, cum duabus alijs crucibus frustra fuisset vitæ recuperandæ gratia admotus. Videt igitur hic Lector maximam discrepantiam sententiarum, quo nempe signo vel iudicio Crux Dominica agnita fuerit. Quibus igitur fidem habebimus? Ambrosio ne & Chrysostomo, an Rufino, Sozomeno, Theodoro, &c? Scripturæ autem diuersæ, & fidem sibi inuicem derogantes, nihil firmitatis habent. l. Scripturæ de fid. instrum.

Adde his omnibus, quod nullus nominari potest fide dignus auctor, qui tempore illo, quo Crux inuenta dicitur, de eo scripserit aliquid, vel inuentionis huius aliquam saltem mentionem fecerit. Sed illi omnes ferè, quos supra nominauimus, coætanei fuerunt, & post octogesimum, nonagesimum, imò & centesimum quoq; annum demùm ab inuentione Crucis de ea scripserunt, & propterea omnia ex aliorum relatione tantum habuerunt. Quæ cum ita sint, ut hucusque indicauimus, non immeritò Gelasius Papa dist. 15. Sancta Rom. dicit, Inuentionem Crucis Nouellam esse reuelationem, quæ cum iudicio legenda sit, iuxta doctrinam Pauli. Omnia probate, & quod bonum est tenete. Respondet primo Gresscherus lib. 1. de Cruce cap. 55. loqui Gelasium non de scriptis veterum Patrum & historicorum, quibus Crucis inuentionem consignarunt, sed de libro quodam temporibus Gelasij nato, in quo nescio quæ reuelationes de Crucis inuentione continebantur. Sed unde hoc habet Iesuita? Dicat, quinam sit ille liber? quis sit eius author? in qua bibliotheca lateat? anne viderit illum vnquam? & quid contineat? hoc enim ipse quoque à nostris subinde requirit. Deinde, si tam certa et indubitata sunt illa, ut vult Gresscherus, quæ de Crucis inuentione scripserunt veteres, & certò constabat inter omnes, Crucem ab Helena inuentam, quis obsecro tam impudens fuisset, ut alias, & quidem nouas reuelationes de hac ipsa Cruce denuò inuenienda, confingere & publicas facere ausus esset?

Respondet secundo, quæ Paulinus, Sulpitius, Rufinus, &c. de Crucis inuentione scripserint, non potuisse Nouellas reuelationes appellari, cum omnes illi Gelasium antecesserint. Respondet, in Iure ciuili hodiè adhuc Nouellas appellari illas constitutiones, quæ ante multa secula sunt factæ & editæ: ita Gelasius quoque has reuelationes Nouellas appellat ex veteri more & consuetudine.

Respondet tertio, Recepisse Gelasium Opuscula Ambrosij, inter quæ sit etiam hæc Oratio de Inuenta Cruce, &c. Respondet, recepit equidem, sed non spuria, notha & supposititia, ex quorum numero Erasmus hanc esse Orationem non absque grauib; causis indicat. Et quis scit, an hæc oratio & quæ in illa referuntur, illæ ipsæ Nouellæ reuelationes vel relationes sint, quas Gelasius reijcit?

ALEXANDER Episcopus Romanus, Ecclesiam Rom. prædicando in primis iuuit, & multos ibi ciuium ad religionem Christianam conuertit, ob quam ipse, sub præside Aureliano, supplicia grauissima, anno Domini 121. 5. Non. Maij, ad mortem vsq; passus est, de quibus P. de Natal. lib. 4. cap. 118. Adon Treuren. Episcopus apud Surium tom. 6. de vitis Sanctorum refert. Damasus Papam Alexandri huius festiuitatem instituisse.

FLORIANVS quum esset Centurio sub Diocletiano & Maximiano Imp. ab Aquilino præside iubetur à militibus proprijs cædi, deinde ut scapula eius acutis configantur. Tandem ligato ad collum eius saxo de ponte in flumen præcipitatur apud Lauriacum oppidum, propter Christianam religionem, 4. Non. Maij. P. de Natal. lib. 4. cap. 121. Hic dies etiam in Episcopatu Ratisponensi Corona Dominica festus est.

GOTHARDVS primò monachus Altabensis in Bauaria cœnobij, postea verò eiusdem abb. efficitur, & in commendam etiam accepit Herfeldense, Degerense & Cremense monasteria: tandem Hildemensis Episcopus creatur. Vixit sub Ottone secundo & tertio, itemq; Henrico II. Imp. & moritur 3. Non. Maij. Surius tom. 7. de Vitis Sanctorum.

S. IOANNIS Euangelista & Apostoli ante portam Latinam, hoc die festum celebratur, quòd tunc Romæ eo loci in vas oleo calefacto plenum sit immissus, saluusq; inde egressus sub D.

IIII.

V.

VI.



DE ORIGINE FESTORVM

inIANO Imp. Refert hoc Tertullianus: Hieronymus verò eius non facit mentionem: & sunt qui incertissimum hoc esse dicant, adeò, vt etiam de loco ambigant, Ephesine an Romæ factum sit.

VII. **IVVENALIS** presbyter & medicus ex Affrica Romam veniens, audiensq; Narnienses Christianam religionem recipere nolle, ad eos profectus multos conuertit, & tandem eorum Episcopus creatur, apud quos etiam moritur.

VIII. **APPARITIONIS S. MICHAELIS**  
festum

Apparitiones  
Michaelis tres.

1. **A**pparitionis S. Michaelis archangeli tres sunt, propter quas hoc festum institutum dicitur. Prima facta est in monte Gargano. Quum enim diues quidam ex Siponto Campaniæ, nomine Garganus, bouem amisisset, illumq; in monte quæreret, eo inuento in aditu speluncæ, iratus telo cepit impetere bouem, quod inuersum illum sauciauit qui emiserat. Eo miraculo territus consuluit Episcopum, qui triduanum indixit ciuibus ieiunium. Eo ipso tempore apparuit S. Michael Episcopo dicens: Ego sum Michael archangelus, qui semper asto in conspectu Domini. Hoc autem signo declarare volui, me huius ciuitatis esse custodem, & speculatorem omnium quæcunq; in ea fiunt.

2. Postea circa annos Christi 390. vt Eccius habet tom. 3. homiliarum fol. 348. b. Horolanus autem in Calendario Ecclesiastico annum annotat 494. vbi etiam ex Vincentio & Antonino hæc sub Gelasio I. accidisse memorat, quum Neapolitani adhuc gentiles: Sipontinis & Beneuentanis bellum inferrent, qui Christiani erant, Episcopus Sipontinus rursus indicto ieiunio tridua no, iussit subditos suos S. Michaelis opem implorare, quod se custodem ciuitatis illius esse dixisset. Ea ipsa igitur nocte, priusquam prælium iniretur, apparuit ante os speluncæ S. Michael Episcopo, dicens, Orationem subditorum suorum esse exauditam, sibiq; victoriam promissam ex hostibus: commisit etiam illi, vt mane summo circa quartam diei horam cum hostibus confingeret. Hinc confirmati Christiani, aggressi sunt hostes, mons Garganus concussus est, fulmina plurima apparuerunt, & caligo atra montis verticem occupauit. Quibus rebus territi gentiles fugerunt, quos Sipontini Neapolim vsq; insequuti sunt, multiq; Neapolitani ad fidem conuersi. Hæc Eccius citato loco & Vincentius in Spec. hist. lib. 21. cap. 102. Quæ etiam, sed breui compendio narrat Durandus in Ration. lib. 7. cap. 12. & Surius tom. 5. de Vitis Sanctorum. Sunt autem, vt quiuis intelligit conficta, ad stabiliendam doctrinam de Sanctorum moruorum Inuocatione.

3. Tertia apparitio facta est Romæ Gregorij M. tempore. Cum enim is propter pestem inguinariam Letanias maiores instituisset, & pro salute populi orasset, vidit super castrum, quod olim Adriani moles dicebatur, angelum Domini, qui gladium cruentum, quem manibus tenebat, in vaginam recondebat. Vnde Gregorius intelligens preces à Deo exauditas, ecclesiam in honorem angelorum ibi construxit, & Castrum illud S. Angeli exin vocari iussit. Et quia postea maiores duæ visiones 8. die Maij facta perhibentur, iccirco in rerum istarum memoriam hoc festum institutum dicitur: & Panthaleon Diaconus & Charophylax magnæ ecclesiæ, apud Surius tomo 5. de Vitis Sanctorum, blasphemè dicit, archangelum Michaelis festum eius fide & desiderio alacriter celebrantes, ex omni difficultate & noxio occurso liberare, dare etiam eis salutarem gratiam, deducere quoq; ad petitionem semper vtilem & ad viam pœnitentiæ, eisq; peccatorum procurare remissionem, & in iustorum stationem connumerare in regno cœlorum.

Quid de apparitionibus Michaelis statuendum.

Quæ verò de apparitionibus & inuocatione Michaelis & templis in honore eius exstructis à Vincentio, Durando, Petro de Natalibus, Eccio & alijs referuntur, quum apud nullam fide dignum authorem extant, pro fabulis à multis habentur, sub titulo venerandæ antiquitatis ecclesiæ obtrusis. Sed sit ita factum vt referunt, illas tamen apparitiones illusiones diabolicas, & quæ in honorem Michaelis instituta sunt cultum idololatriæ, impium & prophanum fuisse liberè



liberè & ingenuè dico. Pugnant enim cum doctrina Apostolica, veterisq; ecclesia, & Concilijs, qua ijsdem temporibus, quo hæc facta dicuntur, celebrata sunt. Paulus enim monet Colossenses 2. cap. sibi caueant à pseudoapostolis, qui vt legem faciliùs obtrudere eis possent, vel angelorum cultum, quorum ministerio lex lata fuit, inducebant, vel apparitiones & visiones quasdam angelorum & spirituum iactabant. Vnde inquit: Ne quis p. lnam vobis interuertat datâ operâ per humilitatem & cultum angelotum &c. In qua verba Theodoretus sic inquit, Mansit diu hoc vitium in Phrygia & Pisiâ Quocirca synodus quoq; quæ conuenit Laodiceæ, quæ est Phrygiæ metropolis, lege prohibuit, ne precarentur Angelos. Et in hodiernum vsq; diem, licet videre apud illos & eorum finitimos, Oratoria S. Michaelis. Illi ergo hoc consulebant, vtq; humilitate vtentes, dicentes vniuersorum Deum, nec cerni, nec comprehendî, nec ad eum posse perueniri, & oportere per Angelos diuinam sibi beneuolentiam conciliare. Et hoc est quod Paulus dicit, In humilitate & cultu Angelorum. Idem reperit Theodoretus in 3. cap. Colossen. Præcipit inquit, Paulus, vt Deo patri gratiarum actionem emittant per Christum, non per Angelos: Hanc etiam legem sequens Laodicensa Synodus, & volens veteri illi morbo mederi, cauit, ne precarentur Angelos, & ne dereliquerent Christum. In Compendio quoque Hæreticarum fabularum, Cainis hoc tribuit, quod Angeli alicuius nomen inuocent: & tamen Iesuitas non pudet scribere, veterem Cainam hæresim esse, Sanctorum inuocationem improbare. Celebrata autem fuit Laodicensa synodus hæc, circa annum Domini 368. Operepretium autem est considerare, quâ fraude Canon ille nunc in Tomis Conciliorum deprauatus, Angelos in Angulos transformârit. Ita enim nunc habet 35. Canon: Non oportet Christianos, derelictâ Ecclesiâ abire, & ad angulos idololatriæ abominandæ congregationes facere, quæ omnia interdicta sunt. Quicumq; autem inuentus fuerit, occultæ huic idololatriæ vacans, anathema sit, quontam derelinquens Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei, accessit ad idola, &c. Theodoretus vero dicit, Canonẽ illum prohibere inuocationẽ Angelorum, ne quis angelos oret aut precetur, quasi per illos aditum sibi ad Dei gratiam & beneuolentiam facturus: cum hoc verò manifestè superiora pugnant.

Contra laue-  
tionem ange-  
lorum.

Canon Laodi-  
synodi depra-  
uatus.

STANISLAUS in Polonia Episcopus ab Innocentio 4. canonizatur, diesq; festus ei celebrandus indicitur hoc eodem die, quod tunc occisus esset. Factum anno Christo 1250. quum à cade eius anni 175. effluxissent. Surius tom. 3. de Vitis Sanctorum. Cromerus lib. 8. & 9. de Rebus Polonicis. Eius festum Clemens 8. hac die duplici officio vbiq; celebrari præcepit, quod dies natalis eius, quo passus est, 8. Idus Maij Apparitionis S. Michaelis Archangeli solennitati dicatus sit.

DOMINICAM quintâ Quinquagesimæ vocant, Voem, à cantu, Voem iucunditatis annunciate, &c. ex cap. 64. Isaia. Dies quoq; Rogationum in ea incipiunt, de quibus suo loco.

HERMES, si Dorotheo abbati credimus, vnus ex 70. Christi discipulis fuit, cuius meminit Paulus Rom. 16. Nonnulli librum Apocryphum, vulgò Pastoris dictum, ad eum, tanquam autorem referunt, sed falsò, quod & Sophronius indicauit. Mortuus est Romæ 7. Idus Maij.

GORDIANVS vicarius Iuliani Imp. conuersus ad Christianam religionem à quodam Ianuario cum tota familia, decollatur Iuliani iussu 6. Idus Maij, & corpus canibus projicitur, sed illasum mansit & sepultum fuit. Iac. de Voragine Legenda 69. & P. de Natal. lib. 4. ca. 149.

MAMERTVS Viennensis Episcopus, & author Rogationum tribus ante Ascensionem Domini diebus, moritur Vienna 5. Id. Maij. P. de Natal. lib. 4. cap. 152.

PANCRATIUS nobilissimis parentibus ortus, sed vtroq; orbatu cum Dionysio patruo Romam venit, vbi amplum patrimonium habuit. Cum autem in suis prædijs in monte Cælio habitarent, in eo vico Cornelius Papa cum quibusdam fidelibus propter persecutionem latitabat: à quo & fides & baptismum susceperunt patruus cum nepote. Post dies paucos Dionysius moritur, Pancratius verò 13. annorum puer, persecutoribus se vltro obrulit. Ductus igitur ad Valerianum Imp. dijs sacrificare iubetur: id verò cum facere nollet, iussit eum Augustus viâ Aureliâ duci, & ibidem decollari 4. Id. Maij. P. de Natalibus lib. 4. cap. 156.

P

IX.

X.

XI.

XII.



DE ORIGINE FESTORVM  
ASCENSIONIS CHRISTI IN COE-  
lum festum.

**A** Pud vetustiores authores festi Ascensionis Christi peculiaris mentio nulla fit, sed comprehendunt illud sub Quinquaginta illis festis diebus post Pascha. Cum vero illi non omnes ubiq; festi amplius haberentur, peculiaris solennitas facta est. Primus omnium, quod equidem sciam, D. Augustinus epist. 118. peculiarem eius mentionem facit, ubi sic inquit: Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atq; statuta retineri. Sicut quod Domini Passio & Resurrectio, & Ascensio in cœlum, & Aduentus de cœlo Spiritus sancti anniuersariâ solennitate celebrantur. Vnde apparet ante Augustini tempora memoriam Ascensionis Christi celebratam fuisse, sed eo modo, vt diximus: posterioribus autem temporibus, abrogatâ Quinquagesimâ, peculiaris solennitas facta est.

Festi huius pro-  
phanus.

In hoc autem Christi festo, quo memoria Ascensionis Christi in cœlos, & complementi salutis ac redemptionis nostræ, celebrari debebat, multa ridicula, imò profana & impia in Papas in hodiè sunt, de quibus Thomas Naogeorgus libro 4. Regni Pontificij ita canit:

Post venit illa dies, superas quas Christus ad arces  
Scandit, quam celebrant itidem potuq; ciboq;  
Prælaro: qua cuiq; aliqua est comedenda volueris,  
Haud scio quapropter. Post prandia templa petuntur,  
Truncus ibi, qui tempus ad hoc est visus in ara,  
In summum trahitur, demisso fune lacunar,  
Cœtu sacrificium deducente atq; canente.  
Inde statim Satanæ præceps perturpis imago  
Deijcitur, nonnunquam ardens, diruptaq; profus.  
Expectant pueri cupidè, virg. s. p. iacene. n.  
Concidunt, lacerantq; in paruas deniq; partes.  
Post hæc deijcitur panis, quem barbara turba  
Nuncupat Oblatas: cui sæpè admixta papyrus  
Imponit pueris: finiunt magno omnia risu.  
Ex laqueari etiam certâ syphonibus arte  
Etzculantur aquas, si quem tinxisse laborant,  
Atque ita finitur magno fabella cachinno.

**SERVATI** quoq; festum hoc die celebratur, quod tunc obiit. Fuit Episcopus Trais-  
ensis. Quod si Legendis monachorum credimus, vltra 300. annos vixisse eum comperiemus.  
Aiunt enim contemporaneum fuisse Christo, eiusq; cognatum, sic vt si Christus liberis habuisset,  
eum Seruatio quarto gradu ex consobrinis nepotes fuissent. Constat autem claruisse eum Am-  
brosij & Hieronymi aetate. Et tamen putidissimum hoc mendacium Henrici 5. tempore à Cœ-  
lestino 4. Papa fuit approbatum in publico Cardinalium consistorio. Pet. de Nat. lib. 4. ca. 162.

XIII.

**FORTVNATVS** Vicentinus temporibus Diocletiani & Maximiani Imp. apud A-  
quileiam passus est sub Euphemio Praside. Cum enim in Iouis templo sacrificare nollet, iussit  
eum Præses fastibus cadi: deinde in equuleo suspensum lampadibus adhibitis circa latera aduri,  
& posthac extendi supinum feruensq; oleum super ventrem eius perfundi: tandem e ductus ex-  
tra vrbs muros decollatus est pridie Id. Maij, & corpus eius Vicentiam translatus. Pet. de  
Nat. lib. 4. cap. 167.

XV.

**TORQVATI**, Episcopi Aethij in Hispania, festum Idibus Maij celebratur. Pet. de Nat.  
lib. 5. cap. 3.

XVI.

**DOMINICA sexta** Quinquagesime Exaudi appellatur, à cantu ex Psal. 27. Exaudi Do-  
mine vocem meam, quâ clamaui ad te.

PERE



**PEREGRINVS**, cuius festum eodem die colitur, Romanus fuit presbyter, quem Gallis perentibus doctorē Sixtus Episcopus Rom. misit: apud aliquos quum religionē Christianam con sinuis persecutionibus perturbatam, ac sublatam propemodum, restituisset, Romamq̄ regredi decreuisset, in itinere martyr factus est 17. Cal. Iunij. Nugantur superstitiosi homines, cum corpus eius ad S. Dionysium propē Lutetiam Parisiorum adueheretur, campanas vltro sonitum edidisse, & monachos stupentes voce de cælo admonitos sancti viri corpus adesse, obviam ei processisse, ac in capsâ argentea honorificè sepelisse. Pet. de Natal. lib. 5. cap. 5.

XVI.

**TORPETVS** Pisanus sub Nerone Imp. passus est: nam cum is Pisas restaurasset, templum Diana ibi extruxit, vbi & cælum aeneum fabricavit 90. columnis sustentatum, cuius imaginibus Solis, Lunæ & Stellarum, quæ artificiosè oriebantur & occidebant, cum foraminibus fistularum, per quæ guttula aquæ destillantes pluuiam simulabant: fecit etiam quadrigam subterraneam, quæ commota tonitrua mentiebatur. Torpetus autem consiliarius Imperatoris, ad fidem Christianam conuersus, cum hac irruerit, post multa verbera eo loco quo Arnus in mare decidit capite truncatur 3. Cal. Maij: corpus autem in mare proiectū ac in Hispaniam delatū honorificè sepelitur 16. Cal. Iunij, quo in loco postea templum edificatum est: & festū die sepulture eius ibidem celebratum. Pet. de Natal. lib. 5. cap. 8.

XVII.

**VENANTIVS** sub Decio Camerina captus & fustibus casus, deinde in carcerem detrusus, indeq̄ eductus leonibus obijcitur, sed illæ sus cōseruatur. Postea pedibus appensus verso deorsum capite faculae ardentes eius vertici supponuntur. Cum autem & hoc supplicij genus tollerasset, manibus & pedibus extenditur, & ignis sub eius ventera solummodò accenditur, & crudelissimè affligitur. Tandem, quum hæc omnia superasset, gladio caput eius præciditur, & à Christianis sepelitur 15. Cal. Iunij. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 12.

XVIII.

**POTENTIANA** filia fuit Pudentis nobilissimi Rom. & soror Praxedis. Cum multos martyres sepelisset Romæ moritur ibi 14. Cal. Iunij inq̄, cœmeterio Priscilla sepelitur sub Anthonino Imp. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 15.

XIX.

**COELESTINVS V.** Papa per Clementem 5. Sanctorum Confessorum Catalogo inscriptus est anno Domini 1313. 3. Non. Ma. ab eius autem morte anno circiter 11. Fuitq̄ eius festiuitas instituta 14. Cal. Iunij, quâ die mortuus est.

XX.

**BERNARDINVS** Senensis anno Domini 1400. habitum Franciscanorum monachorum assumpsit, ætatis suæ anno 22. Anno verò 1420. ad eos Obseruantes cōmigravit qui in Columbarij antiquo monasterio degabant, quod situm erat hæud procul Senis in obscuro nemore, ibiq̄ Minoritanæ Obseruationis institutum sequi cœpit. Moritur autem 20. Maij anno Christi 1444. Canonizatur à Nicolao 5. anno 1449. vel iuxta alios 1450. vel iuxta alios 1450. eiusq̄ festum hoc die celebrandum instituitur. Sabellicus Enne. 10. lib. 5. Antoninus tit. 24. cap. 5. § 4. Platina & Surius tomo 7.

XXI.

**HOSPITIVS** apud Niceam urbem in Gallia ex superstitione turri seipsum inclusit, & catenis ferreis corpore nudo se constrinxit, extrinsecus cilicio tantum indutus. Victu tenuissimo vsus est, pane scilicet cum paucis dactylis. Gregorius Turorensis lib. 6. cap. 6. & 7. & 97. multa superstitiosa de eo commemorat, quæ ijs qui talibus delectantur relinquimus. Moritur est circa annum Domini 564. 12. Cal. Iunij. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 27.

XXII.

**CASTVS & AEMILIVS** in Africa ob Christianam religionem viui exusti sunt 11. Cal. Iunij, circa annum Domini 241. sub Gordiano. Cyprianus Serm. de lapsis, & Pet. de Nat. lib. 5. cap. 30.

## PENTECOSTES festum.

XXIII.

**Polydorus Vergilius** lib. 6. cap. 8. indicat, fuisse nonnullos qui putarint, Pentecosten diem non fuisse festiuum inter Christianos Apostolorum tempore. Et certè eius rei vestigia nulla extant expressa in Nouo Testamento. Lucas quidem Act. 20. sic scribit, Festinabat Paulus si possibile sibi esset, vt diem Pentecosten faceret Hierosolymis: & Epiphanius

Pentecosten  
d. es an olim  
festus.



DE ORIGINE FESTORVM

hæres. 75. exponit hoc de Pentecoste Christianorum. Nihilominus tamen Bellarminus quoque Iesuita fatetur, non omninò esse certum an Lucas hic loquatur, sicut & Paulus 1. Cor. 16. de Iudæorum, an Christianorum Pentecoste. Imò Beda etiam in Retract. & Thomas Vualdensis tom. 3. de Sacramental. cap. 141. num. 1. de hoc dubitant. Suprà enim quum de Libertate Christianorum ageremus circa festa, satis, opinor, probauimus, Apostolos initio nascentis Ecclesie, ob infirmitatem nonnullorum, Iudæorum quoq; festa ad tempus obseruasse, sicut alia ceremonialia. His adde quæ Marcellus Francolinus de Tempore horarum Canoniarum cap. 84. scribit: Oportere, inquit, hæc verba Lucæ intelligere de festo Pentecostes Christianorum, non Iudæorum, videtur parùm probabile, & contra communem Expositorum sententiam. NAM TVNC TEMPORIS non erant adhuc celebres Christianorum festiuitates, cum Euangelium non esset adhuc plenè promulgatum. Quærit quidem Polydorus citato loco, Cur tanto Paulus opere ad hunc diem agendum properasset, nisi fuisset iam tum apud Christianos festus quàm celebratissimus? Sed facilis est responsio: Quia enim ingens multitudo Iudæorum in festis celebrioribus conueniebat, Paulus hac occasione vsus est ad Euangelij propagationem. Quæ etiam causa fuit, quòd Seruator ipse in maioribus festis Hierosolymam plerunq; ascendit, & in celebratissimo festo Paschatis ibidem mori voluit.

Mentionem tamen eius disertè faciunt, Irenæus apud Iustinum quæst. 115. quamuis liber ille non videatur esse Iustini, Tertullianus de Corona militis, Origenes lib. 8. contra Celsum, Hilarius præfatione in Psalmos, Theophilus lib. 1. Paschali, Hieronymus epist. ad Marcellum, Greg. Nazianzenus, Chrysostomus, Ambrosius, & Augustinus epist. 118. In Elibertina quoque synodo, circa tempora Niceni. Concilij habitâ. ca. 43. sancitur, vt cuncti diem Pentecostes celebrent: quod qui non fecerit, quasi nouam hæresim induisset puniri præcipitur.

Pentecoste cur celebratur à Christianis.

Quemadmodum autem in hoc festo memoria legis diuinæ promulgatæ quondam in monte Sinai reolebatur à Iudæis magno studio, vt conijcitur ex Act. 2. cap. Sic à Christianis festum hoc obseruari cæptum est, propter missionem Spiritûs sancti, hoc die visibiliter factam, qui legis diuinæ vnicus, idemq; optimus interpres est.

Superstitiosi ritus in Pentecoste obseruari.

Superstitiosum verò ritum in Pentecostes festo obseruatum Thomas Naogeorgus lib. 4. Regni Papiastici ita describit:

In Pentecoste mites albæq; columbæ  
Funiculis leuiter vinctæ mittuntur ab alto:  
Lignea postremò cælo dependet eodem.  
Cernis vt idolis ludant, doceantq; popellum,  
Non secus ac puppis teneræ assueuere puellæ.

DESIDERIVS quoq; Lingonensium Episcopus hoc die colitur. Cum enim Vuandali Croscio duce Gallias vastarent, & inter ceteras Lingonensium etiam ciuitatem obsiderent, motus calamitate ecclesie sue hic Episcopus, editiorem muri locum cæpit, supplicemq; pro suo grege agens, lamentabili oratione clementiam Ducis implorauit; indeq; se mox in templum contulit, pro peccatisq; populi, & ad Deum intercedens, ardentissimis gemitibus orauit. Vuandali autem expugnata vrbe trucidantes promiscuam multitudinem Christianorum, demum & Episcopum orationi instantem offendunt: quem magnâ immanitate è templo abreptum, ad Ducem suum adducunt. Cumq; se animo paratissimo ad necem vel vltro offerret, modò reliquo castrui parceretur, eductus ex vrbe capite plectitur, 10. Cal. Iunij, anno Christi 411. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 31. & Vincentius lib. 26. cap. 1.

XXIII.

DONATIANVS cum fratre Rogatiano in Gallia sub Diocletiano & Maximiano Imp. propter Christianam religionem, extensus ac laniatus, deinde lanceâ militari perfossus, nouissime capite cæsus est 9. Cal. Iunij. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 37.

XXV.  
Vrbani dies criticus.

VRBANVS fuit 16. Romanæ ecclesie Episcopus, multosq; ad fidem Christi conuertit, tandemque martyrio coronatus est sub Alexandro Imp. 8. Cal. Iunij. Dies hic Criticus censetur quòd serenitas eius abundantia, pluuia verò penuria vini portendant. Quæ ex causa, incertum est.

est



est. In Alsatia, feracissima vini regione, si hoc die cœlum serenum fuerit, imaginem ligneam Urbani magna cum pompa per vicos & compita ducunt: sin pluuium sit, per lutum eandem trahunt & volutant. Acriter autem reprehendit hanc consuetudinem Molanus Pontificius in lib. de Piſturis cap. 26. Abolendus est, inquit, abusus ille ter execrandus, nondum locis quibusdam abolitus, vt scilicet D. Pauli & S. Urbani imagines in profluentem conijciantur, si forsan eorum dies festiui inciderint in pluuium cœlum, aut fœdam tempestatem, maximè si in die Conuersionis Pauli hoc accidat. Scripsit in regno Nauarræ, librum de Superſtitionibus, Martinus de Arles, Doctor Theologus, contra eos qui tempore siccitatis, imaginem S. Petri, aut corpus S. Feliciæ Labiani, ad oram fluminis processionaliter ducunt, & submergunt, vel submergere attentant, inde sperantes sortiri suum effectum, &c.

QUADRATUS Apostolorum discipulus, & Athenis verbi Dei præco fidelissimus pluribus annis, tandem ibi in pace obdormiuit, 7. Cal. Iunij Heronymus.

XXVI.

BEDA ex infimo Anglosaxonum genere natus, & in cœnobio institutus, mox euasit vir doctissimus, & ob exactam Latinæ, Græcæ & Hebraicæ linguæ peritiã, stili suauitatem, & dicendi copiam, à multis Gregorio M. prælatus fuit. Tandem ob assiduos labores anno Christi 734. Sigebertus tres annos minùs habet, ætatis suæ 72. moritur 6. Cal. Iunij. De Beda, inquit, illud vulgatum constat esse figmentum, fuisse nimirum oculis orbum: nemo enim id veterum testatur. Traditur & fabella quædam de sepulchri ipsius epitaphio, quam his verbis Petrus de Natal. in Catalogo Sanct. lib. 5. c. 55. refert: Cùm, inquit, discipulus eius, eo defuncto, titulũ sepulchro ponere disposuisset, vnico carmine Leonino sic incipiente: *Hac sunt in fossa, velletq; finire, Bedæ sancti, vel presbyteri ossa, nec metrum stare posset, nec vllum ei vocabulum aliunde occurreret: tædio affectus, tandem iuit dormitum: & ecce manè in tumulo angelicis manibus reperitur insculptum Hac sunt in fossa Bedæ venerabilis ossa.* Sed hos falsitatis redarguit & irridet Trithemius lib. 2. de viris illustr. Ordinis Benedict. c. 21. aliter enim se habere ait epitaphium ad eius sepulchrum inscriptum quod recitat lib. 3. cap. 155. Ex quibus irritum prorsus redditur de Leonino versu commentum. Sed, Baroni, huiusmodi multa à monachis et alijs superstitiosis hominibus, ob cultum idololatricum stabiliendum, conficta & excogitata sunt.

XXVII.

VVILHELMVS Aquitanie dux, Pictauiensis Comes & S. Bernhards discipulus fuit. Is, quòd liberis careret, abiectis secularibus armis Monasticen profiteri capit, anno ferè Domini 1150. Ac primùm relictis omnibus Romam venit: deinde tollerantia gratiã loricam ferream super nuda carne cum triplici catena indutus Hierosolymam petijt. Post S. Iacobi oraculum in Hispania consuluit: rursusq; Hierosolymam petens, à Saracenis captus, pauloq; post dimissus ac reuertens, in insulam Hetruria proximam applicuit, in qua in loco deserto aliquandiu substitit, eremitarum modo in saltibus proximis victitando durissimè. Postremò inde egressus cœnobìa aliquot construxit, in qua hinc inde dispersos eremitas collegit, & in solitudinibus agentes homines. Tantã autem superstitione hoc vitæ genus excoluit, vt eius fratres Vuilhelmitæ primò dicerentur, qui postea ab Innocentio 4. Augustinenses appellati sunt. Natal. Moritur 5. Cal. Iunij, vt Pet. de Nat. indicat lib. 5. cap. 61.

XXVIII.

MAXIMINVS, quem alij Maximum vocant, Treuirensium Episcopus celeberrimus fuit, hospes & amicus Athanasij, quem in Gallias deportatum à Constantino Imp. benignè suscepit, vt cum quo fidei ac doctrinæ puritate constanter sentiret. Aduersi quid ab Episcopis Orientalibus in synodo Sardicensi passus est. Sozom. lib. 3. cap. 11. Moritur 4. Cal. Iunij, Pet. de teste lib. 5. cap. 64.

XXIX.

## S. TRINITATIS festum.

XXX.

DVrandus in Rationali lib. 7. cap. 34. affirmat, Gregorium 4. qui Pontificatum Rom. tenuit circa annos Christi 834. instituisse, vt festa celebrarentur non solum in honorem

Festi huius antiquitas.



DE ORIGINE FESTORVM

*Apostolorum & Martyrum, sed etiam TRINITATIS, Angelorum, &c. Ex Porhono autem Prumiensium presbytero, qui floruit circa annos Domini 1152. collitur, haud diu antè hæc tempora hanc à monachis solennitatem institutam. Nam inquit: Miramur satis, quid visum fuerit HOC TEMPORE, quibusdam monasterijs, mutare colorem optimum, nouas quasdam inducendo celebritates. Nunquid patribus doctiores aut deuotiores sumus? Superbâ mente præsumimus, quicquid ipsorum in talibus prudentia præterfuit. Neq; verò noui huiusmodi aliquid inuenire possumus, quod eorum quiuerit diligentiam præterisse. Quæ igitur ratio hæc festa celebranda nobis induxit? Festum videlicet S. TRINITATIS, & festum Transfigurationis Domini, &c. Lib. 3. de Statu domûs Dei. Alexander 3. quoq; testatur, cap. Quoniam de ferijs, suo quidem tempore fuisse hoc festum in usu apud quasdam ecclesias, non tamen Romæ, neq; etiam necessarium esse ut celebretur. Verba eius hæc sunt: Festiuitas S. Trinitatis, secundum consuetudinem diuersarum regionum, à quibusdam consuevit in Octauis Pentecostes, ab alijs in Dominica prima ante Aduentum Domini celebrari. Ecclesia siquidem Romana INVS non habet, quòd in aliquo tempore huiusmodi celebret spiritualiter festiuitatem, cum singulis diebus Gloria patri, & filio, & spiritui sancto, & similia dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis. Micrologus etiam in libro de Observationibus Ecclesiasticis, capite sexagesimo repræhendite eos, qui festum hoc celebrant. Et quia videri alicui posset, festum hoc esse antiquum, quum Præfatio de Trinitate sit vna ex nouem, quas Pelagius 2. tanquam antiquissimas seruari præcepit; respondet Micrologus, hanc Præfationem in omnibus Dominicis cantari solitam, neq; esse propriam festi Trinitatis. Postea tamen etiam Romæ receptum fuit.*

XXXI.

*PETRONELLA à Legendarum insulsiimarum authoribus filia S. Petri Apostoli fuisse perhibetur. Hanc Roma febribus laborantem, intercessionem discipulorum cum Petro discumbentium, à parente sanata esse iisdem nugantur: & ob hanc causam à febricitantibus inuocatur. Sed hanc fabulam natam ex ea historia, qua in Euangelio extat de Socru Petri, quæ uis intelliget. Mortua dicitur prid. Cal. Iunij, anno Christi 35. Hinc fit, ut Petronella auxilium à febricitantibus imploretur.*

I V N I V S.

FESTA ET MEMORIÆ SANCTORVM  
quæ mense I V N I O à Christianis  
celebrantur.

VI

**P**AMPHILVS martyr & Sacerdos Casarea Palestina oriundus, in eadem ciuitate passus est martyrium sub Maximiani persecutione, Cal. Iunij. Hieronymus de Viris illustribus.

II

**B**RASMVVS Episcopus Lucridinus Diocletiano & Maximiano Imp. in Campania plumbatis et fustibus cæsus, resinâ quoq; sulphure plumbo liquefacto, & feruenti pice, cerâ, oleoq; perfusus, inde tamen integer & inuiolatus euasit. Quo miraculo multi se ad fidem Christi conuerterunt. Itaq; iterum detrusus in carcerem, constrictus ferreis grauissimiq; vinculis, inde ab angelo mirabiliter ereptus est. Deinde à Maximiano varijs affectus supplicijs, tunicaq; ardens candenti indutus, illa etiam tormenta diuinâ virtute superauit: atque in Campaniam profectus, plurimis & in fide confirmatis, & ad fidem conuersis, insignem martyrij palmam adeptus est. 4. Non. Iunij. P. de Nat. lib. 5. cap. 75. & Breuiarium Rom. nouum.

**E**ODEM die strages Sendomiriæ à Tartaris edita anno Domini 1260. quasi martyrum Christi, anniuersariâ uisitatione & celebritate, magno populi concursu Sendomiriæ in hodiernum usq; diem recolitur, magnâ Alexandrini 4. Pont. Max. indulgentiâ cumulata ac dedicata. Cromerus lib. 9. rerum Polonicarum.

CORPORIS



**C**orporis Christi festiuitatem cum Octauis, die Iouis post Trinitatis solennia, celebrandam, Urbani IV. qui Pontificatum Romanum tenuit circa annos Christi 1264. inuentum & institutum esse, in confesso apud omnes est.

Causa autem motiua super prima huius festi origine & institutione, non eadem recensentur. Sed hanc, inquit Balæus, accipe certiozem esse ex Arnolde Bostio ac Petro Præmonstratensi. Anno Domini 1264. reuelatio, super hoc Sacramenti festo celebrando, cuidam EVÆ fœminæ in terra Leodiensi, in otio supersticioso reclusæ, ac Pontifici ante Papatum familiariter notæ, facta est: quam per suas literas Pontifici significauit, rogans vt festum illud Papali auctoritate solennizandum ordinaret: Cui has literas remisit Urbanus Papa. VRBANVS Episcopus, Seruus seruorum Dei, dilectæ in Christo Euæ salutem & Apostolicam benedictionem. Scimus, ô filia, quòd magno desiderio desiderauit anima tua, vt solenne festum Corporis Domini nostri Iesu Christi institueretur in Ecclesia Dei, à Christi fidelibus perpetuis temporibus celebrandum. Et ideo tibi significamus ad gaudium, quòd nos ad corroborationem catholicæ fidei dignum duximus statuendum, vt de tam mirabili Sacramento, præter quotidianam commemorationem, quam de ipso facit Ecclesia, specialior & solennior memoria celebretur, certum ad hoc designantes diem, videlicet feriam quintam, proximam post Dominicam festi Pentecostes proximè sequentem, vt ipsa feriâ 5. deuotæ turbæ fidelium, propter hoc ad ecclesias affectuosè cõcurrat. Sitq; dies ille vniuersis Christicolis nouâ festiuitate iucundus, & amplâ iucunditate festiuius, prout in literis Apostolicis, quas per vniuersum munus super hoc direximus, plenius continetur. Et scias, quòd nos huiusmodi festum cum omnibus nostris fratribus, Romanæ videlicet ecclesiæ Cardinalibus, nec non cum omnibus Archiepiscopis, cæterisque ecclesiarum Prælatibus, tunc apud sedem Apostolicam commorantibus ad hoc, vt videntibus & audientibus de tanti festi celebritate præberetur exemplum, duximus celebrandum. Magnificet igitur anima tua Dominum, & exulet Spiritus tuus in Deo salutari tuo: quia viderunt oculi tui salutare tuum (*horrendum idolum*) quod parauimus ante faciem omnium populorum. Lætare insuper, quia omnipotens Dominus tribuit tibi desiderium cordis tui, & voluntate laborum non fraudauit te celestis gratiæ plenitudo, etc. Hanc epistolam se vidisse testatur Arn. Bostius ac legisse, epistolâ 6. ad Ioannem Paleonydorum, vt refert Balæus de Script. Britan. Cent. 4. cap. 38.

Onuphrius Panuinius in suis ad Platinam Annotationibus, in vita Urbani IV. quæ de visione monialis istius Euæ ex Bostio & Petro Præmonstraten. narrauimus, fabulam esse dicit. Turpe enim & valdè ignominiosum fore putauit, si hoc festum, quo Pontificij aliud non habent maius, in vnius mulierculæ gratiam institutum diceretur. Itaq; ille aliam originem huius festi indicat. Dicit enim, propter miraculum quoddam quod Vulsinijs quam alij Bulsanam vocant, in dicecesi & ditone Vrbeuetana in Ecclesia S. Christianæ acciderit, ab Urbano IV. institutum fuisse. Nam dum sacrificulus quispiam sacra Missarum solennia celebraret, sacramento iam confecto, de panis & vini Transsubstantiatione, & Christi corpore dubitauit. Vnde statim ex hostia, quam in manibus tenebat, viuus sanguis manare cœpit & totam mappam, quam Corporale vocant, tinxit. Quò miraculo attonitus Pontifex Urbanus IV. Corporale primùm ad se ab Episcopo loci cum processione in urbem veterem transferri voluit, & illud solennitate institutâ in Ecclesia Vrbeuetana recõdidit, vt in ea corp⁹ Christi maiori coleretur honore, quâ in quotidianis Missarum solennijs. Et paulò post: In cuius postea rei memoriam ciues Vrbeuetani tunc nobiles, ditissimi, & potentes nobilissimum templum Deo & B. virgini Mariæ à fundamentis construere cœperunt, tantâ mole,



apparatu, & impensarum magnitudine celebre, vt nullum toto terrarum orbe tunc ei potuerit comparari. Ceterum hoc non nisi 25. anno, post Christi verò 1290. factū fuit Nicolao I V. Pontifice Maximo, qui eodem anno 13. die Nouembris primum lapidem in maximi & augustissimi templi fundamentis, Cardinalibus cum omni Romana curia, multis peregrinis praelatis, Episcopo ciuitatis, Clero, Magistratibus, nobilibus, & vniuerso populo Vrbeuetano adstantibus, post celebres supplicationes habitas, solenniter posuit, maximasq; singulis annis ipso die Ecclesiam illam visitantibus, indulgentias largitus est, ab alijs postea Pontificibus confirmatas & auctas. In quo celeberrimo templo, cum perfectū pœnè fuisset, postea sanctum corporale collocatum, altari & tabernaculo ad illud conseruandum elegantissimè fabricatis, quod singulis annis in die Corporis Christi in celebri illa supplicatione deuotissimè circumfertur, finitimis omnibus populis eò illà die ad id videndum confluentibus. Eius porrò templi anterior pars tota è marmore Pario incrustata est, varijs & elegantibus sigillis noui & veteris Testamenti exornata, multisq; alijs decorata ornamentis, quæ eo tempore excellentius in statuariaria opus existimata est, omnium quæ toto terrarum orbe id genus essent. Hæc Onuphrius omnia. Narrat etiam Petrus de Natalibus lib. 5. cap. 45. Et Antoninus tit. 19. c. 13. § 1. miraculi huius quoq; mentionem facit, non tamen addit, quòd propter illud festum hoc institutum sit.

Prolemaeus Lucensis refert, Urbanum Papam ad petitionem Thomæ Aquinatis hoc festum instituisse, non tamen adnotatâ causâ. Illud certum ex Antonini tit. 19. c. 13. § 1. Aquinatem Officium festi Corporis Christi cum hymno & prosa composuisse, quæ extant inter eius opera. Et ab Urbano in præmium retulit columbam argenteam, Naclero teste. Hinc fit, vt semper in dextro humero columbam, & manibus calicem gestans depictus conspiciatur Thomas.

Bulla de institutione huius festi edita.

Quod autem ipsam Bullam attingit, cuius in suo scripto ad Euam suam meminit Urbanus, & quam per vniuersum orbem Christianum direxit, commendat in ea ab initio mirandum in modum Eucharistiæ Sacramentum, & tandem ad Corporis Christi festum descendens, in hæc verba erumpit: Licet, inquit, hoc memoriale Sacramentum in quotidianis Missarum solennijs frequentetur: conueniens tamen arbitramur & dignum, vt de ipso semel saltem in anno, ad confundendam specialiter hereticorum perfidiam & insaniam, memoria solennior & celebrior habeatur. In die namq; cœnæ Domini, quo die Christus hoc instituit Sacramentum, vniuersalis ecclesia pro pœnitentium reconciliatione, sacri consecratione chrismatismatis adimpletionem mandati, circa lotionem pedum, & alijs plurimum occupata, plenè vacare non potest celebrationi huius maximi Sacramenti. Hoc enim circa Sanctos, quos per anni circulum veneramur, ipsa obseruat ecclesia, vt quamuis in Litanijs & Missis ac alijs ipsorum memoriam sæpius renouemus: nihilominus tamen ipsorum natalitia certis diebus per annum solennius recolat, festa propter hoc eisdem diebus specialia celebrando. Et quia in his festis circa solennitatem debitum aliquod per negligentiam, aut rei familiaris occupationem, aut aliàs ex humana fragilitate omittitur, statuit ipsa mater ecclesia certam diem, in qua generaliter Omnium Sanctorum commemoratio fieret, vt in hac ipsorum celebratione communi, quicquid in proprijs ipsorū festiuitatibus omissū existeret, solueretur. Potissimè igitur exequendū est erga hoc vniuersum sacramentum CORPORIS & SANGVINIS Iesu Christi, qui est Sanctorum omnium gloria & corona, vt festiuitate ac celebritate præfulgeat speciali, quatenus in eo quod in alijs Missarum officijs circa solennitatem est forsitan prætermisum, deuotâ diligentiam suppleatur: & fideles (festiuitate ipsa instante) intra se præterita memorantes, id quod in ipsis Missarum solennijs secularibus forsitan agendis impliciti, aut alia ex negligentia vel fragilitate humana minus plenè gesserunt, tunc attentè in humilitate spiritûs & animi puritate restaurent. In-



Intellēximus autem olim, dum in minori effemus officio constituti, quod fuerat quibusdam Catholicis (imò mulierculis mihi familiariter notis) diuinitus reuelatum festum huiusmodi generaliter in ecclesia celebrandum: Nos itaq; ad corroborationem & exaltationem Catholicæ fidei, dignè ac rationabiliter duximus statuendum, vt de tanto Sacramento præter quotidianam memoriã, quam de ipso facit ecclesia, solennior ac specialior annuatim memoriã celebretur, certum ad hoc designantes & describentes diem, videlicet feriam 5. proximam post octauam Pentecostes: vt in ipsa quinta feria deuotæ turbæ fidelium propter hoc ad ecclesias affectuosè concurrant, & tam clerici quàm populi gaudentes in cantica laudum surgant; tunc enim omnium corda & vota, ora, labiaq; hymnos persoluant lætitiæ salutaris: tunc psallat fides, spes tripudiet: exultet charitas, deuotio plaudat: iubilent chorus, puritas iocundetur: tunc singuli alacri animo pronèq; voluntate conueniant, sua studia laudabiliter exequendo tantæ festi solennia celebrantes. Et vtinã ad Christi seruitium sic eius fideles ardor inflammet, vt per hæc & alia proficientibus ipsis meritorum cumulis apud eum qui se dedit pro eis in præcium, tribuitq; se ipsis in pabulum, tandem post huius vitæ decursum eis se in præmium largiatur. Ideoq; vniuersitatem vestram monemus & hortamur in Domino, & per Apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus in remissionem peccaminũ iniungentes, quatenus tam excelsum & tam gloriosum festum prædictâ quintâ feriã singulis annis deuotè ac solenniter celebretis, & faciatis studiosè per vniuersas ecclesias ciuitatum vestrarum & diocesium celebrari: subditos vestros in Dominica dictam quintam feriam proximè præcedente, salutaribus monitis sollicitè per vos & per alios exhortantes, vt per veram & puram confessionem, eleemosynarum largitionem, attentas & sedulas orationes, & alia deuotionis & pietatis opera, taliter se studeant preparare, quòd huius pretiosissimi Sacramenti mereantur fieri participes illâ die, possintq; ipsum suscipere reuerenter, ac eius virtute augmentum consequi gratiarum. Nos enim Christi fideles ad colendum tantum festum, & celebrandum donis volentes spiritualibus animare, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui matutinali festi eiusdem officio in ecclesia, in qua idem celebrabitur, interfuerint centum: qui verò Missæ, totidem. Qui autem in primis ipsius festi vespertinis interfuerint, similiter centum: qui verò in secundis, totidem. Illis verò qui primæ, tertæ, nonæ, sextæ ac completorijs officijs interfuerint, pro qualibet horarum ipsarum quadraginta. Illis autem qui per Octauas illius festi matutinalibus, vespertinis, Missæ, ac prædictarum horarum Officijs interfuerint, centum dies, singulis Octauarum ipsarum diebus, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Apostolorum eius Petri & Pauli authenticè consili de iniunctis sibi pœnitentijs relaxamus. *Extat in Clement. extra de Reliq. & vener. sanctorum tit. Transitus ad patrem.*

In hoc verò ab Urbano Papa instituto festo hodiè in Processione Sacramentum, seu hostia <sup>Ritus huius festi.</sup> consecrata circumferetur & ostentatur populo in MONSTRANTIA, qua inde nomen habet, videlicet à monstrando seu ostentando panaceo illo Deo, in eam incluso. Gracè Hierotheeam, vulgus sacerdotum Portatilem Sacramenti Loculum vocat, teste Bruschio de Monasterijs. Tum à populo cuncto flexis genibus adoratur etiam, non secus quàm si verus Christus præsens adesset. Riturum etiam, pompam & ceremoniam hanc Thomas Naogeorgus eleganter in Regno suo Pontificio ad hunc modum descripsit:

Corporis hinc veniunt Christi celeberrima festa,  
Quorum quis dicat ludos, moremq; profanum?  
Nanq; sacrum portant panem reuerenter, & omni  
Diuino cultu circum vel templa, vel vrbes,  
Inclusum fabrefacto argento. Porrò gerentis



DE ORIGINE FESTORVM

Brachia sustentant duo summi, deq; senatu,  
 Ornati fertis. Alij de more cadurcum  
 Sericium gestant suspensum, ne quid ab alto  
 Incidat, aut stercus fundat mala desuper ales.  
 Luditur & Christi personis passio multis.  
 Ursula cum iunctis incedit pulchra cateruis.  
 Tuq; Georgi acer crocodylum interficis hastâ.  
 Principis inferni trahitur domus: estq; videre  
 Dæmonas innumeros tetrâ, turpicq; figurâ.  
 Christophorus puerû gestat per cœrula Christum.  
 Impletur telis quidam, crebrisq; sagittis.  
 Incedit gladium portans Catherina, rotamq;  
 Terribilem: calicem, & sacrum fert Barbara panem.  
 Historiæq; illic in panis aguntur honore.  
 Multæ aliæ, iucunda rudi spectacula plebi.  
 Quid memorem vexilla, cruces, candelabra longa,  
 Diuû reliquias, calices, idolaq; culta?  
 Quæ vel sacrifici gestant, populûsue tributim.  
 Ante illum incedit panem B. ptista, manuq;  
 Monstrat: eum esse Dei, tollentem crimina mundi,  
 Agnum: quem contra spargunt floresq; rosasq;  
 Angelicâ formâ duo: tintinnabula dulci  
 Multa sono crepitant, vernant & compita ramis,  
 Atq; plateæ omnes, quæq; itur gramine festo  
 Sternuntur, redolentq; viæ, atq; aulæa fenestris  
 Hærent: incedunt monachorum agmina multa,  
 Et monachæ cantu reboent, rasiq;, scholæq;  
 Vtrô non aulli citharâ aut testudine ludunt.  
 Procidit in genua occurrens, & pilea tollit,  
 Diuinoq; omni panem veneratur honore.  
 Nempe Deum esse suum credunt: nō carnis, vt olim,  
 Sed iam naturam panis sumpsisse minuti. *Et mox:*  
 In vicis equitant circum frumenta coloni  
 Cum crucibus multis, vexillisq;: ipse sacerdos  
 Vnâ equitat, gestans panem in pendente crumena,  
 A collo: inq; locis certis descendit, & altâ  
 Voce Euangelium canit. Hæc frumenta tuentur,  
 Scilicet à ventis, pluuiæ: rubigine certò, &c.

ROMAE in aliquibus processionibus, in medio Pontificali pompa, post crucem non longè  
 ante Pontificem, ducitur equus albus, mansuetus & phaleratus, portans Sacramentum, quodi-  
 psi in puluino ornato, & hierothecâ inclusum Sacrista imposuit. Equus habet ad collum tin-  
 tinnabulum benè tinniens. Suprà portatur baldachinum, cum insignibus Papæ. Equum  
 præcedunt duodecim familiares Papæ pedites, rubrâ veste induti, portantes duodecim intorci-  
 nia ante Sacramentum: Inde duo familiares Sacristæ equestres, etiam rubro induti, portantes  
 laternas argenteas cum lumine, ante Sacramentum. Extat hæc pompa descripta libro 3. Cere-  
 moniarum Rom. ecclesie, Leoni X. inscripto: nec semel in iisdem repetitur. Lib. 1. Sect. 2. de pro-  
 cessione Coronati Pontificis ad Lateranum. Sect 5. de processione Pontificis, & coronati Cæsa-  
 ris per urbem. Sect 12. de Ordine, quo modo Papa in vrbe, de loco ad locum in solenni pompa,  
 vel in Pontificalibus equitat. Et lib. 3. de Officio Sacristæ.

In hac pompa nihil omninò habent, cuius vel tantillum vestigium in sacris literis extet,  
 sed



sed in ea illarum rerum usum revocant in Ecclesiam Christi, qua in Cereris, Isidis, Diana, ignisq; Persici honorem, ab Ethnicis olim instituta fuerunt, quod Petrus Viretus libro 1. de Adulterata Cena Domini eleganter demonstrat, Et hoc verum esse, quisq; facilius iudicare poterit, si de priscis horum sacrorum ritibus, testes audierit, veteres Ethnicorum Theologos, & cum his quæ in hoc Christianorum festo peragi, vel ab aliis audiuit, vel ipse vidit, diligenter contulerit. Ex illorum numero primum Vergilium testem producemus, apud quem Georg. 1. hæc de Cereris pompa & amburbalibus ambarualibusq; sacris leguntur.

Ritus & pompa huius festi Ethnica est.

In primis venerare deos, atq; annua magnæ  
Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis. *Et mox:*  
Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret;  
Terq; novas circum felix eat hostia fruges,  
Omnis quam chorus, & socij comitentur ouantes,  
Et Cererem clamore vocent.

Ovidius verò tanquam formulam inuocationis refert Fast. 4. Deinde docet tædis & albis vestimentis cultam fuisse. Sic enim de tædis:

Ille accendit geminas pro lampade pinus:  
Hinc Cereris sacris nunc quoq; teda datur. *Item:*  
Sed si thura aberint, vnctas accendite tædas. *Et alibi:*  
Et per tædiferæ mystica sacra Deæ.

De albis autem vestimentis:

Alba decent Cererem; vestes Cerealibus albas  
Sumite, nunc pulli velleris vsus abest.

In ludis etiam Cerealibus Deorum imagines longo ordine produci solebant: vnde est illud Macrobij, vehitur simulachrum Dei Heliopolitani Ferculo: veluti vehuntur in pompa ludorum Circensium Deorum simulachra.

Nihil hic obseruatum ab Ethnicis legimus, in huius deæ sacris & pompa, quod à Papistis non sit ad vnguem expressum, in hac qua de nunc agimus pompa. Nam hostia, quam sacram salutaremq; appellant & salutant, pererratis omnibus plateis, vt loquitur Apuleius libro 3. Asin. in modum eorum, qui lustralibus piamentis minas portentorum hostijs circumforaneis expiant, circumducitur? Annon quasi piacularis & lustralis hostia, circum vrbes, compita & agros, annuatim gestari solet, hunc penè in modum quem à Vergilio & Ouidio modò descriptum audiimus? Quamobrem nullo aptiore alio nomine quàm Apuleiano, Circumforanea hostia dici poterit.

Neq; ab hoc ritu admodum discrepant, quæ Claudianus de Isidis pompa his versibus tradidit:

— sic numina Memphis  
In vulgus proferre solet: penetralibus exit  
Effigies breuis illa quidem: sed plurimus infra  
Liniger impositâ suspirans veste sacerdos,  
Testatur sudore deam: Nilotica sistris  
Ripa sonat, variosq; modos Ægyptia ducit  
Tibia.

Etenim tum demùm sancta sua numina, sacris offerunt Papista adytis & penetralibus, ac in vulgus proferunt, quum sacrosancta illa & salutaris hostia circumfertur: cuius effigies breuis & illa quidem, baiulos habet & primarios cultores, linigeros sacerdotes, quorum pompa tota vario musicorum instrumentorum, tintinnabulorum & crepitaculorum tinnitu personat.

His quoq; admodum sunt consona, quæ Apuleius de Dianæ pompa narrat. In hac enim tanquam in tabula, eam nobis propemodùm oculis subijcerè videtur, quæ suum Pontificij Panæcum Deum hoc festo venerari consueuerunt. Sic autem inquit libro 11. de Asin. Ecce pompæ magnæ paulatim præcedunt anteludia, vocibus culusque studijs exornata pul-



cherrimè. *Et mox*: Inter has oblectationes ludieras popularium, quæ passim vagabantur, iam sospitatrici deæ peculiaris pompa moliebatur. Muliere candido splendentes amicimine, varioq; lætantes gestamine, verno florentes coronamine, quæ sacer incedebat comitatus, solum sternebant flosculis. In hac verò pompa, lini-geri sacrificuli, harum mulierum vices gerunt, splendentes & ipsi candido amicimine, varioq; gestantes gestamine: hoc vno differunt, quòd pro verno coronamine, rasus vertex coronæ formam refert. Hoc etiam interest, quòd non ipsi sibi solum, sed populus floribus & frondibus sternit. *Pergit Apuleius*: Magnus inquit, præterea sexus utriusq; numerus, lucernis, tædis, cereis, & alio genere ficti luminis, syderum cœlestium stirpem propiciantes. Symphonie dehinc suaves, fistulâ, tibiâq; modulis dulcissimis personant. *Et* amœnus lectissimæ iuuentutis, veste niucâ & cataclistâ, prænitens sequebatur chorus, carmen venustum iterantes. Ibant & dicati magno Serapi tibiænes, qui familiarem templi Deiq; modulum frequentabant, & pleriq; qui facilem sacris viam dari prædicarent. Neq; desunt etiam in hac Papistica pompa, sacri hymni, Deo, cui instituta est, dedicati, eiusq; modulis attemperati: præsertim religiosum illud, Pange linguâ, &c. quod magno boatu resonant. Quod verò mox subiicit, apprimè sacrificulis Papisticis conuenit. Hi capillum de rasi funditus vertice prænitentes, magnæ religionis terrena sydera, & antistites sacrorum proceres, qui candido lintheamine, cinctum pectoralem ad vsque vestigia strictim inlecti, potentissimorum Deum proferebant insignes exuuias. *Habes hic rursum, & rasum capillitium Papisticorum sacrificulorum, & sacrorum ornatum, et sacras reliquias, quæ ab Apuleio exuvia deorum nominantur. Vocat præterea sanctos illos sacerdotes, terrena sydera. Papistici verò, ut se gloriantur Apostolorum esse successores & vicarios, ita illorum sibi titulos & nomina arrogant, voluntq; haberi lux mundi. Et paulò post ait Apuleius*: Secundus vestitu quidem similis, sed manibus ambabus gestabat altaria. Quæ verò sequuntur, propius pertinent ad penetralem illum Deum Papisticum, qui circumfertur, eiusq; delubra, sacraria, atq; pyxides, quibus cõlusus tenetur. Nec mora, inquit, quum Dei dignati pedibus humanis incedere, prodeunt. Incedit profecto & hic penetralis Deus pedibus humanis. Nisi enim banularetur, ferreturq; humanis pedibus, ne moueri quidem loco posset. *Item*: Ferebatur, ait, ab alio cista secretorum capax, penitus celans operata magnificæ religionis. Gerebat alius felici suo gremio, summi sui numinis venerandam effigiem, &c.

*His admodum affinita sunt, quæ de solenni Persicorum regum pompa traduntur, quæ ipsi quoque sacrum suum ignem circumferre & venerari solbant, eundem & pro Deo colentes, & Orientalia nuncupantes. Quum enim progredi cœpisset agmen sacræ pompæ, ignis ille sacer argenteis altaribus præferebatur: hunc insequabantur Magi: Magos deniq; trecenti sexaginta iuvenes, puniceis velati amiculis, totidem numero, quot dies annus continet. Nam hic sacer ignis imaginem illis referebat Solis, quem sub Mythræ nomine venerabantur. Et ne quis putet me iniuriam facere Pontificijs, non puduit illos ipsos pompam huius festi suamq; idololatriam tanquam Christianam ex his probare Ethnicorum delirijs. Refert enim Manlius tom. 3. Locorum Commun. fol. 28. quendam Episcopum, statim post suam electionem & confirmationem, in sua diocesi mandatum edidisse, cuius exordium fuit: Sicut regem Persicum præcedebat equus ignem gestans, qui à Persis pro Deo adorabatur: sic nos præcedet consecrata hostia, quam ut verum corpus Domini coli & adorari ab omnibus nostris subditis mandamus.*

*Iesuita Vlnæ in Polonia & alijs in locis ex annuo hoc spectaculo ludicro menstruum fecerunt. Et quicumq; hæc sacra frequentant, in Societatem nouam, ac prioribus seculis inauditam, FRATRVM scilicet CORPORIS CHRISTI adsciscuntur.*

Ritus & pompa in hoc festo origo eiusque progressus.

*Ceterum ex ordine historiarum & serie temporum demonstrabo deinceps, quomodo post priora antiquitatis tempora, sensim & paulatim, factâ subinde maiori & deteriori inclinatione, ad spectacula & deliria hæc Ethnica in regno pontificio deuentum sit. Apud Eusebium libro 5. cap. 24.*

cap. 24.



cap. 24. Romani episcopi hospitibus simpliciter mittunt Eucharistiam. *Irenæus enim tantum habet verbum ἑπιευκρον.* Idem Eusebius lib. 6. cap. 34. indicat, Presbyterum quendam puero tradidisse Eucharistiam ad Serapionem perferendam. *Exuperius Tolosanus* in canistro vimineo & in vitro portat corpus & sanguinem Domini. *Ex Tertulliano quoque & Cypriano colligitur*, mulierculis datam fuisse Eucharistiam domum perferendam. De circumgestanda autem Eucharistia, ostentanda, adoranda, de praefendis luminaribus, crucibus, campanis & reliquis ceremonijs apud Papistas vsitatis hodie, nulla vel testimonia, vel exempla extant in vera antiquitatis historijs. Apud Gratianum quoque nihil tale inuenitur. Sed hac de re vide plura in libro nostro de Origine templorum, &c. cap. 5. Innocentius 3. autem, cum in Lateranensi Concilio anno 1215. celebrato, Transsubstantiationis dogma approbasset, & hominibus persuasisset, in sacramento Cœnæ nihil superesse substantia vel panis vel vini, sed verum ibi contineri corpus & sanguinem Domini, tum primum cœpere in templis parare tabernacula, thecas & ædiculas, quibus incluserunt Sacramentum. Mandauit enim vt Eucharistia in omnibus Ecclesijs sub seræ & clauis custodia conseruetur. *Decretal. lib. 3. tit. 44. cap. statuimus.* Non tamen hic mos ab omnibus statim Ecclesijs admissus aut receptus fuit: quod ex decreto Honorij tertij facillimè potest intelligi, quo Innocentij huius nouam institutionem omnibus Ecclesijs obrufit. Id lib. 3. *Decretal. tit. de Celebrat. Miss. ita habet:* Ne propter incuriam sacerdotum diuina indignatio grauius exardescat, districtè præcipiendo mandamus, quatenus à sacerdotibus Eucharistia in loco singulari, mundo, & signato honorificè collata, deuotè & fideliter conseruetur. Sacerdos verò quilibet frequenter doceat plebem suam, vt cum in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinet, idem faciens, cum eam defert Presbyter ad infirmum. Quam in decenti habitu, superposito mundo velamine ferat, & referat manifestè, & honorificè ante pectus, cum omni reuerentia & timore, semper lumine præcedente, cum sit candor lucis æternæ, vt ex hoc apud omnes fideles fides & deuotio augeatur. Prælati autem huiusmodi mandati grauius punire non differant transgressores, si & ipsi diuinam & nostram volunt effugere ultionem. Quo ipso, quod tam districtè præcipit, satis constat, id quod sic mandat diu non durasse, sed se auctore & approbatore maximè institutum. Nec enim edictis nec mandatis tam districtis habemus opus, in his retinendis, quæ aut vetus consuetudo, aut honesta aliqua ratio maiorum auctoritate confirmata commendat. Sunt hæc igitur nupera: in veris enim vera antiquitatis historijs tale quid non reperitur. Adhuc tamen respectu aliquo ad vsum hæc ipsa instituta fuerunt: quandoquidem nihil aliud præcipiunt, quam vt panis consecratus ad egrotos deferatur, eis exhibeatur & ore percipiatur, utque in hunc vsum in templis sub fidei custodia conseruetur.

Post hæc verò tempora, annis circiter 40. ab eo vsu Eucharistiæ, qui à Christo institutus est, longius discesserunt, instituto ab Urbano quarto Corporis Christi festo. Obseruatu verò dignissimum est, quod ne hæc quidem constitutio Urbani de hoc nouo festo, in ipso etiam Papatu temporibus illis ab omnibus ecclesijs approbata & recepta fuit. Vnde post annos 50. Clemens 5. Papa anno Christi 1311. in Viennensi Concilio, constitutionem illam ab omnibus præcisè seruandam, coactus fuit præcipere. Testatur hoc Glossa in Clementinis, de Reliquijs & veneratione sanctorum. Animaduertendum etiam, ab his ipsis quoque Pontificibus hanc festiuitatem, non eo modo, quo hodiè celebratur, institutam fuisse. Nulla enim prorsus in Bulla Urbani mentio fit Circumgestationis & ostentationis: nec vllum verbum ibi extat, de pane consecrato per octiduum in Monstrantiam includendo, circumgestando & ostentando. Neque etiam mentio ibi fit vlla spectaculi alicuius theatri, pompæ & externæ adorationis circumgestati & adorati panis. Sed finis institutionis illius his verbis in Bulla exponitur: vt studeant se taliter præparare, quod huius preciosissimi Sacramenti mereantur fieri participes illâ die, possintque ipsum suscipere reuerenter, ac eius virtute augmentum consequi gratiarum. In his manifestè dicitur, propter

Longius  
progressum  
ab Eucharistiæ  
vsu à  
Christo  
instituto.

Q



usum, participationem seu communionem solenniore institutam primò fuisse illud festum: & in illo usu, in quo debita reuerentia & deuotio requiritur, gratias agendas esse Christo, pro immenso hoc beneficio, quòd corpus suum in cibum, & sanguinem in potum tribuit. Hinc colligitur, ea quæ hodiè in hoc festo peraguntur, ne primis quidè eius authoribus nota fuisse: veluti est, Inklusio, Circumgestatio, Ostentatio, Spectatio & Adoratio panis, extra usum distributionis & sumptionis.

Nomen huius festi mutilatum.

Ipsa etiam appellatio mutilata est. Urbanus namq; & Clemens, vocant Festum corporis & sanguinis Christi: & in Responsorio illius festi canitur, Omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus. Hodie vero tantum Corporis Christi festum appellatur: à quâ mutilatione Germani etiam vocant, des heiligen Fronleichnams tag: ac si diceret, des herrlichen vnd kostlichen leichnams Christi tag. Dann Fron ein alt Teutsch wort/nichts anders heuttigs tags heist/dann herrlich/fürnemb vnd kostlich. Dahar mann auch in den hohen Gsiffen vnd Kirchen den fürnembsten Altar/ Fronaltar nennet.

Longè igitur post Urbanum & Clementem V. quoq; circa Constantiense Concilium hæc omnia, quæ in hoc festo peraguntur hodiè, excogitata & introducta sunt, & proinde recentia, nupera ac nouicia sunt. Et tamen Concilium Tridentinum, sub Anathematis pœna omnibus seruandum præcipit, can. 6. de sacratissimo Eucharistiæ Sacramento. Vbi quis meritò miretur, vndè nouo huius & tali festo tanta repente accesserit authoritas.

Festum hoc cur institutū & à Christi fidelibus nõ debeat obseruari.

Ostensis igitur initijs & progressu huius festi, de re ipsa etiam quadam deinceps dicemus: vt intelligatur, quam ob causam festum hoc sit institutū, quare pro eo, tanquam pro aris atq; focis, tantâ contentione dimittent Pontificij, & cur à verè Christi fidelibus nec possit nec debeat recipi.

1. Nam primò inquit Kemnitius in Examine, celebratio huius festi, qualis est in Papatu, proponit, confirmat & stabilit mutilationē Eucharistiæ: nam altera tantum species, contra institutionē Christi, proponitur. Et credibile est, eo ipso tempore, nouis accessionibus deformatum fuisse hoc festum, quando in Constantiensi synodo mutilatio hæc omnibus ecclesijs obruta fuit.
2. Secundò, celebratio istius festi, Sacramentum Eucharistiæ ex usu diuinitus instituto, transfert in aliam actionem, & quidem longè diuersum usum, qui non habet testimonium verbi Dei. Non enim distribuitur, non accipitur, non manducatur, sed circumgestatur, ostentatur & adoratur. Et ad retinendum præcipuum neruum Papatus, quòd nimirum Eucharistiæ habeat veram rationem Sacramenti, etiam extra usum à Christo institutum, licet transformetur in aliam actionem & diuersum usum: idcirco tantâ cõtentione de hoc festo pugnant. Manet verò firmissimum illud axioma, Symbola non habere Sacramentorū rationē, extra suum usum, hoc est, sumptionem, & extra actionem his verbis à Domino præscriptam: Accipite, comedite, accipite, bibite. Nam ne in naturali quidem alimonia panis habet cibi rationem, nisi in eo qui panis vescatur. Sed in eo panis hic celestis, id est, ad diuinum usum significandum & præstandū extra ordinem destinatus (ideoq; Sacramentum factus) à naturali differt, quòd naturalis vim elementarem sibi habet à natura sic insitam, vt quandiu panis est, illa non careat, siue quis eo utatur, siue minus: panis autem ille celestis significatione tantum Sacramentum, id est, spiritualis cibus est, idq; usus ipsius respectu, nempe esus & potus, sicut aqua, quæ in Baptismo adhibetur, non est Baptismi aqua, nisi quis eam, sicuti Christus instituit, tingatur.
3. Tertiò, celebratione huius festi persuadentur homines Christum in pane illo, quum circumgestatur, verè adesse: imò hunc panem non ampliùs esse panem, sed ipsissimum Christum: ideoq; volunt Christum ibi adorandum esse, etiam externo latriæ cultu, cum tamen probare non possint, Christum taliter in Sacramento, & in hunc usum, vt adoretur, adesse velle. Et est certè horribilis idololatria adoratio panis, quem ipsissimum Christum esse putant in Sacramento.
4. Quertiò, per illud festum abducuntur homines à crebriori & vero usu Cœnæ Dominicæ: persuadentur enim, sumptionem cum magno periculo coniunctam esse: cultum verò huius festi sine omni periculo multo magis esse meritorium.

Quintò



Quintò, Eucharistiam idè instituit Seruator, vt ipse in ea se nobis offerat, donet, applicet, & obfignet beneficia & merita mortis suæ. Urbanus verò huic festo tribuit remissionem peccatorum: dicit enim in Bulla, Seruari debere in remissionem peccaminum. Quibus vti que nostro operi tribuunt, quod solius est meriti Christi.

Sextò, Pontifices largissimas Indulgentias promittunt illis, qui cum reuerentia panis festum hoc celebrant. Nam Urbanus 4. his qui intersunt officijs huius festi in vespere vigilia & festi, & in matutinis, & in Missa, concessit centum dies Indulgentiarum: pro quolibet dictorum officiorum, & pro qualibet aliarum horarum dies 40. & in qualibet die Octavarum pro omnibus horis simul dies centum. Martinus autem 5. anno Domini 1400, Curia Florentia residente, duplicauit Indulgentias concessas intercessentibus diuinis his officijs ab Urbano: addidit & nouas ieiunantibus vigiliam festi, ac etiam communicantibus in ipso festo centum dies concessit: similiter etiam associantibus processionem, qua fit manè cum Sacramento: associantibus etiam sacerdotè cum defert Sacramento infirmis aliquot indulgentiarum quoque dies contulit. Sed & successor eius Eugenius 4. Florentia manens cum Curia duplicauit dictas indulgentias concessas à Martino V. qua de re vide Eugenij 4. Bullam in Tomis Conciliorum, & Antoninū tit. 19. cap. 13. §. j. Ex his Iulianus Pomerius hanc summam colligit: Qui, inquit, ipso die festo intersunt secundis vesperts, vel Missæ, vel matutino pro singulis indulgentias 400. dierum. primis vel Summa igitur diei festi assurgit ad 16000. indulgentias: infra octavam pro singulis 400. dierum insimul. Summa summarum igitur erit, per festum & totam octavam eius, 44000. dierum indulgentiæ. Qui verò illo die communicant, illis 400. dierum indulgentias largiuntur. Et notet Lector, quòd tantundem indulgentiarum promittitur spectatori, quantum ei qui communicat, 400. scilicet dierum. Si verò tota summa colligatur in quadrupla proportione, veneratio Sacramenti extra usum à Christo præscriptum, excedat ipsam communionem, hoc est, usum diuinitus institutum. Et addit Pomerius: Eum, qui velit indulgentias illas assequi, oportere firmum esse in fide: Ja freylich so müß er ein gewißne haben / daß ihme ein wagen mit heuw dardurch möge fahren: vt scilicet credat, tantam potestatem esse apud Ecclesiam, quòd possit dare tot & tales indulgentias: qui enim hanc potestatem negant, quod faciunt hæretici, non consequuntur eas.

Aperta est itaq; huius festi institutione, non fenestra, sed latissima porta idololatriæ, omnium qua vnquam fuerunt horrendissima. Eius verò prognostica duo certissima fuerunt. Primum apud Thomam Cantipratensem Dominicanum, lib. 2. cap. 55. suarum Apum, seu de Vniuersali bono extat. Anno enim Domini 1256. apparuit illi diabolus, sicut ibi disertè fatetur, candidam casulam inductus, tanquam in alba pyxide sacramentum perferens. Vide historiam apud ipsum autorem, lectione dignissima est. Meminit eius etiam Baleus Cent. 4. cap. 38. Alterum, quòd eo anno quo festum hoc institutum fuit, Cometa horrendus per tres totos menses apparuit: & Urbano ad Patres suos descendente ipse quoque disparuit. Quo signo absque dubio iustus Deus iram furorè suum toti mundo ob tam horrendam & abominandam idololatriam significare voluit. Antoninus tit. 19. cap. 13. §. 1. & Nauclerus, Gener. 43. Hic etiam Urbanus ille ipse fuit, qui ob regnum Sicilia talem pertexuit telam, quæ postmodum crudeliter, sed vt Antichristum decebat, inter se Galli & Germani, & rursus etiam Hispani commissi sunt, tantusque effusus est sanguis Christianus, quantus vix in tribus illis decantatissimis Punicis bellis profusus legitur. Ergo dignum quoque illo fuit hoc inuentum, quo Deo suo Maorum peculiare festum instituit & dedicauit.

Sed rationem etiam videamus, quæ hic Pontifex in sua Bulla hoc festum probare conatur. Ea verò est, vt quod in alijs Missarum officijs circa Eucharistiam est prætermisum, id in hoc festo deuotè diligentiam suppleatur. Respondeo, Si quid ab aliquo sit neglectum aut prætermisum in Eucharistiæ celebratione, resarciendum id non quomodolibet, sed ratione à Christo præmonstratâ. Ea non est, ut includatur, circumgestetur, ostentetur ac adoretur, sed ut deuotè comedamus & bibamus, in commemorationem Domini. Et Paulus explicans hanc commemorationem, disertè dicit: Quotiescunq; manducaueritis & biberitis, mortem Domini annuntiate donec venerit. In festo verò illo, quæ Christus instituit & man-

Prognostica  
festi huius.

Festum hoc  
quibus ratio-  
nibus proba-  
re conatur.



daue distributio, sumptio & commemoratio mortis Domini, præmittuntur: & alius vsus ab hominibus supersticiosus nuper excogitatus cultus præstantioris opinione supponitur. Hoc an liceat nobis nec ne, Lectori iudicandum relinquo, Frustra, inquit Deus, me colunt mandatis hominum. Idem etiam respondetur ad Bellarmini argumentum: populum Christianum in hoc festo Deo gratias agere debere, ob tantum & tam singulare beneficium nobis impensum, Item, vt populus sic instruaturn circa mysteria fidei nostræ, & eorum assidue recordetur. Nam non quæritur, An Deo sint gratiæ agenda ob mortem Christi: & An populus in mysterijs fidei sit erudiendus festo hoc vel alio: sed, An eo pacto id sit agendum quo Pontificij hodie volunt, an verò eo, quo Christus æternus Dei filius iussit?

DEFENSIO ARGVMENTORVM CONTRA CORPORIS  
Christi festum, & Confutatio sophismatum Iacobi  
Gretscheri Iesuitæ pro eiusdem festi  
horribili idololatria.

**H**Æc argumenta ex verbo Dei petita, adeoq; firma: contra Corporis Christi festum, & eius, non dicam superstitiones, sed plus quàm Ethnicam idololatriam, Iacobus Gretscherus Iesuita lib. 1. de Processionibus cap. 19. prosternere ac refutare conatus est, sed nulla prorsus Christianâ, in primisq; Theologo dignâ moderatione & modestia, verum conuictijs & calumnijs perpetuis, adeoq; caninâ sua rabie, quâ iam pridem plurimis notissimus est. Scribit alicubi hic ipse Iesuita, mirificè sibi placere votum Theodori Bezae, qui dixerit, Conuictijs ecclesiam Dei non ædificari: quæ cum in vtriusq; partis scriptis inueniantur, velle se, piâ concordia constitutâ, omnia combusta esse. Miror autem hanc Bezae moderationem placuisse Gretschero, quum ipse ad conuictiandum natus sit, eiusq; scripta conuictijs & calumnijs scateant. Ego verò par pari non referam, sed ad eius sophismata & nugas ita respondebo, vt idololatria, quæ à Papistis in hoc festo committitur, adhuc magis inde eluceat, & iudicium de veròq; Lectori nullo prauo iudicio fascinato relinquam.

PRIMO igitur mentiri me ait, Urbanum Pontificem Rom. festum hoc instituisse hortatu Eux cuiusdam monialis.

Respondeo: Dixi, causas motiuas super prima huius festi origine & institutione non easdem recenseri: ac inde injuriam mihi facere Monachum, quòd hoc asseruerim: saltem auctorum varias sententias de huius festi, eiusq; processionis origine recitari: quarum prima est Balai ex Arnoldo Bostio, ordinis B. Mariæ, qui claruit circa annos 1494. & Petro Præmonstratensi. Ac testatur Bostius, se epistolam ad Eux suam Urbani, quam adscripsimus, vidisse ac legisse, epistolâ 6. ad Ioan. Paleonydorum, Balæo teste de Script. Britannia Cent. 4. c. 38. Altera est Onuphrij Panuini, in suis ad Platinam Annotationibus. Tertia, Ptolomei Lucensis. Neq; ullam ego ex his tribus approbaui sed iudicium Lectori reliqui, qui iudicet, uter nostrum mentiatur. Videtur autem Urbanus priorem sententiam in Bulla sua haud obscure probare. Dicit enim, Intelleximus olim dum in minori essemus officio, quòd fuerat quibusdam catholicis diuinitus reuelatum, festum huiusmodi generaliter in Ecclesia celebrandum: Nam Panuinius & Lucensis nullius reuelationis diuinæ mentionem faciunt. Eux autem super hoc Sacramenti festo celebrando reuelatio facta esse dicitur, quam etiam Urbano per suas literas significauit. Et Antoninus vit. 19. cap. 13. §. 1. miraculi quoq; cuius Onuphrius meminit, mentionem facit: non tamen addit, quòd propter illud festum hoc institutum sit, quòd utiq; fecisset, si verum esset quòd Onuphrius dicit.

Nec omninò improbare videtur, quòd Gretscherus facit, hanc sententiã, Nicolau Serarius Iesuita in libro suo de Processionibus. Nam lib. 2. cap. 9. refert, quibus hoc festum reuelatum fuerit primò omnium, nempe, fæminis. Ac licet non totaliter, tamen ex parte ad Eux reclusam

fam



*Jam refert. Verba enim, quæ hac de re citat Serarius ex lib. quodã anno 1603. Duaci edito, anno verò 1496. conscripto à Diesteno hæc sunt. Circa annum Domini millesimũ ducentessimũ in Episcopatu Leodiensi, iuxta ciuitatem Leodij in hospitali leproforum, quod vulgariè vsq; hodie, locus Cornelij montis dicitur, fuit virgo omnium virtutum flore renitens, nomine Iuliana. Hæc ab ineunte ætate ibidem nutrita, gradatim ad virtutum, ac etiam scientiarum culmen per Dei gratiam ascendit: De cuius virginis humilitate, obedientia, deuotione atq; orationũ instantia, multi libri scripti sunt, in quibus inuenitur crebro in cœlũ per mentis excessum fuisse raptã, atq; spiritu prophetico euidentissimè claruisse, adeo ut proximorũ cogitationes atq; cordium intentiones præderet. Hæc luctabatur cum diabolo, loquebatur cum Apostolis, fulgebat miraculis. Itaq; cum hæc sancta virgo à primis infantiaë annis semper sese orationi manciparet, crebro vidit, & quasi semper suo aspectui inter orandum ingeri mirabile signum scilicet lunam quasi in suo splendore, cum aliquanta tamen sui orbicularis corporis refractione. Et videns mirabatur, & etiam timebat, nesciens quid hoc significaret. Vnde nitebatur totis viribus præfatum signum amouere nec valuit. Tandem cum nullã suã vel aliorum fidelium precibus amouere posset, cœpit cogitare, ne forte mysterium aliquod in præfato signo lateret. Tum didicit diuino responso significari in luna præsentem Ecclesiam, & in eius fractione defectum vnius solennitatis, quam Deus voluit in Ecclesia celebrari ad argumentum sacraë fidei. Accepit proinde præceptum cœlitus, vt hanc solennitatem inchoaret, & celebrandam mundo nuntiaret. Illa verò adhuc obstupescens sese non posse respondit. Verum quotiescunq; orationi vacabat, admonebatur à Domino, vt præceptũ iniunctum perficeret, quam ad hoc præ mortalibus cunctis Deus prælegisset. Sed illa paruitatis suæ conscia, quæ in humilitatis fundamento mentis gressum fixerat, dixit: Domine, dimitte me, & rem hanc arduam Clericis committe. Et respondit Dominus: per te omni modis oportet inchoari, ac deinceps per personas humiles promoueri. Instabat ergo humilis Iuliana continuis ad Deum precibus, vt aliam personam ad hoc opus eligeret, & vice quadam audiuit sibi cœlitus pro responso dici: Confiteor tibi Pater cœli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. At illa nec sic acquiescens respondit: Excita Domine temetipsum, excita & viros eruditos, & me minimam in pace dimitte. Et facta est rursus vox ad eam dicens: Immisit in os meum canticũ nouũ carmen Deo nostro. Iustitiã tuam non abscondi, veritatem tuam, & salutare tuum. Non abscondisti misericordiam tuam, & veritatem tuam à consilio multo. Igitur Iuliana Christi virgo humilis à tempore prædictæ visionis per cursum annorum viginti precibus, & gemitibus inenarrabilibus institit apud Deum, quatenus alteri personæ præfatum negotium cœli conditor committeret. Verum quantũ ipsa plus se tanto negotio indignam asserèbat, eò magis humilitatis amator hanc digniorem iudicauit. Acquiescens igitur tandem virgo sancta, totum ordinem præfatæ legationis Domino Ioanni de Lansenna, Canonico S. Martini Leodiensis, quem pro suæ sanctitatis excellentiã plurimũ diligebat, patefecit. Et rogauit, ut de his omnibus sermonem haberet cum his, qui clauem scientiæ in Dei Ecclesia tenerent. Obtemperat ille, & cuncta proponit Domino Iacobo de Trevis, tunc Archidiacono Ecclesiæ Leodiensis viro fideli & docto, qui pro eruditionis, & vitæ præeminentiã postmodum supra multa constitui meruit. Siquidem postea factus est Episcopus Verdunensis, dehinc Patriarcha Hierosolymitanus, demum vniuersalis Ecclesiæ Pontifex electus dictus est Urbanus IV. Proposuit etiam præfatus Ioannes duobus magnis luminaribus, qui tum Leodij vitã & scientiã præfulgebant mortalibus cunctis, scilicet Domino Hugoni Prouincialis ordinis Prædicatorum, postea Cardinali (cuius multi & magni extant in scripturam sacram Commentarij) & Domino Guy*



ardo Cámeracensi Præfult. Proposuit insuper Cancellario Parisiensi, lectoribusq; Prædicatorum & multis alijs personis, scientia & vita clara præfulgidis. Qui omnes auditis, intellectis, & diligenter examinatis præfatis reuelationibus, vno sp̄ritu pronuntiârunt, efficacem rationem in lege diuina inueniri non posse, quæ e præfata festiuitas fieri non deberet. Insuper, & dignissimum fore, & ad Dei honorem cedere, & ad profectum, gratiamq; electorum assererent, si memoriam institutionis tanti Sacramenti solennius, ac specialius, singulis annis mater Ecclesia celebraret. Quorum sententiæ concordiam cum Christi virgo cognouisset, gratias egit Deo, quod voluntatis suæ responsum in tantarum personarum ore posuisset.

Adiicit idem deinde auctor, quomodo sanctæ aliæ Virgines duæ Isabella et nominatim Eua, diuinitus testes accesserint, quarum illa Hoio veniens cum Iuliana vixit; hæc verò secretam ab omnibus reclusamq; vitam in Leodiensi S. Martini Ecclesia egit. Quemadmodum igitur: inquit Serarius Iesuita, tribus Marijs ad ferendum de Domini resurrectioni testimonium dixit Angelus Marc. 16. Ite, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam: Ita tres istas castitatis, sanctitatisq; laude præstantes foeminas excitauit Dominus, ut & discipulis, id est, Christianis; omnibus, & Petro, id est, Petri cathedram tenenti significarent diuinæ maiestati festum istiusmodi honorem esse gratissimum. Non ergo Diestemius & Serarius inficias eunt, huius festi institutionem primò omnium tribus mulierculis, inter quas etiam hæc Eua est, reuelatam esse, idq; deinde Pontifici Romano significasse, qui inde festum hoc instituerit.

An peccetur  
institutione  
in honorem  
Christi.

Querit autem Monachus mox ab initio capituli 19. lib. 1. de processionibus, An peccat in Urbano instituendo festum hoc in honorem Christi? Aut si, inquit, Christum die festo venerari non licet, vnde ergo festum Resurrectionis, & omnes dies Dominicæ in integro totius anni decursu? vnde festum Natiuitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ? vnde festum Ascensionis in cœlum? &c. Et mox: Requiritur hæretici præceptum diuinum huius festi instituendi. Edant ipsi nobis vicissim præceptum diuinum de Natiuitate, Circumcisione, & id genus alijs festis Christi, & in hæc sententiam multa alia ibidem garris.

Respondeo: Monachus statum controuersie hic mutat: non enim queritur, an Christus festis diebus colendus sit? sed an tali festo, & quidem tali circumgestatione, ostensione & adoratione Sacramenti, alijsq; Ethnicis superstitionibus ac ritibus, vt hodie in Papatu fit, colendus sit? Si Papista hoc festum in libertate Christiana hunc in usum celebrarent, vt quotannis certo die populus erudiretur de vero usu huius Sacramenti, & præmuniretur contra omnes hæreses & abusus, quemadmodum alijs per circulum anni, in reliquis festis Christi, articuli Christianæ fidei populo ordine proponuntur & explicantur, cum sanè Iesuitæ quaestio non inanis esset, & parum referret, siue ab Urbano, siue ab alio hic festus dies institutus esset, neq; orthodoxi cum Papistis de hoc die odiose contenderent. Sed quum festum hoc, tanquam necessarium & insignis cultus Dei, ex propria intentione, institutum sit, ad expianda peccata, & promerendas Indulgentias Papales, nec in hoc festo quicquam de Sacramento concionentur, sed id tantum cum Ethnica pompa circumgestent, ostentent, adorent, & sic eo impijssimè contra institutionem Christi abutantur, idq; ad aliam actionem, aliosq; fines transferant, referendum est hoc festum in eorum numerum, de quibus Dominus apud Isaiam 1. c. quasi nauseandus conqueritur, inquit: Neomeniam, & sabbatum & festiuitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri: Calendas vestras odit anima mea. Item 29. c. Frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Et quanquam nusquam in verbo Dei prohibicum sit, ne Eucharistia talis certus dies assignetur, hoc enim ecclesiæ, ratione Christianæ libertatis, licet, ad edificationem; tamen abusus & idolomanias prohibuit, quas Papista hoc die frequentius, & horribilius, quàm alijs diebus, exercent sub specie & simulatione veri cultus diuini, vt sunt Indulgentie Romanenses, circumgestatio, ostentatio, adoratio Sacramenti, & muta actio sine annuntiatione mortis Dominicæ & distributione inter populum. Itaq; inter orthodoxos & Papistas non est controuersia de die, sed de immani idololatria, & retris abusus in hoc festo usitatis.

SECUNDO



SECUNDO dicit, me mentiri, Romæ in hoc festo, in medio Pontificalis pompæ, duci equum album, mansuetum & phaleratum, portantem Sacramentum, quod ipsi in pulvino ornato & hierotheca inclusum Sacrista imposuerit: Nam hoc die pontificem proprijs manibus ferre Sacramentum hoc.

Respondeo, me addidisse ex Ceremoniali Romano, equum candidissimum portare hoc Sacramentum etiam in pulvino ornato & hierotheca inclusum, in processione Coronati Pontificis ad Lateranum: Item, in Processione Pontificis & coronati Caesaris per urbem: Item in processione, quando Papa in Vrbe, de loco ad locum in solenni pompa, vel in Pontificalibus equitat, ut est videre lib. 1. Sect. 2. 5. 12. & lib. 3. de officio Sacristæ. Et Ioannes Montucius Episcopus Valentinus de Religione ad Reginam matrem pag. 101. dicit, Hodie pontifices Rom. peregre proficiscentes Sacramentum præmittere equo impositum, & comites ei adiungere cantores, muliones, agasones & cætera ante sua impedimenta. Impudens scilicet mendacium, quod perspicue aut inscientiam aut mendaciloquentiam, aut utramque prodat, si, quod in una hac processione Pontifex facit, id in plerisque alijs, etiam iter faciens Papa, equus præstat, & vicem Pontificis gerit. Modò verum sit ac ratum, equum phaleratum in processionibus Sacramentum Corporis Christi Romæ & alijs in locis portare, quod ego probare & indicare volui. Referunt nonnulli, equum hunc phaleratum sic institui, ut postquam ductus sit ad templum, suâ sponte accedat ad summum altare, & ibi procumbat in genua, quoad illi capsula cum crustulo de tergo auferatur: ut nimirum cæcis hominibus persuadeant, hoc suum Sacramentum tantæ dignitatis esse, ut etiam iumenta illud venerentur.

TERTIO, mentiri me dicit, In hac pompa nihil omninò papistas habere, cuius vel tantillum vestigium in sacris literis exstet. Ac ut hoc probet, profert ex 2. Samuel 6. c. Davidis processionem, quum Arca fœderis transferenda esset: & ordine longo recitat quæ in illa historia narrantur, magnoq; conatu omnia ad sui Sacramenti fictitij circumgestionem applicari vult.

Respondeo, exemplum esse dissimillimum, ratione auctoris simul, & finis aliarumq; circumstantiarum, ut ordine indicabimus. Nam primò, Arca fœderis fuit Sacramentum præsentis maiestatis ac opis diuinæ, & promissionum diuinarum aspectabilis quædam obsignatio, utq; populus haberet, unde in rebus dubijs ac nutantibus oraculum peteret. Adumbrabat item venturum Christum: Eucharistia autem tota sita est in actione, extra quam ne nomen quidem suum retinere potest. Vnde etiam Cranzius inquit, Huius Sacramenti usus à cœlesti Magistro ad usum, non ad ostentationem institutus est. Christus enim instituit eam suæ mortis monumentum, quo percipientes eam in memoriam reuocarent, quod Christus pro ipsis mortuus sit. Hoc autem in papatu negligitur, & puppis ac prora religionis eorum in circumgestionem eius in pompa & aspectu collocatur. Ob circumgestionem autem & ostentationem. Arca in hac pompa non translata est, ut Iesuita libenter simplicioribus persuaderet, sed ob aliam necessariam causam, nempe ut deduceretur in eum locum, quem Dominus ad id elegerat, nec inde amplius efferebantur ad alios superstitiosos usus.

Secundò, David expressum & præscriptum mandatum à Deo habuit vt hoc faceret. Negat quidem hoc Faber Dominicafter & concionator Augustanus in suo libro de Evangelica Missa, sed nihil est certius. Dixit enim David ad totum populum Israeliticum: Si placet vobis, & à Domino Deo nostro egreditur sermo quem loquor, reducamus arcam Dei nostri ad nos: 1. Chron. 13. Et cap. 16. Illicitum est, inquit, vt à quocunq; portetur arca Dei nisi à Leuitis, quos elegit Dominus ad portandum eam, & administrandum sibi vsq; in æternum. Adhæc, nouerat David, Zion esse locum, quem elegisset, Dominus pro arca testamenti, iuxta illud psalmi 132. Quoniam elegit Dominus Zion, elegit eam in habitationem sibi: &c. non enim solum Rex fuit, sed etiam propheta, & vt apparet, diuinitus locum vidit, quem Deus elegerat, vt arca in eo locaretur. Testatur insuper sacra historia, quod in omnibus operibus suis David Dominum consuluerit, ac nihil in consulto ipso temerè incæperit. Iosueus etiam mandauit, Arcam circa muros Hierichontinos ferre expres-



so Dei iussu. Ceteros homines oportet rectâ viâ incedere, ita ut neq; ad dextram neq; ad sinistram declinent. Isti ad dexteram declinant, qui plus faciunt quàm lege præcipiatur, ut Papista in hac sua processione: ostendant enim vel unicam literam in verbo Dei, quâ hoc mandatur: ad sinistram verò deflectunt, qui minus faciunt quàm mandavit Deus.

Reponit Monachus, Se non ire inficias, Davidem fuisse Prophetam, & quicquid egerit Spiritus sancti impulsu egisse: Se verò hoc addere, Etiam Christianam Ecclesiam, quicquid agit & instituit, impulsu Spiritus sancti agere & instituire. Negatur hoc à nobis cum distinctione. Si Ecclesia sequitur verbum Dei, quicquid agit & instituit, impulsu & ductore Spiritu sancto agit. Christiana autem Ecclesia, sub qua Iesuita Romanam præcipuè intelligit, neque in institutione festi Corporis Christi, neq; in alijs quam plurimis cynosuram verbi Dei sequitur: Ergo non omnia agit ex Spiritus sancti, sed suo proprio motu & instinctu.

Vi igitur non licet nobis exemplo Abrahami immolaturi filium ex mandato Dei, nostros etiam liberos immolare & occidere: ita non licet quoq; sine mandato, Davidis exemplo, arcam fœderis deducere, Sacramentum circumgestare & ostendere.

Tertiò, David deductione hac Arcæ nullum cultum, seu meritum instituire, sed, ut diximus, illam in locum saltem suum reponere voluit. Papistis autem circumgestatio & ostentatio Sacramenti huius non minima pars est cultus sui, eiq; indulgentias immodicas largiuntur.

Quartò, Arcam oportuit à Davide in certum quendam locum deferri, quem Dominus celebrando nomini suo peculiariter delegisset. De Eucharistia autem Christus nil aliud mandavit, nisi ut homines ad suum præscriptum, in cætu sacro panem & vinum comederent ac biberent.

Quintò, David semel hoc tantum fecit, nec instituit anniversarium, in huius rei memoriam, festum, in quo hæc Processio quotannis repetereetur, ut in Corporis Christi festo fit: nec populo postea licuisset similia facere arbitrato suo.

Sextò, David pedes comitatus est in processione Arcam fœderis. Papa autem, quum Deum illum suum circumferri volunt in equo, sequuntur illi non quidem pedites, sed omninò cum regia pompa, & in equo multò maioris pretij, quàm ipse illorum Deus.

Septimò, Arca illa non est habita pro ipso vero & vivente Deo, ut Sacramentum Eucharistia hodie à Papistis habetur, nec propterea adorata fuit.

Octavò, Si maximè Arca hæc cum hierotheca corporis Christi simile quid haberet, & ea circumgestata ad ostentationem & adorationem esset, scimus tamen Arcam Veteris Testamenti cum alijs eiusdem ceremonijs, Christi adventu abrogatas esse, nec in Christi Ecclesia amplius usurpari debere.

Postremò, Erat hæc Arcæ translatio vel politica res, ut nimirum poneretur Arca in loco suo. Probat: David enim, ut legitur 1. Paralip. 13. c. de transferenda Arca ex Ciria-Iearim in domum Obed Edom consilium tantum iniit, cum tribunis suis centurionibus & omnibus ducibus: Sacerdotes & Levitæ huic deliberationi non interfuisse leguntur: Ergo hoc exemplum ad Processionem hanc, de qua hoc loco agimus, defendendam nihil facit. Vel si fuit res Ecclesiastica, hoc Davidis factum contra Papistas facit, qui putant, politicum magistratum ecclesiastica negotia tractare non debere, ut autem David hoc loco fecit. Nihil ergo translatio hæc Arcæ à Davide facta, quâ tamen triumphare sibi Iesuita videtur, cum Processione in Corporis Christi festo commune habet, ideoq; nihil prorsus etiam pro illa facit.

Potius festum Corporis Christi similitudinem habet cum arca Domini, ut ab Israelitis tempore Heli in pugnam contra Philistinos deportata est. Nam ut David omnia in sua deductione iuxta præscriptum mandati divini egit: ita hi κακοζυλίας quidam Patrum, qui ex mandato Domini Arcam in deserto, & circa muros Hiericho circumtulerunt, temerè absq; ullo mandato vel promissione Dei Arcam secum in pugnam detulerunt: Sperantes se hoc pacto gratiam & auxilium à Domino consecuturos. Hoc verò factò ita offensus fuit Dominus, ut & ipsi & Sacerdotes Arcam gestantes occiderentur, & Arca ipsa ab hostibus capta abduceretur. Sic & Sacramentum à Papistis perversâ quadam imitatione veteris illius Arcæ, contra manda-



tum Domini circumgestatur. Vnde Dominus non tantum non placatur, sed ad maiorem etiam iram provocatur & accenditur.

Huic processioni subijcit Monachus aliam, à Solomone institutam, quando Arca fœderis translata fuit ex Tabernaculo Davidis operâ constructo, ad templum à Solomone conduum. Sed rectius fecisset, si exemplum illud Exod. 32. de festo vituli, ab Israelitis conflati, adiecisset, quippe quod huic festo Sacramenti, quod ad omnes sui causas & circumstantias astinet, simillimum est.

QUARTO, mentiri me dicit, ritus & ceremonias huius festi ab Ethnicis desumptas fuisse.

Respondeo: Expendat & conferat Lector ritus ac ceremonias in Processionibus Ethnicorum & Christianorum, ac fateri cogatur non ovum similius esse ovo. Conferat inquam, quæ de Ceremonijs in sacris Isis ex Claudiano, & de pompa in Dianæ festo diximus ex Apuleio cum ijs quæ ibidem de ritibus in Corporis Christi festo retulimus pag. 76. Imò conferat cum processione illa solenni quæ hoc die Valiadeleti in Hispania celebrata est, in præsentia Caroli Houuardi, Comitæ Nortingensis, supremi per Angliam præfecti, quem Angliæ Rex ad Hispaniæ Regem, confirmationem articulorum pacis inter utrumq; Regem inite, allatum misit.

Aderat tum, inquit Mercurius Gallo-Belgicus, Corporis Christi festum: ut igitur illud solenniter celebraretur, ingens præparatio facta est: elevato ab utraq; parte platearum tabulato, eoq; pretiosissimo panni nigri coloris obducto, ut spectari inde processionis solennitas posset, præterea ex fenestris ædificiorum peristromata, vestesq; attalicæ, & imagines artificio pictæ ad demulcendos spectantium oculos demittebantur.

Processio Hispanica in corporis Christi festo.

Iam Processionis initium tres Signiferi faciebant exiguâ cruce in capite signati. Sequebantur cruciferi duo, cruces duas ex solido auro conflatas, totidemq; vexilla gestantes. Efferebatur postmodum Sepulchrum Christi, ex solido argento constans, tanti ponderis, ut vix à novem baiulis gestari posset. Adhærebant Sepulchro novem baculi argentei, quorum beneficio illud elevatum ferebatur, imaginibus Christi resurgentis, militumq; custodiendo Sepulchro à Iudæis adhibitorum exornatum erat. Sequebantur iterum vexilla duo & cruces quatuor, quibus clavi alligati erant. Incedebat porrò Christus, coronam spineam in capite gestans, quam vexilla quatuor, totidemq; cruces sequebantur. Postea S. Nicolai effigies ex solido argento conflata, equo eiusdem materiæ imposita, à sex viris gestabatur, sequebanturq; illam vexilla duo & cruces totidem, monumenta rerum ab eo gestarum exhibentes. Post cum Alphonsus, quem in Sanctorum numero Hispani habent, ex argento conflatus, unâ cum monumentis rerum ab eo gestarum, à quatuor viris gestabatur sequebanturq; eum vexilla duo, & cruces totidem ex argento & auro conflata.

Ferebatur postea Christi Salvatoris effigies ex solido argento facta, & post eam vexilla duo, crucesq; totidem. Sequebatur S. Martini effigies argentea, cum aliquot pauperibus militibus, inter quos pallium suum distribuisse dicitur. Hanc quatuor gestabant viri, sequentibus mox duobus vexillis, crucibusq; totidem. Porrò S. Laurentius, cum monumentis rerum ab eo gestarum, ex solido argento factus ferebatur, sequentibus iterum vexillis crucibusq; ut supra. Lydus, veterum temporibus magnæ in Hispania admirationis, unâ cum monumentis rerum ab eo gestarum à quatuor gestabatur viris: sequentibus vexillis crucibusq; ut antea. Postea S. Andreas; Stephanus protomartyr; Ioannes Baptista cum agno & libro; Benedictus & Gregorius, ex solido argento fusi, cum monumentis rerum ab eis gestarum ferebantur, sequentibus mox singulos vexillis & crucibus. Post Sanctos hos, Michaelis archangeli effigies argentea efferebatur, representans



omnia rerum ab eo gestarum monumenta, sequentibus statim duobus vexillis & crucibus.

Michaelis effigiem Iulius Basaliffa, multi apud Hispanos honoris sequebatur, multa rerum à se gestarum monumenta exhibens. Post illum duo præciosissima vexilla cruceſq; totidem ex solido auro constantes, ferebantur, comitantibus illos è vestigio, qui matrem Christi, filium suum in brachio tenentem, ex solido argento factam gestabant, tam insignis artificij imaginem, ut in stuporem ferè omnes verteret. Hanc Maria Magdalena, & aliæ aliquot mulieres virginesq; ex argento fusæ sequebantur, crucibus & vexillis.

Agmen hoc Sanctorum, innumeri claudebant Monachorum cœtus, præcedentibus Carmelitis inferioris domûs, sequentibus Franciscanis, Mercenarijs, Trinitarijs, Carmelitis domûs superioris, Capucinis, Augustinianis, & tandem Dominicanis, qui tanquam doctiores reliquis, apud Regem valere plurimum putantur Monachi hi omnes bini & bini incedentes, Christi crucifixi imagines in manibus portabant.

Post illos Petri Apostoli effigies, ex solido argento, ut superiores fusa, cum omnibus rerum ab eo gestarum monumentis, efferebatur, erantq; vexilla & cruces eam comitantes fertis rosarum exornatæ. Sequebantur qui caput S. Domini Martyris, Dominicanorum primi institutoris, portabant, quod comitabantur Sacerdotum & Canonorum cœtus. Agmen verò claudebant cantores musicisq; omnis generis instrumentorum concentu suavissimo aures spectantium demulcentes.

Novum iam agmen inchoabant pueri Regis nobiles, vexilla & cruces pulcherrimè exornatas præ se ferentes: progrediebantur postea decem viri, Sacramentum corporis Christi, hierothecâ ex solido argento fabrefactâ, vestitum, portantes, singuli singulos tenebant baculos argenteos, quibus arca hæc alligata erat, ut eò commodius elevari & gestari posset. Hanc arcam sequebantur ordine Consiliarij Regis, holoserico nigri coloris induti: post illos Rex ipsemet incedebat, Cardinalem à sinistro latere secum habens: sequentibus mox Principe Sabaudia, Cæsaris Legato, & Legato Melitensi. Hos sequebantur Sabaudi frater, Ducesq; & Principes alij, cum Comitibus nobilibusq; quam plurimis: agmen claudebant satellites regij, ministriq; Principum & nobilium alij.

*Hæcine ex verbo Dei probari possunt? Siccine vel in prima, vel etiam media ætate Christiana Ecclesia Eucharistia tractata, imò prophanata fuit? Itane vel Christus, vel Paulus, vel Apostoli Sacramentum Corporis Christi circumferre, ostentare & venerari iusserunt? Ostendat, ostendat inquam Monachus simile quid vel in Novo Testamento, vel in tota Antiquitate. Negetq; posthac, illarum rerum usum ac ceremonias Papistas revocasse in Ecclesiam Christi, quæ in Cereris, Isidis, Diana, ignisq; Persici honorem, ab Ethnicis olim instituta & usurpata fuerunt. Neget inquam, si potest os impudens, hæc consona & affinia esse ijs quæ à Gentibus olim factitata & à nobis breuiter commemorata sunt. Et tum dicat, mentiri Hospinianum, ritus & ceremonias huius festi ab Ethnicis desumptas esse.*

*Testem & approbatorem meæ sententiæ habeo Polydorum Vergilium, qui quum li. 6. c. 11. multa de Processionibus & Supplicationibus dixisset, tandem inquit. Ita Romani factitabant, & aliæ pleræq; gentes, à quibus ad nos ritus eiusmodi dubio procul manavit. Nam in Supplicationum nostrarum pompa solent ludicra quædam præcedere, hoc est, Ordo militaris equitum peditumq;, vel effigies aliqua arguta, loquax, ridicula, aut magnis malis latè dehiscens, dentibusq; sonitum faciens, valde formidulosa, ac aliæ oblectationes ludicræ vagari, in quibus Prophetæ repræsentantur, alati pueri concinunt, chorus inducitur fœminarum & virorum tripudiantium: hic agit Davidem, ille Solomonem gerit, aliæ reginas fingunt, alij venatores.*



tores ludunt, simiam vel iumenta simul inducentes, ut denique in hoc ludicio apparatu multijuges recitentur historiae antiquae. Item cereae tædæ, & symphoniam adhibentur: loca velantur, quâ pompa vehitur. Item pueri & puellæ ex fenestris vetantur despicere, hoc est, ex fenestris deorsum versum spectare. Præterea sacerdotes vel alij divorum personas agunt, eorum imagines aut reliquias ferentes: viæ & plateæ varijs odoribus consperguntur, floribusque sternuntur, ac demum aliquot præficiuntur, qui iubeant viam dari, ut pompa sine impedimento procedat. Sic sacrificialis pompa apud præscos ducebatur, teste Dione libro septimo. *Et paulò post: Sed huius rei Apuleius testimonium in primis perhibet, qui libro undecimo summarim singula exponit: Ait enim, Ecce, pompæ magnæ paulatim procedunt anteludia, vocibus cuiusque studijs exornata pulcherrimè. Hic incinctus baltheo militem gerebat, &c. Hucusque Polydorus, quibus apertè fatetur, Christianos in Processionum & Supplicationum ritibus & ceremonijs Ethnicos æmulari.*

Probari hoc ipsum potest alijs quoque exemplis, testimonijs & rationibus. Quia enim ab initio Christianismi, & posterioribus etiam seculis in conversione gentilium imprimis ad Christianam religionem, difficile erat semel receptos ritus & ceremonias Ethnicas prorsus abijcere & è medio tollere, propterea veteres festa Ethnicorum & Iudæorum non quidem omnino sustulerunt, sed tantum in Christianorum festa, retentis præcipuis ritibus & ceremonijs, plerunque nomine saltem immutato, commutarunt. Hoc Gregorius Magnus libro nono capite septuagesimo primo non solum concessit, sed præcepit etiam: nempe, Paganorum festa sensim in Christiana festa commutanda esse, & quædam AD SIMILITUDINEM esse facienda &c. Rationem facti huius B. Rhenanus in Tertulliani libro de Corona militis hanc reddit: Opus fuisse olim multa Christianis à Paganismo conversis indulgere, quòd senes plerunque ad nostram religionem conversi fuerint, ideoque haud facile adduci potuerint, ut semel receptam consuetudinem abijcerent: nam, Quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu. Sic festum luminum seu Purificationis Mariæ ad imitationem Ethnici festi institutum est. Romanae mulieres in memoriam raptus Proserpina, quam Ceres mater eius facibus & luminibus accensis diu quæsierat, Calend. Februarij festum luminum seu facum celebrarunt, noctu urbem lustrantes, eamque facibus & candelis ardentibus ambientes: &c. Superstitiones hæc Ethnicæ & profanæ observabantur Roma post ea quoque tempora, quando abjecto gentilismo, Christianam profiterentur religionem. Damnarunt quidem eas urbis huius Episcopi: sed quum non facile in universum tolli & abrogari possent, ipsi in melius eas commutare conati sunt: quod tamen sic factum ab ipsis, ut nomen saltem mutatum, eadem autem superstitiones, ritus & ceremonia impia retenta sint. Non dissimulant, multoque minus negant hoc, ut Monachus Iesuiticus facit, sed fatentur ingenuè Durandus in Rationali libro septimo, capite septimo. Belet in Rationali libro septimo capite decimo octavo. Bernardinus de Busto in Mariali parte septima, Sermone primo, Eccius homilia tertia, de Purificatione Mariæ. Meffreth ex Innocentio Sermone primo, de Purificatione Mariæ. Sic etiam Natalitia Christi veterum Saturnaliorum more à Christianis celebrantur: de quo vide plura in festo Nativitatis Dominicæ.

Negat autem Iesuita consequentiam: Ethnici hoc vel illud fecerunt: ergo malum est & improbandum.

Respondeo: Ethnicorum facta omnia non improbamus simpliciter, sed secundum quid: multa quæ non ideo mala & improbanda esse dicimus, quòd ab Ethnicis simpliciter & per se profisciantur, sed quòd ab Ethnicis supersticiosi, idololatri & infidelibus fiant. Et perinde est ac si diceremus: Hoc Ethnicum, vel supersticiosum & idololatricum, ideoque malum & fugiendum est: Neg, etiam omnia in universum dicta & facta Ethnicorum, præsertim in civilibus, dam-



namus & reijcimus, sed potius illorum virtutes & egregia facta ad caelum usq; extollimus. Ad cultum autem diuinum quod attinet, quatenus illum non iuxta normam verbi Dei, & non in eum finem, ut voluit Deus, instituerunt, adeoq; Deum non coluerunt eo modo, quo in sui verbo iussit, eatenus ea omnia quae fecerunt in cultu externo, tanquam mala, noxia, superstitiosa & idololatrica improbamus, & cavenda fugiendaq; esse dicimus. Eodem modo Propheeta Hoieas non quidem omnia facta Israelitarum damnavit ac reiecit, quod Israelita essent, sed tantum idololatricum illorum cultum, tanquam pestiferum: & ad Iudaeos conversus, graviter illos monet atq; hortatur, ne cultum Israelitarum in suam religionem transferant, sed ab eo sibi caveant. Hos. 4. c. Noluit etiam Tertullianus Christianos sui temporis, festos dies Ethnicorum more & consuetudine, ritibus & ceremonijs superstitiosis celebrare, in Apologetico cap. 42. de quo vide supra eius verba pag. 29. Argumentatur à minore ad maius, ac vult dicere: Si Deus Iudaeorum festa propter horribilem eorum abusum odit, quae tamen ab ipso instituta fuerunt, quanto magis odio habet Ethnicorum festa, à Diabolo, in Dei contumeliam instituta? Item, Si haec Iudaeorum festa, quae olim Deo grata fuerunt, nunc Christianis abominatio esse debent, quanto magis sibi cavere debent ab Ethnicorum festis, quae Deo semper inuisa fuerunt? Denique si Ethnici tam strenui suae religionis cultores sunt, ut nullam Christianorum festivitatem obseruent, tantumne Christiani esse videantur, quae ergo haec est amentia quod Christiani Ethnicorum festa colunt? Synodus quoq; Turonensis 2. anno 570. decrevit, ut ij ab Ecclesia sancta auctoritate repellantur, nec participare sancto altari permittantur, QUI GENTILIVM OBSERVATIONES CVSTODIVNT. Valet igitur & firma est consequentia, Hoc Ethnici fecerunt, non quidem quatenus per se Ethnici, sed quatenus superstitiosi & idololatrae, ideoq; malum & improbandum est. Probatum haec consequentia alio quoq; argumento.

Prohibuit Deus veteri suo populo Ethnicorum excelsa, & altaria sub omni arbore frondosa, Voluit item ne Israelita corpora sua in luctu vel culeris scindant, vel manibus seu unguibus lacerent, ut sanguinem eliceant, ad Baalis sacerdotum imitationem, 3. Reg. 18. Item, ne faciant calvitium super mortuo: ne ve in rotundum attondant comam, & radant barbam. Atqui cum Gretschero dicere poterant, Domine Deus non valet consequentia, Ethnici hoc & illud faciunt, ergo malum est et improbandum: tollatur abusus & retineatur usus. Audis verò, apud Deum valuisse hanc consequentiam, Ethnici idololatrae ac superstitiosi sic faciunt, ergo malum est, nec volo ut eorum ritus observetis. Rationes huius consequentiae haec affert Deuter. 14. c. Prima est, Filij estis Domini Dei vestri: quasi diceret: Non estis Filij & servi alienorum Decorum, adeoq; demonum, sed Domini Dei vestri: aequum igitur est, ut vobis caveatis tam à doctrina falsa & blasphema, quam ab omnibus idololatricis & superstitiosis ritibus, quales Ethnici habent, & custodiatis doctrinam & cultum à Deo vobis traditum. Altera est, Populus sanctus es Domino Deo tuo, & te elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris praë omnibus populis, à reliquis populis: iniquum igitur est cum illis iterum in doctrina & ceremonijs commisceri.

Bis ergo peccant Papista hoc loco. Primò, quòd ceremonias & ritus superstitiosos & idololaticos ab Ethnicis mutuati sunt. Secundò quòd eosdem non ad solius Dei honorem, sed ritus ad cultum superstitiosum ac idololatricum, nempe, ad invocationem & religiosam cultum Sanctorum mortuorum transtulerunt & converterunt. Loca igitur illa quae ex Augustino Monachus obijcit, non contra nos, sed contra Papistas faciunt. Templum inquit epistola 49. sacrificia, & alia quaecunq; adhuc pertinentia, cum exhibentur Deo, secundum eius inspirationem atq; doctrinam, vera religio est: cum autem daemonebus, secundum eorum impiam superbiam, noxia superstitio. Quapropter qui Christianas literas utriusq; Testamenti sciunt, non hoc culpant in sacrilegis ritibus Paganorum, quòd construant templa, & instituunt Sacerdotia, & faciant sacrificia, sed, quòd haec idolis & daemonebus exhibeant. Haec rectè & verè Augustinus, Papista autem sua Templa, sacrificia & alia his similia, non soli Deo exhibent, secundum eius verbum, sed



sed sanctis mortuis. Nam quemadmodum Arnobius lib. 6 contra Gentes indicat, Ethnicos dicere solitos fuisse, Templum hoc est Iunonis, hoc Veneris, &c. ad eundem planè modum Papistæ dicere solent, Hoc est B. Mariæ, Petri, Pauli, &c. templum, non differentia causâ, sed quòd templa hæc in Sanctorum, tanquam Deorum, honorem exstructa & consecrata essent. Idem etiam de Sacerdotijs & Sacrificijs dicere possemus. Non igitur, iuxta Augustinum, hæc vera religio est, sed noxia superstitio, quod hæc non vni & soli Deo, sed alienis Dijs exhibeant. Similiter adoratio, pompa & totus cultus, quo in Corporis Christi festo eiusq; processione vtuntur, non Christo eiusq; corpori, quod iam in cælis, non in Monstrantia est, sed pani, pani inquam, adeoq; creatura exhibetur.

Idem quoq; responderi potest ad locum quem citat Monachus ex cap. 21. libro 20. contra Faustum: Sicut, inquit Augustinus, non ideò contemnenda, vel detestanda est virginitas sanctimonialium, quia & Vestales virgines fuerunt: sic, non ideò reprehendenda sacrificia Patrum, quia sunt & sacrificia gentium: quia sicut inter illas virginitates multum distat, quamuis nihil aliud distet, nisi quæ cui voueatur, atq; reddatur: sic inter sacrificia Paganorum & Hebræorum multum distat, eo ipso, quòd hoc solum distat, quæ cui sint immolata & oblata: illa scilicet superbæ impietati dæmoniorum, id ipsum sibi ob hoc arrogantium, quò haberentur Di: quia diuinus honor est sacrificium: illa verò vni Deo, &c. Nam, vt supra quoq; monuimus, ritus Papisticos non simpliciter repræhendimus, quòd iisdem ferè Ethnici etiam vsi sunt, & Papistæ eos in suam religionem transtulerunt: nam eandem ob causam etiam præces in vniuersum damnandæ essent, quòd Ethnici quoq; iisdem vsi sunt: sed quòd Papistæ Ethnicorum ritus & ceremonias ad similes cum Ethnicis superstitiones & idololatrias conuerterunt. Exempli gratia: Augustinus inquit Non ideò contemnenda, vel detestanda est virginitas, quia & Vestales virgines fuerunt: quia inter illas virginitates multum distat, præsertim in eo, cui virginitas, & alia his similia multa voueantur atq; reddantur. Nam in hoc Sanctimonialium virginitas apud Papistas hodiè, à Vestalium & Ethnicorum virginitate nihil prorsus distat. Vestales suam virginitatem vouerunt Vestæ. Alij in alijs casibus idolis, statuis, ventis & dæmonibus quoq; sua vota nuncuparunt. Ac ita ferax fuit illa ratio, vt singula professiones haberent propria numina quibus vouerent: Agricola Opi pro fertilitate, & Sylvano pro incolumitate bouum: Nautæ Polluci & Castori: Iuuenes Hora: Pastores Pani: Viatores Herculi: Fures Mercurio: Amatores Veneri & Cupidini, &c. Ad eundem prorsus modum Monachi & Moniales hodiè vouent non solum Deo, sed etiam Creaturis & Sanctis mortuis, vel etiam opinione saltem talibus, videlicet, B. Mariæ virgini, Francisco, Dominico, &c. & Abbati monasterij toto tempore vitæ suæ seruare Regulam sui Ordinis in Obedientia, siue proprio, & in continentia seu virginitate. Atq; Bellarminus lib. 3. c. 9. de Cultu Sanctorum tom. 2. probare conatur, vota etiam Sanctis mortuis rectissimè fieri posse. Hæc vota Monachorum perinde sunt idololatrias ac Vestalium aliorumq; Ethnicorum. Nam verbum Dei nos docet, Vota non creaturis, nec vllis sanctis mortuis, sed soli Deo nuncupanda esse: Deuter. 32. Psal. 116. Isa. 19. Eccles. 5. Præterea ex voto hoc virginitatis cultum Dei, & quidem meritorium cultum faciunt contra verbum Dei, In vanum me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum. Non igitur nostra est consequentia propriè, Vestales Ethnica colebant virginitatem; ergo non est probanda virginitas. Sed, Virginitas in Papatu, quæ, ad imitationem Vestalium Ethnicarum, contra verbum Dei suscipitur, creaturis & hominibus mortuis vouetur, & pro cultu Dei meritorio habetur, detestanda & improbanda est. Iesuita igitur has & similes consequentias ipse sibi fingit, & ex nostra sententia falso colligit: ac decipit simpliciores fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter.

Negat & hanc consequentiam Iesuita: Ethnici simile quid huius vel illius ritus apud Papistas vsitati vsurparunt, ergo hic vel ille ritus Papistarum manauit ab Ethnicis. Quæro autem, ne à proposito digrediamur, vnde ceremonias & ritus vestros in Corpora

R



DE ORIGINE FESTORVM

*vis Christi festo habeatis? vel unde & à quibus ad vos manarint? Certè vel ex verbo Dei, vel ex Iudaismo, vel ex Ethnicismo, vel ex vestro cerebro. Non autem ex verbo Dei, vel ex Apostolica & primitiua Ecclesia: nihil enim ibi de circumgestatione, ostentatione, adoratione, & regia pompa, legitur vel precipitur, quæ hodie in hoc festo retinentur. Ergo vel ex Iudaismo, vel Ethnicismo, vel vestro cerebro, vel ex his omnibus simul.*

*Instat Iesuita: Ceremonijs Iudaicis non paucas admodum similes vsurpârunt Ethnici. Si igitur has argumentationes, tanquam legitimas, recipere velimus, plerasque legis Mosai-  
ca ceremonias euertemus. Negatur consequentia. Nam Iudæi suas ceremonias à Deo, non ab Ethnicis acceperunt. Ethnici autem ab Iudæis illas mutuati sunt, & in suam religionem ad idololatricos cultus transfulerunt. Mansit igitur Iudaicis ceremonijs sua authoritas ac dignitas: Ethnici autem abusu illarum peccârunt. Ita etiam Papistæ peccant, quod non contenti ceremonijs à Deo in Nouo Testamento traditis, alias insuper ab Ethnicis acceperunt, & ad similes cum ipsis idololatricos cultus traduxerunt, & conuertunt.*

QVINTO, mentiri me dicite, quòd scribam, Nihil ab Ethnicis esse obseruatum in Cereris sacris & pompa, quòd à Papistis non sit ad vnguem expressum in pompa corporis Christi. Et vt probe mendacium, interrogas, Mactentne Papistæ in Festo hoc victimam Cereri? Circumducantne victimam Cereri mactandam circum nouas fruges?

*Respondeo primò: Dixi hostiam, quam sacram salutaremq; appellent ac salutent, QVA-  
SI piacularem & lustralem illam hostiam (qua videlicet postea in Cereris sacro mactabatur) circum vrbes, compita & agros, annuatim gestari solitam, hunc PENE in modum, quo à Ver-  
gilio & Ouidio describatur. Hoc ipso satis ostendi, vt intelligi velim, quòd dixi, Nihil in hac pompa Cereris obseruatum esse, quòd à Papistis non sit ad vnguem expressum in hoc suo sacro:  
nempe, non absolutè & simpliciter, sed secundum quid.*

*Secundò respondeo ex Cypriano in Symboli Apost. expositione pag. 367. Cùm proferuntur exempla, non per omnia similitudinem seruire possunt rei illius cui præbere putantur exemplum, sed vnus alicuius partis, pro qua videntur assumpta, similitudinem tenent. Et paulò post: Ex quibus constat, exempla non in omnibus his quorum exempla sunt esse similia. Alioquin si eadem essent omnia, iam non exempla dicerentur, sed ipsæ potius res, de quibus agitur, viderentur.*

*Tertiò, Negandi hoc Aduerbio NIHIL, non semper omnia & singula intelliguntur, sed vt plurima, vt in illo Ciceronis de Officijs videre licet, Nihil omnium rerum agriculturâ melius. Nota est etiam illa prouerbialis hyperbole, Ad vnguem exprimere, &c. Cuius sensus non est, sic omnia & singula exprimere, vt prorsus nihil desideretur.*

*Porro irridet Monachus meum argumentum: In festo Cereris hostia ter circum fruges nouas ducebatur, quam chorus omnis & socij comitabantur ouantes, qui Cererem clamore vocabant: ergo Christiani, si quando tutelæ causâ circum fruges venerabile Sacramentum, processione institutâ, circumferunt, Deique opem defendendis frugibus implorant, Ethnicos imitantur. Imò suo modo imitantur. Vel dic obsecro Monache, quosnam in his processionibus imitemini? Certè non Iudæos, nec Christianos veteres: de quibus nusquam legimus, quòd huiusmodi sacrificijs, hostijs ac ritibus defensionem frugum vel à Deo vel à Diuis petierint. Habuerunt Iudæi innumera sacrificiorum genera, sed nullum prorsus huic simile. Neque etiam eiusmodi aliquid in veteri historia Ecclesiastica legitur. Vel profer vnicum saltem exemplum, quo probes, veteres Christianos tutelæ causâ circum fruges venerabile Sacramentum in processionibus extra vrbes & vicus circumtulisse. Dic ergo Iesuita, quos hîc imitemini?*

Quum



Quum ergo se constrictum teneri intelligat, probat ritum hunc Ethnicorum aliquo modo Ethnici, inquit, non malè fecerunt, quòd frugibus tutelam procurarunt tam prece, quàm hostiâ, eaq; etiam circa fruges nouas ductâ: sed malè egerunt, quod præsidium frugibus terræ quæsierunt à Cerere, id est, à dæmone, quodq; eidem hostiam immolarunt; in hoc peccarunt, non in illo alio. Respondeo primò: Imò in illo alio quoque peccarunt, quòd nimirum sacrificio & hostiâ tali, quam Deus nusquam præcepit, nec de manibus eorum requisivit, præsidium & tutelam frugibus quæsierunt: sed alia media ordinauit. Deuter. 28. c. inquit: Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atq; custodias omnia mandata eius, venient super te omnes benedictiones istæ, si tamen præcepta eius audieris. Benedictus eris in ciuitate & in agro. Benedictus erit fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusq; iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ouium tuarum. Benedicta erunt horrea tua. Emitteret Dominus benedictionem super cellaria tua. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum: cælum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ tempore suo. Et huius generis multa hinc inde apud Prophetas leguntur: de hostia verò circû fruges ducenda et immolanda, ne verbû quidè.

Respondeo secundò, Papiſtas eodem modo peccare hodiè, quo peccarunt olim Ethnici, ipso Greſchero teste, quòd nimirum præsidium frugibus terræ quæsierunt à Cerere, &c. Nam in his Ambarualibus suis non quidem à Cerere, sed, quod idem fere est, à Sanctis mortuis auxilium pro frugum tutela petunt & implorant. Ad auertendam enim grandinem & alias noxias tempestates inuocant Ioannem & Paulum. Vitium tutelam commendant Urbano & Medardo: contra rubiginem inuocant Iodocum, contra brucos Magnum, &c.

Addis; Si totum hoc ceremoniæ & sacrificij genus retulissent ad vnum verumq; Deum, ab omni culpa immunes essent. Loquor autem de Ethnicis, Cereris cultoribus, ante Euangelicam legem promulgatam; quando sacrificia illa vero Deo licite offerri poterant; &c. Nego autem vtrumq;. Neq; enim ab omni culpa immunes fuissent, etiam si hoc sacrificij genus, & cultum hunc idololatricum ad verum Deum retulissent. Nam non quomodolibet, & vt nobis placet, Deus coli vult, sed iuxta normam ac regulam verbi sui. Iudæi simulachra sua non habuerunt pro Dijs, sed Deum verum in ijs colere se dixerunt: quia Exod. 32. populus dicebat de vitulo aureo; Iſti sunt Diſ tui Iſrael, qui te eduxerunt te terra Ægypti. His verbis aperte fatentur, se in vitulo colere eum Deum, à quo fuerant liberati ex Ægypto. Et ibidem Aaron indicturus diem festum in honorem vituli aurei, iussit præconis voce edici; Cras solennitas Iehouæ est. Vnde Bellarminus quoq; lib. 2. de Imag. facitur cap. 13. Non improbabiler dici, Iudæos vitulum aureum pro imagine veri Dei habuisse, idq; etiam Abulensis, Caietani & aliorum in 17. c. Iud. confirmat. Et Iudic. 17. c. mater Micha dixit, Sanctificauit & voui Iehouæ mille & centum argenteos, vt faciam sculptile atq; conflatile. Et Micha se, conducto Leuitâ, Iehouam in eo colere ostendit. Non tamen propterea hunc cultum probauit Deus.

Deinde, neq; etiam in veteri lege, ante promulgatam Euangelij veritatem, quando sacrificare licebat, hoc sacrificij genus vero Deo licite offerre potuissent; quo hostia extra vicos & vrbes circum fruges ducebatur, deindeq; mactabatur. Iudæi enim & Iſraelitæ sacrificantes in omnibus vicijs & compitijs, in excelsis, & sub omni arbore frondosa, à Prophetis idololatriæ accusantur: ob eamq; causam etiam exſcindere præcepit Iſraelitis eiusmodi lucos & excelsa, deijcere in ijs aras & statuas, & superstitionis eius omnem delere memoriam: Exod. 24. Deut. 7. 12. & 17. Quæ leges cauendum etiam admonebant, ne gentium ritus atq; mores ad suam religionem transferrent, neue sibi traditas ceremonias ad earum exemplum conformarent, minimeq; alio quàm ab se deletâ loco victimas suas immolarent. Et quanquam contra facientes Iſraelitæ multis se speciosis rationibus excusare niterentur: vt quòd honorem hunc nullis peregrinis Dijs, sed ipsi Iehouæ deferrent: quòd ea solum ad hunc cultum delegissent loca, in quibus Deus olim à Patriarchis visus, cultusq; esset: quòd animis optimis planeq; Deo deuotis, isthac sacra peragerent: excusationes tamen eas omnes Deus repudiabat, & hos illorum cultus vt retrum inuerti-



tum demonum, acerrimis, sicut diximus, Prophetarum sermonibus condemnauit, & tandem ex-  
 eremi exitij ipsis causa fuerunt. Atqui si tum dixisset Gretscherus, contra coaxasset, Isrælitæ  
 ab omni culpa immunes, si totum harum ceremoniarum & sacrificiorum genus, ad vnum ve-  
 rumq; Deum referant.

SEXTO, mentiri me dicit Iesuitaſter, Nulla vel testimonia vel exempla exsta-  
 re in vera antiquitatis historia de adoranda Eucharistia. Tot enim exstant, inquit,  
 quot de adorando Christo exstant: cum adorando Eucharistiam, adoremus ipsum  
 Christum realiter & substantialiter in Eucharistia contentum.

Christus nõ sub-  
 stancialiter in  
 Sacramento.

Argumentum tale est: In vera antiquitatis historia multa exempla & testimonia exstant  
 de adorando Christo: Ergo Eucharistia est adoranda. Negatur consequentia: non enim se-  
 quitur, Christus adorandus est: ergo Sacramentum adorandum, vel in Sacramento adorand-  
 us est. Sed illam hac ratione probat, quod Christus realiter & substantialiter in Sacramen-  
 to contineatur. Respondeo primò: Principium petit Iesuita, & falsum falso probat. Non enim  
 Christus realiter & substantialiter in Sacramento contineatur: neq; id etiam docet vel verbum  
 Dei, vel Patres in primitiua Ecclesia; imò illi ne quidem vsi sunt vocabulis realiter, substan-  
 tialiter, corporaliter, carnaliter, naturaliter, sensualiter, &c. Fatetur etiam Fischerus Respon-  
 sis olim Episcopus contra Captiuitatem Babylonicam ingenuè, ex verbis, quibus vsus sit Chri-  
 stus in institutione Cæne, hunc sensum nullo modo probari posse. Inquit enim, Nullum vera-  
 bum positum est hic (in institutione Cæne) quo probetur in nostra Missa veram fieri  
 carnis & sanguinis Christi præsentiam. Quin etiam porro affirmat, Non posse per  
 vllam Scripturam probari.

Et quia oblitus videtur Monachus eorum, quæ doctissimus Stenius ex clarissimo D. Pareo  
 ipsi suggestit in Gretschero triumphato pag. 80. de varia verborum Institutionis Scholasticorum  
 interpretatione, de q; eo, quem Papistæ in Sacramento suo adorent, breuiter illi in mentem re-  
 uocabo. Inter vosmetipsos (Papistas) disrepantia est, inquit, in singularum vocum in-  
 terpretatione. Pareus nouem opiniones recenset Pontificiorum Doctorum de pro-  
 nomine HOC. De verbo EST, ostendit, mentiri Bellarminum, cum dicit, verbum  
 EST Catholicis nihil aliud significare, quàm EST. Nam secundum Thomæ Aquina-  
 natis Glossam, EST, significat Continetur. Secundum Glossam Thomæ de Argen-  
 tina, EST significat erit. Secundum Richardi, Marsilij & Bonauenturæ Glossam,  
 EST significat transmutatur, conuertitur, transit. Et Bonauentura expressè  
 ait, EST non dicit identitatem, sed potius conuersionem in hac operatione.  
 Biel quoque ex sententia Bonauenturæ, EST, valet idem quod transit, vel  
 conuertitur. Vbi autem variant authores ibi nihil certi constitui & defini-  
 ri potest. Iam quod ad verba attinet, CORPVS MEVM; Bellarminus di-  
 cit quidem, Catholicos per Corpus intelligere ipsum verum & naturale cor-  
 pus Christi pro nobis traditum; sed iterum eum mentiri, Pareus probat.  
 Nam alij in Sacramento fingunt corpus Christi non quantum, quod nec ma-  
 gnum nec paruum sit, nec vllas habeat dimensiones. Sic Durandus. Alij fin-  
 gunt corpus quantum, sed non extensum, sine figura & ordine partium, mu-  
 tuò se penetrantium. Sic Occam. Sed hoc verum & naturale Christi cor-  
 pus non est, sed inane phantasma, & humani cerebri sophisticum com-  
 mentum. Alij saniores, vt videri volunt, dicunt, quod corpus Christi in  
 Sacramento sit quidem quantum, sed non quantitatiuè: hoc est, vt Bellar-  
 minus exponit, quod quidem habeat in se magnitudinem, dimensionem, &  
 extensiones partium extra partes; sed non habeat extrinsecum in loco, nec  
 relationem ad locum. Sed hæc opinio, inquit Pareus, est monstrosior prioribus,  
 quia sunt præstigiæ se mutuò elidentes; habere dimensiones exten-  
 sas, &



fas, & non habere situm: habere partem extra partem, & non habere situm extrinsecum in aliquo **VBI**. Extensio enim & distinctio partium sine distinctis **VBI** ne quidem cogitari potest. Ex his breuiter commemoratis facile intelligi potest, *Greſcherum habere in Sacramento, non verum, reale, naturale & substantiale corpus Christi, sed phantasma quoddam: praesertim cum Bellarminus ipse scribat, Christum existere in Eucharistia, non per modum corporeum, sed per modum spirituum. Iam ipse secum disputet, quid in Sacramento suo adoret. Accurate omnia si perpendat, facile animaduertet, se panem Domini adorare, non panem Dominicum, ut Augustinus loquitur, atq; adeo extra omnem controuersiam arcolatram esse.*

Patres quoq; Orthodoxi, ut paucis absoluam, docuerunt, Eucharisticam enunciationem, **HO: est corpus meum**, figuratam esse, cuius sensus sit, Panem Eucharisticum esse **SACRAMENTVM**, Ambrosius de ijs qui mysterijs iniciantur lib. 9. Cyprianus de Cæna Domini. Augustinus in sententijs à Prospero collectis, dist. 2. de Consec. c. 48. epistola 23. ad Bonifacium. Eusebius Emisenus, dist. 2. de Consec. c. 35. Bedæ in cap. 22. Lucæ. **MYSTERIVM**, Augustinus Serm. ad infantes: in Psalmum 89. Chrysostomus homil. 11. in cap. 5. Matth. Operis imperfecti. Homilia 38. in Matth. **SYMBOLVM**. Theodoretus Tom. 2. Dialog. 1. & 2. Dionysius in Hierarch. Clemens Rom. ἀγνάξιων lib. 6. c. 26. Eusebius Casar. Demonst. Euang. lib. 1. c. 10. Chrysost. homil. 83. in Matth. **TYPV M**, Ambrosius in 1. Cor. c. 11. Procopius Gaz. in Gen. 49. c. **ANTITYPV M**, Clemens Rom. lib. 5. ἀγνάξιων: Basilus in Liturg. Nazianzenus in Epitaph. Serm. Gorgonia: Theodoretus Dialogo 2. Macarius homilia 27. **FIGVRAM**, Tertullianus libro 3. contra Marcionem c. 19. Hilarius distinct. 3. de Consec. c. 79. Ambrosius de Sacram. libro 4. c. 5. Augustinus in Psalm. 3. Ephrem Syrus c. 4. Bertramus. **SIGNVM**, Dionysius in Hierarch. Origenes contra Marcionit. Dialog. 3. Chrysost. homil. 83. in Matth. Augustinus contra Adimant. cap. 12. Bernardus Sermone de Cæna. **IMAGINEM**, Origenes contra Marcionitas Dialog. 3. Procopius Gaz. in Gen. 49. Gelasius contra Eutych. Gregorius Neocas. **SIMILITVDINEM**, Chrysost. in Psalm. 22. Ambrosius de Sacram. libro 4. c. 4. & libro 6. c. 1. Gelasius contra Eutych. **MEMORIAM seu RECORDATIONEM**, Iustinus Mar. Dialog. cum Tryph. Ambrosius in 1. Cor. c. 11. Augustinus lib. 3. de Trin. c. 4. & libro 20. contra Faustum. Euseb. Casar. de Præp. Euang. lib. 1. c. 10. Docent etiam Patres, quod tamen eodem redit, Panem Eucharistiae significare, designare, ostendere & representare corpus Christi. Tertullianus libro 1. contra Marcion. c. 14. Hieronym. lib. 4. in cap. 26. Matth. Theodoretus Tom. 2. Dialog. 2. Glossa de Consec. dist. 2. Cyprianus ad Cecil. epistola 63. Habemus itaq; vera antiquitatis apertissima testimonia, Christum realiter & substantialiter non esse in Sacramento: ideoq; neq; Sacramentum, neq; Christum in Sacramento adorandum.

Verba Eucharistica sunt figurata.

Secundò, ne vnicum quidem profert Iesuita exemplum ex vera antiquitatis historia, quo probet, adorandam Eucharistiam. Quod ad testimonia attinet, dicit, multos Patres citari à Bellarmino & Valentiano, qui disertè doceant, Eucharistiam esse adorandam. Sed non operæ pretium esse propter mendacia, Prædicantis actum agere. Puluic nimirum Iesuitam, quamuis nulla, vel exigui saltem pudoris significatio apud ipsum reliqua sit, loca illa Patrum proferre, quæ nihil prorsus ad probationem consequentia sua faciunt. Mibi autem operæ pretium videtur propter mendacia Missificantis monachi testimonia illa Patrum breuiter excutere & explicare, ut Lector vanitatem Bellarmini, Valentiani & Greſcheri intelligat.

Christus non adorandus in Sacramentis

Primò citat Bellarminus locum ex Dionysij Hierarchie cap. 3. vbi hoc Sacramentum ita alloquitur: ô diuinissima & sancta ceremonia (τὴν) obducta tibi significantium signorum opera dignanter aperit, &c. Respondet autem pro nobis Pachymeres Græcus Scholiastes, qui hæc Dionysij verba sic interpretatur: Affatur, inquit, illam tanquam rem animatam, & meritò: quemadmodum & Theologus M. Gregorius ait, ô magnum & sanctum Pascha: & eiusmodi sacrum mysterium ipse est Do-

Explicatur Dionysius



minus noster Iesus Christus, ad quē loquitur sanctus. Ad Quem? inquit, hoc est, ad eum qui in cœlis est, non ad illud quod in mensa coram facet. Et paulò ante dixit Dionysius, Ingrediamur ab effectis ad causas: nempe, eodem interprete, Ab ijs quæ visibiliter celebrantur ad invisibilia & mystica. Quasi diceret, oculos nostros à visibilibus signis & sacramentis reuocemus, & Christum spiritualiter intueamur, cuius hæc sunt sacramenta, quæ in illis representantur. — Item cap 3. Multi sanè, inquit, in sola diuina Symbola intuentur. At ipse ( Antistes ) diuino spiritu, & in ipsa principia eorum quæ celebrantur, perpetuò fertur: Id est, ad Deum, Si verò Christus in signo, aut sub signorum accidentibus, cur non ad illa, sed aliò respexit? an non vel ob hoc ipsum merito reprehendendus fuisset? Similiter Ambrosius libro 10. c. 22. in Lucam aquam Baptismi alloquitur: ô aqua, quæ humano aspersum sanguine, & præsentium lauacrorum figura præcederet, orbem terrarum lauisti. O aqua, quæ Sacramentum esse meruisti, &c. Dicimusne ipsum aquam Baptismi adorasse? aut aquam in Christum ipsum transsubstantiatam esse? Fateri igitur coguntur, hunc locum adorationem Sacramenti nihil iuuare.

2.  
Origenes.

Secundò, Bellarminus adducit locum ex Origene, qui in Euangelij diuersa loca homilia 5. Quando, inquit, sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas corpus & sanguinem Domini: tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians te ipsum imitare hunc Centurionem & dicito: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Ergo, inquit, Sacramentum adorari voluit. In his autem verbis Origenes nullam prorsus mentionem, vel adorationis Sacramenti, vel realis & corporalis presentie Christi, facit: sed occasione presentis historiae de Centurione, qui se indignum iudicauit, qui Christum in ades suscipere, quibus modis Christus in fideles immigret, ostendit. Duas autem vias indicat: Vnam, quando Antistes Ecclesie ad nos venit, ut nos inuisat & consoletur, alteram, cum Eucharistiam sumimus. Verba eius hæc sunt: Quando sancti & Deo acceptabiles Ecclesiarum antistites sub tectum tuum intrant, tunc ibidem per eos Dominus ingreditur. Et tu sic existimes, tanquam Dominum suscipiens. Et aliud, quando sanctum cibum, & illud incorruptum accipis epulum, &c. Origenis sententia igitur est, sicut Christus per antistitem ad nos ingrediatur, ita quoque per sacrorum mysteriorum participationem eundem ingredi sub tectum nostrum. At prius non fit realiter & corporaliter: Ergo nec posterius. Proindeque vel ipsius Bellarmini testimonio nulla sequitur adoratio. Vel Ecclesiarum quoque antistites, tanquam Deos, diuino honore adorari, ab Origene doceri necesse est. Et certè, qui sensisse aliter Origenem putemus, qui contra Marcionitas tam disertè, Quod si, uti obloquuntur, inquit, carne destitutus erat & exanguis, cuius corporis, & qualis tandem sanguinis signa & imagines, & panem & poculum ministrauit, iussitque per illa discipulos memoriam sui renouare? En signa, imagines, memoriam.

3.  
Ambrosius.

Tertiò, citat locum ex Ambrosio, qui libro 3. de Spiritu sancto cap. 12. tractans illud Psal. 98. Adorate scabellum pedum eius, dicit: Scabellum earo Christi est, quam hodieque in mysterijs adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu adorârunt. Respondeo, Carnem Christi, qui inseparabiliter Deus & homo est, adorandam nemo negat. Hanc carnem autem adoramus, sicuti eam comedimus & accipimus: accipimus sicuti tangimus, verè quidem, sed spiritualiter. Christum verò non manu tangimus hodie: nec multum refert, cum præsertim Augustinus dicat, Mariam non ideo beatam, quod in utero conceperit & gestârît Iesu, nec ideo beandum Simeonem, quod in vlnas suscepit eum, sed quod crediderit & corde gestârît. Tangimus autem, inquit Ambrosius in Luc. libro 10. c. 22. non corporali tactu, sed fide tangimus. Maria quam quærebat in terra, tangere non potuit. Stephanus tetigit, quia quærebat in cœlo. Quisquis igitur, inquit, vult



vult contingere Dominum Salvatorem, prius illum debet fide sua ad dexteram diuinitatis imponere.

Deinde *Ambrosius* dicit, Adoramus carnem in mysterijs, sed non mysteria: in Sacramento, non Sacramentum: creatorem in creatura sanctificata, non creaturam: *Ambrosius* etiã de Sacram. lib. 4. cap. 3. agnoscit in hoc Sacramento creaturã: Vidisti, inquit, Sacramenta posita super altare, & ipsam quidem miratus es creaturam, tamen creatura solennis & nota: Quis verò existimet, *Ambrosium* nos creaturam adorare voluisse? Intelligit igitur *Lector* ex his omnibus, *Ambrosium* non dicere, nos mysteria, aut carnem Christi substantialiter presentem, & realiter comprehensam seu contentam in mysterijs adorare, sed Christi inquit carnem adoramus in mysterijs, nimirum in celebratione mysteriorum fidei oculos & corda sursum erigentes, vbi Christus sedet ad dexteram Patris. Sic enim Christum adoramus & in Dei verbo, & in Baptismi Sacramento, & vbiunq; vestigium & signum illius aliquod apparet: multò magis verò in mysterijs Cœnæ, in quibus viuam totius Christi in carne *ὁμοιωσιαν* imaginem expressam habemus. Hæc verò adoratio nullam corporalem præsentiam requirit. Scribit similiter *Hieronymus*, Paulam adorasse Christum in præsepio: se verò in sepulchro. Et *Chrysostomus* in homil. 14. in Marcum, Corpus Christi in Baptismo nos adorare dicit: Neq; tamen corpus Christi tum vel in præsepio, vel in sepulchro substantialiter & realiter præsens fuit, vel nunc in Baptismi Sacramento substantialiter præsens adest. Eodem modo *Ambrosij* quoq; verba intelligenda sunt, Nos carnem Christi in mysterijs adoramus; nimirum, dum celebramus mysteria, non autem mysteria ipsa, aut ipsam Christi carnem realiter in mysterijs presentem.

Quartò, citatur *Theodoretus* à *Bellarmino*: *Is Dial. 2. ita scribit*: Intelliguntur (mystica symbola) quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, quasi essent illa quæ creduntur. Respondeo, *Theodoretus* neq; in his, neq; in antecedentibus, neq; sequentibus vllã realem præsentiam corporis Christi in Eucharistia, multo minus transelementationem aliquam, seu mutationem & conuersionem substantiæ panis & vini in verum corpus & sanguinem Christi docet, sed potius contrarium. Et est hæc sententia hæretici, cum quo eo loco disputat *Theodoretus*, & hæretico ad stipulatur etiam *Bellarminus* & *Gretscherus* cum suo sodalicio. Hæretici enim verba hæc sunt: Quemadmodum symbola Dominici corporis & sanguinis alia sunt ante Sacerdotis pronuntiationem, post pronuntiationem verò mutantur, & alia fiunt: Ita Dominicum corpus post ascensionem in diuinam essentiam mutatum est. Negat autem *Theodoretus*, symbola Dominici corporis & sanguinis realiter alia fieri post consecrationem, quàm antea fuerint, sic inquit: Nequaquam post sanctificationem mystica symbola propriam amittunt naturam: manet enim in priore substantia, & figura, & specie, & cerni, & tangi possunt, sicut antea. Intelliguntur autem quæ facta sunt, & c. Argumentum *Theodoretii* tale est:

Oportet cybum similem esse veritati:

At mystica symbola corporis & sanguinis Christi post sanctificationem à propria sua essentia non recedunt. Ergo,

Nec corpus ipsum assumptum à Deitate à propria essentia recessit.

Vbi obiter noceat *Lector*, duo circa doctrinam Sacramentorum veteres orthodoxos Patres accuratè tenuisse & strenuè defendisse. Primum est, Sacramenta seu symbola in res coelestes non mutari, sed ratione essentia & proprietatum essentialium integra manere. Alterum: Sacramenta non nisi ratione finis & officij mutari, cuius respectu nominantur & sunt res ipsæ, quarum sacramenta sunt, cum eas ex ordinatione diuina sacramentaliter significent. Aduersatur igitur menti ac sententiæ *Theodoretii*, quod *Bellarminus* tomo secundo libro 2. cap. vigesimo sexto audacter dicit, apertissimè eum asserere hoc loco præsentiam corporis Domini in Eucharistia. Assuit etiam verbis *Theodoretii*, quod dicit, eum asserere,



DE ORIGINE FESTORVM

Panem consecratū **V** BRE id esse quod intelligitur. Cū ergo in symbolis panis et vini nullā realem præsentiā statuat Theodoretus corporis & sanguinis Christi, certē, vel leuitarum confessione, non ea adorari vult, alioquin ἀπολατρείας crimen effugere non posset.

At tamen ea **A**DORARI affirmat Theodoretus. Respondeo primò, dicit, θεοτελευτήται, non λατρεύεται. Secundò, in Sacramentis attendendum est, non quid sint, sed quid significant. Hoc sensu intelliguntur, & creduntur, & adorantur, nimirū, ut antitypa, ratione προτύπυ, ut signa ad rem signatam relata, χιτικὰς, & λατρευτικὰς. Honor igitur ille non residet in eis, sed ab ijs ad res quæ significantur, transfertur. In hunc modum Theodoretus suam ipsius mentem perspicuè explicat, cū mox superioribus hæc addit: Confer imaginem (Sacramentalis symbola) cum exemplari (corpore & sanguine Christi) & videbis similitudinem. Oportet enim figuram esse veritati similem. Hic aperte vocat Theodoretus Sacramentum imaginem, similitudinem & figuram. At nullus dicet opinor, similitudines, imagines & figuras diuino honore efficiendas. Adorare igitur Theodoretò nihil aliud est, quàm honorare, venerari, & reuerenter suscipere, quod vtiq; de Sacramentis libenter concedimus. His congruit quod Augustinus de doctrina Christ. lib. 3. c. 9. scribit: Qui adorat, inquit, vtile signum diuinitus institutum, cuius vim significationemq; intelligit, non hoc veneratur quod videtur, transit: sed illud potius, quo talia cuncta referenda sunt. His verbis Augustinus non absurdum putat, ut signum nos venerari, et non venerari dicamus. Hoc autem non tantum de Eucharistia, sed de Baptismi quoq; Sacramento eodem loco scribit.

5. **Greg. Nazianzenus.** Quintò, adducitur à Bellarmino Gregorius Nazianzenus, qui in Orat. de obitu Gorgoniae sororis suæ sic scribit: Ea ad altare cum fide procubuit, eumq; qui super illud colitur, magno cum clamore obtestata est. Hic fingit Iesuita, pyxidem positam fuisse super altari, in qua frustulum panis seruatum fuerit, & Gorgoniam illud adorasse. Sed fallitur & fallit Iesuita. Habuit illa quidē secum Eucharistiā: verum non in altari positā, sed vel in veste, vel in sudario, ut ex Nazianzeno perspicuè intelligitur, qui ibidē sic porro scribit: Si quid de symbolis venerandi corporis & sanguinis alicubi manus Gorgoniæ recondidisset, id lachrymis eam perfudisse. Si ad altare procubuit, & Eucharistia in vel super altari posita fuit, quomodo potuit eam lachrymis perfundere? Deinde nocturno tempore hæc à Gorgonia facta esse ibidem indicatur: at noctu non fuisse asseruatam, sed super altare positam Eucharistiam, non est credibile.

Quid autem id fuit, quod dicitur Gorgonia super altare inuocasse? Respondeo ipsis verbis Nazianzeni, quæ sic habent: τῷ ἑυσιασίῳ προσπίπτει μετὰ τῆς πίστεως, καὶ τὸν ἐπ' αὐτῷ τιμώμενον ἀναγκάζει. Hæc ita vertunt Pontificij atq; ipse etiam Bellarminus; Ante altare cum fide procubuit, ac illum, quem super altare venerabatur, inuocauit. Sed malè: sic enim sunt interpretanda: Ante altare cum fide procumbit, & illum, qui colitur in eo, inuocabat. Quare illud ἐπ' αὐτῷ apud Nazianzenum, non, Super altare, sed, In altari significat, ut hoc Christi veri altaris typus & exemplar veteribus fuisse intelligatur. Nam verum altare, de quo nos omnes spiritualiter comedimus, Christus est: De hoc veteres se per altare, tanquam externam figuram commonesaciebant, quam sic intuentes & considerantes, vtcunq; ad inuocationem excitabantur. Sic Gorgonia quoq; Christum ardentius inuocare volens, ad altare accedit, ut obiectum illud externum, propter symbolicam representationem, quæcunq; haberet in inuocatione adiumentum. Vnde etiam sacramentali phrasi ibidem dicit Nazianzenus, Gorgoniam, dum inter orandum attingeret altare, capite in illud reclinato, plurimumq; lachrymis profusis, pedes Christi lauasse: Quia nimirum nihil vtiatius est, quàm signo rei signata nomen tribuere, ut quod signo tantum proprie sit, ipsi rei factum esse dicatur. Deniq; Bellarminus ex hoc facto Gorgoniae, tanquam superstitiosa ac praua consuetudine veterum, iudicium de Catholica fidei doctrina fieri debere arbitratur.

6. **Chrysostronus** Sextò Chrysostronus citatur, qui homil. 61. ad populum Antioch. inquit: Si pura sunt vestimenta, adora & communica. Respondeo, hoc nihil ad rem facere: iubet enim Chrysostronus prius adorare, non Sacramentum, sed Christum in talis corpore suo vero existentem, & deinde



deinde communicare. Deinde quàm puri sint Papistæ, qui Sacramentum adorant, nolo hic discutere.

Homiliâ 24. ad 10. c. 1. Corinth. sic dicit: Hoc corpus cum Magis adorare debemus. Respondeo, loquitur de corpore iam in cælis existente; ut præcedentia & sequentia verba satis declarant, ubi docet, nos in cælum, tanquam aquilas contendere debere: Corpus enim hoc non iam in terra, sed ad dexteram Dei in cælis esse, apertissimè ibidem dicit. Deinde Magi isti, si hunc locum diligenter attendamus, non uti Deum adorauerunt, sed uti Regem: dicit enim Chrysostomus, Hoc corpus in præsepi reueriti sunt Magi, & c. cum timore & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur igitur saltem Barbaros, nos qui cælorum ciues sumus. His verbis opponuntur Christianis Barbari, & infideles cælorum ciuibus. Magos verò his titulis non exornasset, si verà fide Filium Dei adorassent. Idem igitur hic voluit Chrysostomus quod in simili casu Clemens Rom. lib. 2. Constitut. c. 61. Accipiant, inquit, singuli per se ordine Dominicum corpus, & pretiosum sanguinem gradatim cum pudore ac timore, tanquam ad Regis corpus accedentes: id est, ad personam aliquam auctoritate & veneratione conspicuam. Adhæc, quemadmodum Magi non præsepe simul, sed ipsum Christum tantum adorârunt, si maximè verà fide illum adorârunt: sic nos quoq; non ad Sacramentum, vel panem, sed ad Christum in Sacramentali actione præsentem, & corpore in cælis existentem, preces nostras conuertere debemus.

Alius item locus ex Chrysostomo citatur à Bellarmino, qui exstat homil. 3. ad Ephes. ubi dicit: Recolito, quia illius corpus & sanguis est, qui supra cælos residet, qui ab angelis suppliciter adoratur. Hinc colligit Iesuita, homines quoq; in Sacramento ipsum adorare debere. Sed mala & vitiosa consequenti est. Angeli in cælo verum Christi corpus adorant; ergo, vult Chrysostomus dicere, eousq; nos quoq; penetrare corde & mente debemus, ibiq; Christum inuocare. Probare igitur debuit Iesuita, Sacramentum adorandum esse, & corpus Christi non minus verè in Sacramento, quàm in cælo. Quum verò hoc non probare possit, nec in Cæna realiter sit corpus Christi, ibi non adorari debet, neq; enim angeli ibi adorant. Hunc esse sensum huius & similium locorum Chrysostomi, hinc intelligitur, quòd in Matthæum sic inter alia scribit: In istis vasis non est verum corpus Christi, sed mysterium corporis eius continetur.

Septimò, Augustinus profertur, qui in Psal. 98. sic scribit: Nemo illam carnem manducat, nisi prius adorauerit. Respondeo, carnem Christi veri Dei & hominis adorandam, nemo diffitetur. Carnem etiam hanc nemo manducat, nisi prius adorauerit verà fide, affectu & effectu vero. At verò adoramus hanc carnem, sicut eam comedimus & accipimus: accipimus, sicut & tangimus, verè quidem, sed spiritualiter: spiritualiter, nec propterea minus verè. Absit verò ut fidelis non aliter Christum tangere possit, quàm manu; non aliter manducare, quàm ore & dentibus: quum præsertim virginem Mariam non idè beatam dicat alibi Augustinus, quòd in vtero conceperit Iesum, nec idè beatandum Simeonem, quòd eundem in vlnas suscepit, sed quòd crediderit; quòd corde gestârît. Rectè ergo Augustinus dicit, Neminem hanc carnem manducare, nisi prius adorauerit; in spiritu videlicet & veritate; intrinsecus non extrinsecus; non gestu, sed fide. Hanc autem mentem ac sententiam Augustini esse, ipsèmet perspicuè docet, quando Psal. 98. hæc addit: Cùm adoras illum (Christum) ne cogitatione remaneas in carne, & à spiritu non viuificeris. Spiritus enim inquit viuificat, caro autem nihil prodest. Et ut omnem tergiversandi ansam præcidat, continuò addit: Tum autem quando hoc Dominus commendauit, de carne sua locutus erat, & dixerat; Nisi quis manducauerit carnem meam, non habebit in se vitã æternam; Scandalizati sunt quidã discipuli eius, & c. ille autè instruit eos, & ait illis: Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusi sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis cõmendauit, spiritualiter intellectum viuificabit vos. Et si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamè inuisibiliter intelligi. Ex his Augustini verbis intelligitur, tantum abesse, ut ab adoratione car-

7.  
Augustinus.



DE ORIGINE FESTORVM

nis, seu humanitatis Christi, ad adorandam sub speciebus carnem nos inuitet; ut contra, ab hac carne, ad spiritum renocet, ab illa cogitatione procul faciat, quae sub verborum Christi obitu, carnem sibi, quam Apostoli videbant, manducandam, sanguinem, quem milites fusuri erant, bibendam sibi proponebat

Ex eodem Augustino adducitur ab alijs locus, sed deprauatus, ex epist. 126. c. 27. ubi sic scribit: Ipsi quoque (diuites) adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & sanguine eius, sed adorant tantum, non etiam saturantur, quoniam non imitantur. Nempe, quia nomen Christi profiteri satis habuerunt, Christo sese conformare interim neglexerunt; quod in Psal. 21. his verbis explicat: Non sicut pauperes saturati sunt, usque ad imitationem, sed tamen adorauerunt: In priori loco addiderunt ILLVD: sic videlicet. Sed illud adorant tantum: quasi dixerit Augustinus, Corpus & sanguinem Christi adorauerunt; ubi simpliciter, Adorauerunt. Sic etiam Hardingus contra Luellum de Adoratione Sect. 23. quasi textum continuans, inquit ex Augustino; Adorauerunt ILLVD, hoc est per, adorationem agnouerunt Christum Dominum suum illie praesentem adesse.

8.  
Basilus.

Octauo, citatur locus ex libro Basilij de Spiritu S. c. 27. qui sic habet: Inuocationis verba, cum ostenditur panis Eucharistiae, & poculum benedictionis, quis Sanctorum inscripto nobis reliquit? Respondeo, primo, doctissimorum virorum iudicio stylum huius libri prodere supposititium eum esse. Secundo, non dicit Basilus; Verba inuocationis ad Eucharistiam, ut proponitur; sed, Verba inuocationis, simpliciter, cum ostenditur panis. Cuiusmodi autem sit haec Inuocatio, ex Liturgia, quae Basilio adscribitur, apparebit, quae inter alia sic habet: Te postulamus Sancte Sanctorum, beneplacita tua benignitate, venire Spiritum S. tuum super haec proposita dona, & benedicere ea, & sanctificare, & ostendere panem quidem istum, honorificum corpus Domini Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Quod autem est in calice isto, ipsum sanguinem Domini Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui effusus est pro mundi vita. Ex his iudicet Lector, hoc ne sit Sacramentum inuocare, an potius Deum, ut illud sanctificet? Deumne in speciebus inuocare, an Spiritus S. virtutem, in specierum sanctificationem, in rei signata exhibitionem, aduocare? praesertim, cum etiam post consecrationem, panem & vinum Corporis & sanguinis Christi ἀντίτυπα vocet?

9.  
Cyrillus.

Nono, Cyrillus Hierosolymitanus etiam citatur, qui monet fideles communicaturos, ut accedant ad calicem & sanguinem Domini prout adorationis in modum, & venerationis. Respondeo, Papistae contra fideles deterrent, ne ad calicem Domini sanguinis accedant. Praeterea quod ad rem ipsam attinet, non hortatur eos ut Sacramentum adorent, sed ut, quando adorationis in modum accedunt ad Sacramentum, Christum adorent. Non enim suadet dicendum, Ave sanctissima caro, & ave dulcissime potus, ut in quibusdam Missalibus exstat.

Desine ergo Iesuita calumniari ac dicere, mentiri me, Nulla vel testimonia, vel exempla exstare in verae antiquitatis historia, de adoranda & religiosè colenda, seu veneranda Eucharistia.

Fraus Bellarmini in citatione patrum.

Porro in his quae diximus duo adhuc obseruari debent. Primum est, in citatione Patrum pro Adoratione Sacramenti, triplicem fraudem committere Bellarminum. Primum, supposititias quadam scripta pro genuinis adfert. Deinde, quae Patres aliqui de vera & interna Christi, in Sacramento spiritualiter seu mysticè praesentis, adoratione scripserunt, iuxta morem & consuetudinem veterum, qui Sacramenti nomine signum simul & rem signatam, & hanc quidem praecipue denotarunt, ea praeter mentem illorum, Iesuita ad eundem, vel saltem similem prorsus Eucharistici panis cultum refert. Tertio, quae illi de externa tantum veneratione, hoc est, reuerentia in tractatione mysteriorum adhibenda, siue de honore quodam civili, symbolis exhibendo, scripserunt, ipse ad religiosam ac diuinam Sacramenti adorationem transfert: ut ex diligenti si-gulorum locorum inspectione quiuus animaduertere potest.

Alterum est, artolacras esse Papistas, & panis creaturam in Eucharistia eos adorare, con-

tra ver



tra verbum Dei & doctrinam Patrum. Cyrillus enim *Thesaur.* lib. 2. c. 1. Vna, inquit, natura Deitatis est, quam SOLVM MODO adorare oportet. Dominum, Scriptura ait, Deum tuum adorabis, & ipsi soli seruias. Item, Nemo ignorat, nulli prorsus naturam, præterquam Dei, adorationem à Scriptura contribui.

Sub finem de adoratione Sacramenti, quædam addit Iesuita de Circumgestatione et Ostentatione, seu, ut ipse vult, Ostensione Sacramenti. De priore sic nugatur: Si loquatur (*Hospinianus*) de tali circumgestatione, qualis in Corporis Christi festo adhibetur, fate-mur libenter, eam posterioribus demùm seculis institutam fuisse ab Urbano 4. Si autem loquatur de circumgestatione quasi priuata, honorifica tamen, & tanto mysterio conueniente, mentitur prædicans, quia semper ad ægros deportata fuit, & quidem reuerenter. Interdum etiam domum deportata est, sumenda, prout fe-rebat occasio. An putas tu veteres Christianos, tam fuisse à pietate auersos, ut Eu-charistiam non aliter domum ferrent, quàm vulgarem ex pistrino panem? Respon-deo, Monachum furiosi instar hinc cum umbra pugnare. De Corporis Christi festo agitur, deq; ceremonijs & ritibus qui hodie in eo vsurpantur. Hic concedit iste, quod libenter accipimus, & de quo est inter alia controuersia, Circumgestationem Sacramenti posterioribus demùm secu-lis ab Urbano 4. circa annos Christi 1264. institutam in hoc festo, ac proinde nuperam seu re-centem esse.

De priuata deportatione nihil dixi: sed saltem ex ordine historiarum & serie temporum demonstraui, quomodo post purioris antiquitatis tempora, sensim inclinatio facta & ad specta-cula Ethnica in hoc festo deuentum sit. Apud Eusebium, dixi, Romani Episcopi hospitibus sim-pliciter mittunt Eucharistiam. Idem indicat, Presbyterum quendam puero tradidisse Eucharistiam ad Serapionem deferendam. Exuperius Tolosanus in canistro vimineo & in vitro portat corpus & sanguinem Domini. Ex Tertulliano quoq; & Cypriano colligitur, mulierculis interdum datam Eucharistiam domum perferendam. De circumgestanda autem Eucharistia, ostentanda, adoranda, de præferendis luminaribus, crucibus, vexillis, sanctorum imaginibus, campanis & reliquis ceremonijs apud Papistas hodie vsitatis, nulla vel testimonia vel exempla extant in vera an-tiquitatis historijs. In his Monache vanissime ostende, me deportationem Eucharistia priua-tam negasse. Cur igitur mentiri me dicis, Os impudens?

Origo Ethnici  
spec aculi in  
corpori Chri-  
sti festo.

Addo tamen, morem illum & consuetudinem priuatam, de qua Gretscherus loquitur, de-portandi domum & asseruandi Eucharistiam, etiam in lure Pontificio, et quidem à Clemente 1. Papa improbari. Hæc enim eius sunt verba de Consec. dist. 2. c. Tribus gradibus. Tanta in al-tario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanse-rint in crastinum, non referentur, sed cum timore & tremore Clericorum dili-gentiâ CONSUMANTVR. &c. Non loquitur tantum Clemens, ut Costerus putat in *Enchirid.* pag. 332. de exiguis illis fragmentis & micis, quæ teste Nicephoro lib. 17. c. 23. inno-centibus pueris dari consueuerunt: sed inquit, si remanserint ea, non puerorum, sed Clericorum diligentiam consumantur. Hesychius Nazianzeni discipulus, explicans illud *Leuit.* 8. lib. 2. Quicquid reliquum fuerit de carne & panibus ignis absumet; indicat, sui seculi mo-rem fuisse, ut si quid omnibus communicatis reliquum esset, incenderetur & cremaretur. Addi-tamentum Costeri est, loqui ibi Hesychium de reliquijs illis, quæ vel tempore, vel alia ex cau-sa corruptæ essent. Sed fallit: Loquitur enim de illis, quæ reliquæ sunt iam omnibus comunicatis.

De posteriore verò Monachus, Quod attinet, inquit, ad ostentationem, ea semper apud fideles vsitata fuit: nam & in sumptione, & in confectione perpetuò ostendebatur, & adoranda proponebatur fidelibus Eucharistia. Ita quidem Iesuita, sed pror-sus sine omni auctoritate & exemplo. Itaq; quod probandum illi erat, id more sophistarum, pro vero & certo sumit. Negamus enim sic perpetuò ostentatam, & ad adorandum propositam fuisse Eucharistiam, ut hodie in Corporis Christi festo fit.

Negamus similiter, in ipsa quoq; confectione & sumptione, Sacramentum ostentatum, seu, ut vult iste, ostensum, multoq; minus supra caput, adorationis causa, eleuatum fuisse. Bellarminus qui



dem hoc probare conatur ex Dionys. lib. 3. de Hierach. ubi sic scribit: τὰς ἱεράς θειουργίας, ὁ ἱεράρχης ὑμνήσας, ἱερουργεῖ τὰ θεότατα, καὶ ὑπ' ὅψιν ἀγει τὰ ὑμνηθῆσα δὲ τῶν ἱερῶς πεποιημένων συμβόλων; Id est, Sancta diuina opera Pontifex postquam celebrauit, administrat diuinissima, & sub aspectum producit ea, quæ celebrauit, per sanctè propoſita symbola. Id est, beneficia Christi, quæ prius per vocalem prædicationem auribus Ecclesiæ percipienda annunciat, nunc etiam representat, & oculis quodammodo spectanda subiicit, per visibilia eorundem symbola, idem significantia, promittentia & confirmantia fidelibus, quod significant verba Evangelica promissionis. Eadem beneficia nomine Christi promittit credentibus per verbum & Sacramenta. Verba igitur Dionysij postulant, illa ὑπ' ὅψιν ἀγει, non ad symbola tantum, sed præcipuè ad significata referri debere. Non enim dicit, ὑπ' ὅψιν ἀγει δὲ τῶν συμβόλων. Quæ autem sunt illa ὑμνηθῆσα? Non certè alia quàm θειουργία Christi, de quibus dixit, τὰς ἱεράς θειουργίας ἱεράρχης ὑμνήσας. Per symbola igitur detecta, res significatas aperiri, & oculis subiici, intelligit.

Ne autem Bellarminus hanc interpretationem coactam & violentam esse dixerit, age concedamus verba Dionysij, ac præsertim illa, ὑπ' ὅψιν ἀγει, ad symbola tantum referri debere; sciendum, illo tempore consuetudinem fuisse, ut Sacramentum in vno pane integrum in mensa poneretur, mundo linteo opertum, donec populo distribueretur. De hac ceremoniâ Pachymeres Scholiastes Græcus in hunc locum sic scribit: ἀποκαλυπτομένου τῶν παναγίων δώρων μετὰ τὰς εὐχὰς, μύροντων δὲ κεκαλυμμένων ἕως καιρῆ μεταλήψεως: hoc est, Retectis post preces sacris donis, opertis tamen remanentibus vsq; ad tempus sumptionis. Ita quoq; Maximus in suis ad eundem locum Scholijs inquit: ὅτι κεκαλυμμένων ἔμμεν τὸ θεῖον δῶρον ἕως καιρῆ μεταλήψεως. Et insuper addit, Non solum sanctum panem opertum fuisse quum produceretur, sed sacrum etiam poculum. Hanc igitur veteris Ecclesiæ consuetudinem & ritum, si diligenter consideres, verba Dionysij clara & perspicua erunt. Commonstrare enim hoc modo & in conspectum proferre, nihil aliud tum erat, quàm linteo subducto aperire, & presentium oculis subiicere mysteria.

Si neq; hoc probârit Bellarminus, ipsum audiat Dionysium sui ipsius interpretem optimum. Sic enim postea scribit: In conspectum profert, quod laudauit, &c. Tum sequitur, τὸ δὲ ἐγκεκαλυμμένον καὶ ἀδιαίρετον ἄρτον ἀνακαλύψας, καὶ εἰς πολλὰ δειλῶν, &c. Nam opertum & indiuisum panem aperiens; & in multas partes diuidens, &c. Si neq; hæc sufficiunt, Dionysius verbis adhuc magis dilucidis sese explicat: τὰ μὲν ἐγκεκαλυμμένα δῶρα εἰς τὸ ἐμφανῆς ἀγει: id est: Dona, quæ tecta fuerunt, in apertum profert: pro quibus Pachymeres dicit, profert in conspectum. Nihil ergo prorsus Dionysius dicit de ostentatione Eucharistiæ, adorationis causa. Ideo autem subducto linteo Sacerdos panem protulit, à mensa paululum extulit & populo commonstrauit, ut consecratum panem, adeoq; paratam communionem indicaret, & ut populus ad percipiendum se compararet, atq; ad mensam accederet. Hanc ob causam sic à Chrysostomo scribitur: Sacerdos ostendit calicem populo, dicens: Cum timore Dei, & fide, & dilectione accedite. Eodem quoq; Basiliius respexit, quem etiam Bellarminus pro se citat, qui in lib. de Spiritu sancto sic scribit: Verba inuocationis quum ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum in seripto reliquit?

Quod verò eodem loco Bellarminus Chrysostomum etiam citat, qui homil. 61. ad populum Antiochenum: item hom. 36. in 1. Cor. & homil. 3. in epistolam ad Ephesios, mentionem facit illius ritus, qui apud Græcos erat, ut Eucharistia consecraretur ad mensam velis obductam, & deinde reductis velis populo ostenderetur: Respondeo, neq; hoc ad rem pertinere: diducebant enim vela, ut mysteria populo præparata cerni in mensa possent, & ostendebantur populo paruo à mensa sublata, ut ad communicationem se præpararet.

Concludit autem Monachus sua deliria his verbis: Quod insuper addit (Hospinianus) de crucibus, vexillis, luminaribus, campanis, & id genus alijs hodiè adhiberi solitis: mirum, ni à nobis flagitet, ut demonstremus, maiores nostros, sæuiente atrocissimâ



trocissimâ Neronis aut Diocletiani persecutione, per mediâ Romam supplicationem Corporis Christi instituisse, eo modo, quo hodiè instituit, & peragitur, scilicet tunc processionum publicarum tempus erat, quando vix in abditissimis angulis & reconditis terræ cryptis sacra sua securè peragere poterant. *Hic Iesuita ad ea respondet, quæ à me neq; dicta neq; scripta sunt, sed ipse fingit quasi dixerim aut scripserim, modo calamum virulentum pro libidine & animi impotentia stringere queat. Ecquid mirum fuisset Monacho, si maximè flagitasset à te, vt hoc demonstrares. Annon enim Decretales Epistola, primis Episcopis Rom. exstructiones templorum in ipsa vrbe Roma, tanquam sua, & tamen tyrannorum alumna, adscribunt? Annon Papæ dignitatem, potentiam, auctoritatem & Monarchiâ, quàm hodiè habet defendit? Annon ingentem ceremoniarû cumulum et multitudinem instituit? Si hæc vera sunt, vt vultis, anne igitur mirum fuisset vel absurdû flagitare, vt demonstratis, iisdem temporibus etiam in vrbe Romana Corporis Christi festum celebratum, in eoq; Sacramentum circumgestatum cum luminaribus, crucibus, campanis, sanctorum imaginibus, ostentatum item, & adoratum fuisse? si tanta, inquam, tum temporis potestas primorum Episcoporum Romæ fuit, vt Decretales Epistola perhibent?*

Ceterum ne te vrgeam primâ illâ antiquitate, progredere ab Imperatoribus Ethnicis ad tempora Constantini M. eiusq; Filiorum, Valentiniâni, Gratiani, Theodosij, Arcadij, Honorij, Martiani, Leonis, Zenonis: imò ad mediâ vsque antiquitatem & vltimus etiam, si placeat, & profer si poses, ex horum temporum Scriptoribus testimonium vel exemplum aliquod de Corporis Christi festo, deq; circumgestanda Eucharistia, ostentanda, adoranda, de præferendis luminaribus, crucibus, vexillis & reliquis ceremonijs apud vos hodiè in eo vsitatis, & viceris Iesuita.

SEPTIMO, mentiri me dicit, Nihil simile apud Gratianum reperiri. Nam, inquit, de Consecrat. dist. 2. exstant duo Canones de asseruanda Eucharistia, & ad ægros deferenda. Presbyter semper habeat Eucharistiâ paratam, inquit Canon, vt quando quis infirmatus fuerit, statim eum cõmunicet, ne sine cõmunionem moriatur. Item, Qui non benè custodierit sacrificium, & mus vel aliquod aliud animal illud comederit, quadraginta diebus pœniteat.

Respondeo, Ego loquor de alijs, Iesuita respondet de cepis. Nulla, dixi ego, in publica pompa de circumgestanda Eucharistia, ostentanda, adoranda, de præferendis luminaribus, crucibus, campanis, & reliquis ceremonijs apud Papistas vsitatis hodiè, vel testimonia, vel exempla exstant, in vera antiquitatis historijs. Apud Gratianum quoq; nihil tale reperitur. Testem habeo Georgium Cassandrum & ipsum Pontificium, qui in Consult. art. 22. hæc scribit: Consuetudo, quâ panis Eucharistiæ in publica pompa circumfertur, præter veterem morem ac mentem, haud longo tempore inducta ac recepta videtur. Illi enim tantâ veneratione habuerunt Sacramentum istud, vt non modò ad eius perceptionem, sed ne ad suspicionem admitterent, nisi fideles, quos tantî mysterij perceptione dignos existimârunt. Quare hic Circumgestionis vsus cum Ecclesiæ lucro omitti posset, tum quia recens est & diu sine ea suus Eucharistiæ honos constitit. *Hic Monachus, mentitur, inquit, nam de asseruanda Eucharistia & ad ægros deferenda duo Canones exstant apud Gratianum. De asseruanda autem Eucharistia & ad ægros deferenda ego ne verbum quidem dixi, neq; de eo hoc loco controuertitur.*

OCTAVO, mentiri me dicit, propter Innocentium 3. in Concilio Lateranensi anno 1215. dogma Transsubstantiationis stabilientem, parata esse tabernacula, thecas & ædiculas, quibus Sacramentum fuerit inclusum.

De Asseruatione Eucharistiæ

Respondeo, Iesuita verba mea non integra, sed truncata, & proinde non bonâ fide citat, ne causa suæ officiant. Verba mea hæc sunt: Innocentius 3. cùm in Lateranensi Concilio anno 1215. celebrato, Transsubstantiationis dogma approbâisset, & hominibus persuasisset, in Sacramento Cœnæ nihil superesse substantiæ vel panis vel vini, sed verum ibi contineri corpus & sanguinem Domini, tum PRIMVM cœpere IN TEM-



DE ORIGINE FESTORVM

PLIS parare tabernacula, thecas & ediculas, quibus incluserunt Sacramentum. Mandavit enim ut Eucharistia in omnibus ECCLESIIS sub SERAE & CLAVIS custodia conseruetur.

Quo argumento autem Monachus mendacium meum probare conatur? Canones, inquit, quos Gratianus profert, longè sunt antiquiores Concilio Lateranensi, quod & ipse Gratianus antecessit, &c. Non igitur primus fuit Innocentius, qui asseruationem Eucharistiae præcepit, &c. Status igitur sententia mea hic est: Ante Innocentium 3<sup>o</sup> Sacramentum non publicè in Templis & Ecclesijs, & quidem in proprijs sacellis, tabernaculis & ediculis, ut hodiè, asseruatum fuisse. Status autem sententia Groscheri est etiam ante Innocentium Eucharistiam asseruatam esse. Hoc ego non diffiteor: probandum autem Monacho fuerat, Ante Innocentij tempora semper & ubiq; in ipsis templis & quidem templorum sacellis & ediculis Eucharistiam asseruatam esse. Hoc est quod ego nego & pernego.

Illud etiam addo, Ante Innocentij tempora in plerisq; locis prorsus non reseruatum fuisse Eucharistiam. Hesy chius explicans illud Leuit 8. Quicquid reliquum fuerit de carne & panibus, ignis absumet, indicat; sui seculi (floruit autem circa annos Domini 400.) morem fuisse, ut si quid omnibus communicatis reliquum esset, incenderetur & cremaretur. Respondet Costerus, loqui Helychium de reliquijs illis, quæ vel tempore, vel alia ex causa corruptæ essent: Quod quia non probat, eadem facilitate reijcitur, quâ adducitur. Aliquibus etiam in locis legitur, reliquias vel à clericis, vel etiam à pueris, ludum literarium frequentantibus, comedi & consumi solitas fuisse. Constantinopoli consuetudo fuit, ut Clerici eodem die, quo epulum sacrum celebrabatur, reliquias consumerent, ut ex Nicephori lib. 17. c. 25. apparet. Huius ritus quoq; mentionem faciunt Euagrius lib. 4. c. 35. & Gregorius Turonensis lib. 1. de Gloria martyrum c. 10. Huc etiam facit, quod Clemens Rom. lib. 8. Constitut. c. 20. dicit, Diaconos postquam omnes communicantes sumpserunt Eucharistiam, portare reliquias in Pastophoria. Pastophoria autem, Hieronymo teste in Cap. 22. Isa. sunt ades præpositæ Ecclesiæ, eò reliquias à Diaconis delatæ fuerunt ut consumerentur, non ut asseruarentur.

Pastophorium  
quid.

Exstant quidem exempla nonnullorum, qui Eucharistiam domū secum deportarunt, eamq; in arculis et cistis suis asseruarunt, quorū Tertull. & Cyprianus meminerunt: Gorgonia quoq; de qua Nazianzenus, Satyri, de quo Ambrosius: &c. sed hæc sunt particularia, & paucorū hominum exempla, quibus nihil vniuersale probari potest. Et aperte hunc ritū reprehendit Origenes in explicatione c. 7. Leuit. Dominus, inquit, panem, quam discipulis dabat, dicebat eis, Accipite, manducate: non distulit, nec seruauit in crastinū. Et Cyprianus in Serm. de Cæna disertè ait: Recipitur, non includitur. Imò hæc consuetudo deportandi Eucharistiam domū, ibiq; asseruandi, in Toletana 1. ca. 14. & Casaraugustana Synodo ca. 3. prorsus abrogata est.

Quod ad Iustinum martyre attinet, dicit ille quidē, suo tempore sacris peractis in Ecclesijs, Eucharistiā dari consueuisse Diaconis ad absentes fratres deferendam, sed asseruatā non dicit: verū in eo ipso tempore, quo Cæna Domini in publico cætu celebrata sit, habitam fuisse: etiam rationē eorum qui grauib; de causis impediti fuissent, ne interessent celebrationi, & ad illos missam fuisse per Diaconos. Vna igitur & eadem fuit hæc actio, ac proinde nihil pertinet ad reseruatiōem Sacramenti. Sic Irenæus ad Victor. Papā Rom. ut refert Euseb. lib. 5. c. 20. non scribit, Eucharistiam ex Europa in Asiam, ad illarum Ecclesiarū ministros, delatam, sed inde Rom. venientibus missam fuisse, restificandæ concordie & pacis gratiā. Et quia eo tempore Roma & alijs in locis Eucharistia quotidie celebrabatur, ut ex veteri historia notum est, idem Irenæus quod Iustinus vult dicere, nempe, peractā communionē in cætu, missam inde fuisse Eucharistiā ad absentes, seu peregrinos, seu domesticos. Similiter Exuperius Tolosanus Episcopus peractā cōmunionē, Eucharistiam ad absentes, iuxta Iustini ritum, portauit. Sic explicandus est etiam Can. Niceni Concilij 13. vel iuxta alios codices 12. in quo precipitur, ut excommunicati penitentiā agentes recessuri ex hac vita necessario vitæ suæ viatico non fraudentur. Sensus enim est, ut à sacra mensa sacramentum in signum communionis per Diaconos, ut factum est Iustini temporibus, ad eos mitteretur.

Interim



Interim dissimulare nolo in Coroli M. legibus ab Ansegiso Senonensi Episcopo collectis, Canonem ex stare lib. 1. c. 161. quo iubentur presbyteri Eucharistiam semper habere paratam, vt si quis infirmus fuerit, statim communicetur, ne sine communione moriatur. Hunc Canonem citat etiam Gratianus dist. 2. c. 93. Huc etiam pertinet alter Canon, qui ab eodem ibidem c. 94. citatur ex Concilio Arelatensi, vt si quis presbyter non bene custodierit sacrificium, & mus vel aliud aliquod animal illud comederit, quadraginta diebus poeniteat. Ex his verò Canonibus probari non potest vbi à presbyteris Eucharistia seruata fuerit, in domibusne priuatis, an in Ecclesijs: multò minus inde probari potest, quòd in ædiculis, tabernaculis & sacellis templorum, vt hodiè, seruata sit. Exstat etiam Canon apud Burkardum Vuormatien. Episcopum ex Concilio Turonensi, in quo præcipitur, Vt omnis presbyter habeat pixidem, aut vas tanto sacramentò dignum, vbi corpus Dominicum diligenter recondatur ad viaticum recedentibus è seculo. Vbi autem pixidem illam, aut vas illud reponere & custodire debeant, non indicatur.

NONO, mentiri me dicit, Innocentij 3. decretum non fuisse statim ab omnibus Ecclesijs admissum aut receptum, quod Honorius 3. qui Innocentium proxime sequutus est, idem vt strictè seruetur mandauit. Quasi verò, inquit Monachus, idem non possit bis vel sæpius ab vno pluribusue præcipi. Respondeo, potest quidem: sed si decretum Innocentij seruatum fuit ab omnibus Ecclesijs, vt vult iste, quæ obsecro necessitas, aut quæ causa Honorium cogit, vt idem sex vel octo annis proximis post Innocentium repperet, & quidem ad eò districtè, seuerè ac diligenter? Districtè, inquit, præcipiendo mandamus, quatenus à Sacerdotibus Eucharistia in loco singulari, mundo & signato, honorificè collata, deuotè & fideliter collocetur. Si non fuit seruatum, vt omnes circumstantiæ, & ea quæ modò diximus, satis probant, cur mentiri me dicit Monachus?

Quòd addit, asseruationem Eucharistiæ (in ædiculis, tabernaculis aut sacellis templorum) de qua cōtrouertitur, rem esse magni ponderis, in qua nulla cautio possit esse nimia: Quæro si res est tanti momenti ac ponderis, quæ fiat, quòd neq. Christus, neque Apostoli, nec alius quisquam ad vsq. Innocentium & Honorium, quicquam de ea decreuerint aut mandauerint? Anne duo isti Papæ prudentiores & cautiores fuerunt, quàm vel Christus, vel Apostoli, vel tota illa veneranda & orthodoxa antiquitas? Responde Monache.

DECIMO, mentiri me dicit, Ex his mandatis tam districtis colligi, custodiendam illam Eucharistiæ (in ædiculis, vel tabernaculis, seu sacellis Monache) esse rem nouam & nuperam. Ad hoc verò paulò ante respondimus. Et si ante Tridentinum Conciliabulum asseruatio talis nunquam mandata esset, quis sanus negaret eam esse nuperam, nouam & recentem? Atqui ante Innocentium & Honorium non mandata fuit, vt modò indicauimus. His igitur tam seueris edictis necesse fuit vt Ecclesijs oberuderetur, quum nulla aut veterè consuetudine, aut honestà aliquà ratione maiorum auctoritate confirmatà, commendaretur.

Instat Iesuita, In Concilio Trident. Sess. 13. de Eucharistia ca. 6. dicitur, consuetudinem Eucharistiæ in sacrario asseruandæ, ad eò antiquam esse, vt eam seculum etiam Nicæni Concilij agnouerit. Audio quidem hac à Conciliabulo isto dici; sed aio in spe & falsò dici. At, inquit Monachus, hoc expressè colligitur ex Canone Nicæno vno decimo, vbi constitui iubetur procurator, & cum eò alij, qui inter cætera, habeant curam loci, in quo sancta Eucharistia seruatur. Respondeo, hunc Canonem neque in Græco exemplari, neq. apud Ruffinum lib. 1. cap. 6. ex stare, apud quem tamen veros & authenticos Canones Nicæni Concilij haberi; Cyrillus testatur in epistola ad Synodum Carthagenensem, quæ exstat tom. 1. Concil. in Actis Concilij Africani.

Quòd addis, Si vasa aurea & argentea, vestimenta itè & ornamenta Ecclesiæ seris munierunt, ne rapacibus vngulis prædæ forent, quis tam hebes est, qui ambigat, vtrum seris custodiendam duxerint Eucharistiam, rem omnium preciosissimam & sacratissimam. Imò, Monache, Si vel nihil prorsus exstat in antiquitate de

*si affuerit  
in aduentu  
quoniam ad con  
gulationem*



DE ORIGINE FESTORVM

asseruanda Eucharistia, vel saltem de asseruanda ea in tabernaculis & sacellis proprijs, vt hodie, nemo tam hebes est ac tu, qui tamen affirmare audes tam sic asseruatam fuisse. Adhuc, non sequitur, Vasa aurea & argentea, &c. seruata sunt: Ergo, Sacramentum etiam asseruandum est. Nam vasa & vestimenta illa non ad idololatriam, & culcum idololatricum, vt Sacramentum hodie, sed ad necessarios & à Deo institutos vsus, asseruata fuerunt.

VNDECIMO mentiri me dicit, Decretum Urbani de festo Corporis Christi non fuisse admissum ab omnibus Ecclesijs, quòd post annos 50. Clemens 5. Papa anno Christi 1311. in Viennensi Concilio constitutionē illam ab omnibus precipue seruandam coactus fuerit repetere ac innouare. Testem autem huius sententiae meae produxi Glossam in Clementinis, de Reliquijs & veneris. sanctorum, quae indicat, Clementem 5. in Concilio Viennensi innouasse constitutionē Urbani, quod non fuisset recepta ab omnibus. Non igitur ego, sed Glossa mentitur, si verum est quod mendax & vanissimus Iesuita loquitur.

Respondet autem, Si hoc dictum Glossae verum est, noueris id non ideò factum, quòd Catholici festum aut Constitutionem de festo improbarent: sed quia fortassis constitutio illa ad eorum manus & notitiam non peruenit. Vt ait primò, Iesuita, eodem iure quo tu aduersus me vteris. Nomina, sodes, vel vnā prouinciam, vel oppidum, aut Ecclesiam, ad quorum manus & notitiam Constitutio illa non peruenit. Vt vt in omnes partes te vertas, nullam, sat scio, vel prouinciam, aut Ecclesiam inuenies. Deinde, tuum FORTASSE nihil moramur: Non enim sequitur, stolido Monacho videtur, FORTASSIS constitutionem Urbani non ad omnium notitiam peruenisse, ergo non peruenit. Potius credendum Glossae, cuius auctor propius accessit ad tempora Clementis quàm Gretscherus, ideoq; etiam illi melius nota fuerunt quàm Iesuitis, qui nuper ab inferis emerferunt. Adhuc quod tam districtè praecipitur, observatio festi huius à Clemente, satis magno indicio est, id non ab omnibus receptum, vel saltem negligenter, vt non admodum necessarium, obseruatum esse. Neq; enim edictis & mandatis tam districtis opus habemus in his quae ab omnibus strictè obseruantur. Adhuc quae Pontifices Rom. ab vniuersa Ecclesia districtè obseruari volunt, ad omnes omnium regnorum & prouinciarum in orbe Christiano diriguntur, & propterea ad omnium ac singulorum manus & notitiam perueniunt. Vt autem omnibus nota fiat impudentia Iesuitae, negantis, Decretum Urbani de hoc festo, non fuisse admissum ab omnibus Ecclesijs, id paulò post luculento ac euidenti testimonio Distemij probabo.

Deniq; Graecae Ecclesiae hoc festum, eiusq; pompam & ritus nunquam approbârunt & receperunt. Testatur hoc etiam Meletius Patriarcha Alexandrinus in suo ad Cyriaci Lucij Quaestiones responso, vt ipsemet Gretscherus fatetur: Is mos, inquit, de quo verba facis, vt semel quotannis publicè efferatur Sacramentum, non ad communionē, sed ad venerationem & adorationem, penes nostros homines non obtinuit, ne in ijs etiam, quae laudanda sunt, nostro potius, quàm Saluatoris instituto incedamus.

DVODECIMO me mentiri dicit Monachus, in decreto Urbani circumgestationis & ostentationis nullam mentionem fieri, nec vllum verbum ibi exstare de pane consecrato per octiduum in Monstrantia includendo, circumgestando & ostentando: neque ibi fieri vllam mentionem spectaculi alicuius theatri, pompae & externae adorationis circumgestati & adorati panis. Vt autem mendacij me conuincat, verba Bullae Urbani citat Iesuita. Audiamus verba Bullae inquit: Licet igitur hoc memoriale Sacramentum in quotidianis Missarum solennijs frequentetur: conueniens tamen arbitramur, & dignum, vt de ipso semel saltem in anno ad confundendam specialiter haeticorum perfidiam, & insaniam, memoria solennior, & celebrior habeatur, &c. Et infra. Potissimè igitur exequendum est erga hoc viuificum Sacramentum corporis, & sanguinis IESU Christi, qui est Sanctorum omnium gloria, & corona, vt festiuitate praefulgeat speciali, &c. Rursus, Nos itaque ad corroborationem, &

Urbanus non  
instituit pro-  
cessionem, cir-  
cumgestationē  
& ostentatio-  
nem Sacramen-  
ti.



& exaltationem catholicæ fidei, dignè, ac rationabiliter diximus statuendum, ut de tanto Sacramento, præter quotidianam memoriam, quam de ipso facit Ecclesia, solennior, & specialior annuatim memoria celebretur: certum ad hoc designantes, & describentes diem, videlicet feriam quintam proximam post octauam Pentecostes: ut in ipsa quinta feria deuotæ turbæ fidelium propter hoc ad Ecclesias affectuosè concurrant, & tam clerici, quàm populi gaudentes in cantica laudum surgant. Tum enim omnium corda, & vota, ora & labia, hymnos persoluant lætitiæ singularis: tunc psallat fides, spes tripudiet, exultet charitas, deuotio plaudat, iubilat chorus, puritas iocundetur; tunc singuli alacri animo, pronæque voluntate conueniant, sua studia laudabiliter exequendo tanti festi solennia celebrantes, &c.

*Hæc sunt illa quibus mentiri me probare vult. Vbi verò, Lector, in his omnibus processio- nis, circumgestationis & ostentationis vel aliqua saltem mencio fit? Monstret Iesuita in his vel verbulum vnicum de pane consecrato per octiduum in Monstrantia includendo, circumgestando & ostentando. Vel quibus tandem verbis clarè fit mencio processio- nis, & in ea spectaculi alicuius theatri, pompa & externæ alicuius adorationis, circumgestati & adorati panis?*

*Interrogat verò Iesuita, Quæ nam sit hæc Sacramenti solennior & celebrior memoria, & ad hæreticorum perfidiam & insaniam specialiter confundendam ratio apposita, si non est solennis illa, quæ instituitur, processio, & publica Sacramenti adoratio & circumgestatio? Quid est, quod Pontifex cupit, ut Sacramentum hoc festiuitate ac celebritate præfulgeat speciali? Quæ hæc festiuitas & celebritas specialis, nisi publica processio, adoratio, circumgestatio, & per integram octauam sacrosancti Sacramenti ostensio? Quando magis tam clerus quàm populus gaudentes in cantica laudum surgunt, omniumque corda & vota, ora & labia hymnos lætitiæ salutaris persoluant, quàm in illa processione, & publica circumgestatione? Vbi magis psallit fides, spes tripudiat, charitas exultat, deuotio plaudit, chorus iubilat, & puritas iocundatur, quàm in publica illa supplicatione, & tanti mysterij circumgestatione?*

*Respondet, hæc sunt Monachi glossæ & deliramenta ad rem nihil prorsus facientia. Demonstrare debuit Iesuita, in Urbani decreto processio- nis, circumgestationis & ostentationis Sacramenti mencionem fieri, in eoque exstare verbum aliquod expressum de pane consecrato per octiduum in Monstrantia includendo, circumgestando & ostentando, fierique mencionem aliquam processio- nis, spectaculi theatri, pompa & externæ adorationis circumgestati & adorati Sacramenti: quod non facit, neque etiam facere potest, nihil enim in tota Bulla simile quid legitur. Ergo non Hospinianus, sed Iesuita mentitur. Imò præcipit Urbanus in Bulla, ut quod in alijs Missarum Officijs circa solennitatem est forsan prætermis- sum, deuotâ diligentiam in hoc festo suppleatur, & fideles, festiuitate instante, intra se præterita memorantes, id quod in ipsis Missarum solennijs secularibus forsan agendis impliciti, aut alia ex negligentia, vel fragilitate humana minus plenè gesserunt, tunc attentè & in humilitate spiritus & animi puritate restaurent. At in reliquis Missarum officijs & solennijs nulla facta sunt processiones, circumgestationes, ostentationes: ergo in hoc festo restaurari non debuerunt. Sed pergit Urbanus in Bulla: imò ut turbæ fidelium in quinta feria post octauam Pentecostes AD ECCLESIAS, non ad Processiones, concurrant, & ibi tam clerici quàm populi gaudentes in cantica laudum surgant, &c. non per vias et compita Sacramentum in processione circumgestent atque ostentent, & theatricum spectaculum, quale hodiè cernitur, instituant, quod vtiq; fecisset, si pompam illam, quæ hodiè usurpatur in hoc festo, ipse instituisset. Rursus præcipit, ut Prælati subditos suos in Dominica feriam quintam proximè præcedente exhortentur, ut per confessionem, eleemosynas, orationes & alia pietatis opera, taliter*



DE ORIGINE FESTORVM

se studeant præparare, quòd huius pretiosissimi Sacramenti mereantur fieri participes illà die, possintq; ipsum suscipere reuerenter, ac eius virtute augmentum consequi gratiarum. Ergo festum hoc ab Urbano propter sumptionem & perceptionem Sacramenti, non propter circumgestionem & ostentationem in processionibus, institutum est, quæ Iesuita summo silentio præterit, ac piscibus magis mutus est. Item in Bulla reuocata fidelibus de iniunctis sibi pœnitentijs, qui prima, tertia, nona, sexta ac completorij Officijs interfuerint, pro qualibet horarum ipsarum quadraginta dies. Indulgentias ergo pollicetur illis qui Officijs huius festi, non processionibus intersunt, quod procul dubio fecisset si processiones & circumgestationes ipse instituisset. Adde his, si fidelis oportuit interesse prima, tertia, nona, sexta, & Completorij Officijs, certè non potuerunt interesse Processionibus, quæ sæpè ultra medium diem protrahuntur. Denique, Thomas Aquinas Officium Pontificis iussu, vt diximus, de hoc festo ordinauit, lectiones, quæ diebus aliquot per octauam in matutino leguntur, conscripsit, & in hisce omnibus ne minima quidem Supplicationis, Processionis, & Sacramenti circumgestationis fit mentio.

Vt autem plenè satisfaciam Iesuitæ, adscribam verba ex Distemij libello anno 1603 Duaci à Iesuitis in lucem edito, anno verò 1496. conscripto, quæ clarè docent, Urbanum processionem in hoc festo, itemq; circumgestionem & ostentationem panis non instituisse, adeoq; nullam eius in Bulla Urbani mentionem fieri; neq; etiam hoc decretum huius Papæ ab omnibus Ecclesijs admissum receptumq; fuisse. Sic autem habent Artic. 9. Quanquam Apostolica mandata omnibus Ecclesijs directa fuissent super celebranda noua de Venerabili Sacramento solennitate, omnes tamen Ecclesiæ obedire dissimulauerunt præter Ecclesiam Leodiensem, quæ vbi Apostolicum Nuncium cum Bullis, decretalibus ac officio apportatis honorificè suscepit, tanquam deuota filia mox quàm celerrimè obediuit, reiecto officio quod virgo Iuliana confici fecerat, vtens illo officio, quod B. Thomas Aquinas confecerat. Itaq; ab Aduentu præfatarum Bullarum tota & sola Leodiensis diocesis præfatum solennitatem singulis celebrauit annis usq; ad tempora Domini Ioannis Papæ 22. qui floruit anno Domini 1315. qui omnes Constitutiones Clementis publicauit, & ad vniuersalia studia transmisit. Et vltra illas ordinationes Urbani & Clementinis Constitutionibus insertas, nouas indulgentias concessit, atq; processionem ordinauit. Extunc igitur & deinceps solennitas hæc per totius orbis Ecclesias deuotissimè acceptata est ad honorem Patris, & Filij, & Spiritus sancti Amen.

Ex his intelligis Iesuita, si modò non omnè prorsus intellectu destitutus es, Omnibus Ecclesijs Urbani decretum directum fuisse de celebratione huius nouæ solennitatis, omnes autem Ecclesias ei obedire recusasse, præter Leodiensem Ecclesiam, quæ SOLA, vnà cum tota diocesi hanc solennitatem singulis annis celebrârit, vsq; ad tempora Ioannis 22. Papæ, qui processionem demùm ordinârit & nouas indulgentias concesserit: & ab hoc demùm tempore, hoc est, ab anno 1315. solennitatem hanc cum processione ab omnibus Ecclesijs celebratam esse.

Genebrardus etiam eum festi huius institutionem in Chronico suo descripsisset, pergit sic: Centum annis post, Papiæ cœpit lustratio Sacramenti, quâ corpus Christi in ferculum fertur. Chronica Bossij. Atq; hinc ad reliquas Occidentis partes manauit, præsertim Andegauum, vbi Berengarius fuerat Archidiaconus, & sacramentariam impietatem sparserat, vt corporis Christi præsentia preces sint ardentiores, fidei publica fiat professio contra Sacramentarios, debitus cultus Christo exhibetur, qui nobiscum corporaliter versari dignetur.

His omnibus hoc etiam addo, Theodoricum à Nyem, qui pluribus Pontificibus à secretis fuit, authorem esse, Benedictum 13. anno circiter 1408. cum multorum Principum odia in se comitasset, vt vita sua incolumitati consulere, hostiam primam ante se gestari iussisse.

Palmarium autè ait Iesuita mendacium esse, quòd disam, Nihil in diplomate Urbani continet

Urbanus adorationem Sacramenti non præcepit.

continet



contineri de adoratione Eucharistiæ, cum ipse Pontifex sic in Bulla exclamet: O excellentissimum Sacramentum, o adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, &c. Respondeo, talem adorationem intelligo, quæ soli debetur Deo, quæq; hodiè exhibetur in hoc festo panis, tanquam ipsi Christo vero Deo & homini. De hac adoratione non loquitur hic Urbanus: Verbum enim ADORANDVM mox explicans, subiungit, venerandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificentum laudibus, DIGNIS præconijs exaltandum, cunctis honorandum studijs, deuotis prosequendum obsequijs & sinceris mentibus retinendum, &c. Adorandi igitur vocabulum synonymum est sequentium. Adorare enim non semper significat diuino & religioso cultu aliquem prosequi, sed multoties etiam, ut omnes norunt significat, externam reuerentiam & venerationem alicui rei exhibere corporeis gestibus & sermone. Vt cum flectuntur genua, incuruatur corpus, aperitur caput, tolluntur manus, &c. Et est hoc commune tam Deo quam hominibus, quos suscipimus & ob præstantiam vel sanctitatem aliquam veneramus. Sic Abraham adorauit filios Hæb, vendentes sibi agrum pro sepultura hæreditaria: Sic Abigail & Bersaba Dauidem: Magi & complures alij Christum, quem nondum agnoscebant esse Deum. Sic Tertullianus contra Hermogenem inquit: Scripturæ plenitudinem Adoramus, quæ nobis & factorem manifestat & facta. At nemo, opinor, hinc colliget, fideles Tertulliani ætatis sic aduasse S. Scripturam, ut Iesuita vult Sacramentum adorandum esse.

Manet igitur firmum & immotum, contra quam Iesuita sentit, quod diximus, ne primis quidem auctoribus nota fuisse, quæ hodiè in hoc festo peraguntur; qualia sunt inclusio, circumgestatio, ostentatio, spectatio & adoratio panis vel Sacramenti.

DECIMOTERTIO mentiri me dicit, appellationem huius festi, dum dicimus, Festum corporis Christi, mutilatum esse hodiè: Urbanum namq; & Clementem vocare festum corporis & sanguinis Christi. Hæc mea sunt verba, eaq; intelligenti clara & perspicua. Quid Iesuita? Legatur, inquit, Clementis constitutio, & quæ ei inserta Urbani, deq; huius & aliorum Prædicantium fronte iudicium lector faciat: nusquam hæc appellatio comparet, sed ista, Sacramentum corporis & sanguinis Christi. Imò iudicium Lector hic faciat de Monachi, ne dicam pecudis stupore & inscitia. Dixi Festi huius mutilatam esse hodiè appellationem, eò quòd tantum Corporis Christi festum appellatur, quum in Urbani & Clementis Bullis, Festum corporis & sanguinis Christi nominetur. Quid clarius, quid apertius dici possit? Quid verò Monachus? Legatur, inquit, Clementis institutio & quæ ei inserta, Urbani, nusquam hæc appellatio comparet: sed illa, Sacramentum corporis & sanguinis Christi. At ego hoc affirmavi: Sacramentum enim vel festum appellatur nihil hoc loco interest: negavi autè in istis Bullis Festum, vel Sacramentum corporis Christi tantum appellari; sed etiam sanguinis. Proinde mente captus fuit Monachus quum hæc scripsit. At inquit, Appellatio hæc in solam quoq; panis speciem competit: verè enim corporis & sanguinis Christi sacramentum est, cum corpus viuum Christi viui contineat, quod vtiq; non est absq; sanguine. Respondeo, pro certo sumit Monachus, quod est incertissimum, adeoq; falsum falso probat. Deinde, siue vera sit hæc Iesuitæ sententia, siue falsa, tamen hoc festum vel Sacramentum non solius corporis, ut hodiè fit, sed sanguinis quoq; nomine ab Urbano & Clemente appellatum fuit, ac proinde verum est quod dixi.

Appellatio huius festi mutilata.

DECIMO QUARTO mentiri me putat, omnia quæ in hoc festo peraguntur, primum introducta esse, circa tempora Constantiensis Concilij ac proinde omnia esse recentia, nupera & nouitia. Ad hoc nihil aliud respondet, quam, licet hoc ita esset, quamuis toto cælo à veritate abeat, qui tum postea? Noua essent praxi & vsu: vetera, potestate ac valore, &c. Ita quidem Monachus, sed nihil probat: Da probandi, Græcæ scilicet. Quis hominum vnquam potestatem ac valorem habuit introducendi in Ecclesiam idololatricos cultus ac superstitiones?

Omnia quæ in festo corporis Christi sunt recentia sua.

Addis: Quod sacris literis & Ecclesiasticæ traditioni non aduersatur, id quouis tempore institui, & in vsum induci potest. Hic Monache, subsumere debuisses: At fe-



DE ORIGINE FESTORVM

stum hoc, & quæ in eo peraguntur, sacris literis & vera antiquitati aduersantur, ut postea probabitur. Ergo nullo tempore in usu, & in usum induci debuerunt.

*Pergis*, Licet hæc circa tempora Concilij Constantiensis excogitata fuissent, nonne vnâ, & quod excurrit, annorum centuriâ fidem vestram Zuinglianam & Calvinianam antiquitate superarent? *Respondeo*, hæc quidem & similia multa mendacia à Papistis spargi, sed falsissimè, Dei gratia. Nostra enim fides & doctrina fundata in scriptis Prophetarum & Apostolorum, quod satis superq; à nostris ante hæc probatum est. Probatu, si potes, cum toto tuo sodalicio contrarium.

Festum hoc cõfirmat mutilationem Eucharistia.

DECIMO QVINTO mentiri me dicit, Celebrationem huius festi, qualis est in Papatu hodiè, proponere, confirmare & stabilire mutilationem Eucharistia, cum altera tantum species, contra institutionem Christi proponatur. *Negat hoc Monachus*, & dicit, nullam hic mutilationem esse: nam vnâ speciem integrum Sacramentum esse. *Respondeo*, hæc quidem nudè & simpliciter à Monacho dici, sed non probari: & rursus id pro argumento sumit, de quo est controuersia. *Negamus enim vnâ speciem integrum adeoq; perfectum Sacramentum esse.* *Negat hoc etiam nobiscum prima Institutio Christi, quæ docet, Dominum non vnâ tantum speciem, sed duas instituisse Ecclesie sue:* expressè enim dixit, accepto pane & poculo: Accipite, edite: accipite, bibite ex hoc omnes: quod utiq; non fecisset, si integritas & perfectio Sacramenti in vnâ tantum specie consisteret: nihil enim superfluum instituit. Ac mirum Gretschorum cum suo sodalicio potuisse intelligere, vnâ tantum speciem integrum & perfectum Sacramentum esse, adeoq; sufficere; Christum autem non potuisse, qui vtramq; speciem instituit. Aut si intellexit, cur suam ipse institutionem non rescidit, ne superfluum aut superuacaneum aliquid, ne dicam inutile, Ecclesie relinqueret, ab hominibus tandem, ipso longè prudentioribus, post multa secula corrigendum. *Negat idem traditio Apostolica.* Docuit enim & tradidit Paulus, omnibus vtramq; speciem sumendam esse. Et quidem multis verbis significauit, sanguinem Christi seorsim & peculiariter ex calice omnes debere bibere. Non iudicauit ergo Apostolus, vnâ speciem tantum integrum & perfectum Sacramentum esse. *Negat hoc quoq; Ambrosius, qui in 2. Corinth. sic scribit de integritate huius Sacramenti:* Valet ad tuitionem corporis & animæ, quod percipimus: quia caro Christi pro salute corporis, sanguis verò pro anima nostra offertur. Sed tamen sub vtraq; specie sumitur, quod ad vtrumq; valet, quia sub vTRAQVE sumitur ipse totus Christus. Sed si in altera tantum sumeretur, ad alterius tantum, id est, animæ vel corporis, non veriusq; pariter tuitionem valere significaretur. Ex quibus liquido apparet, Ambrosium vnâ tantum speciem non pro integro et perfecto Sacramento habuisse.

Scholastici Doctores.

Scholastici etiam Doctores contrarium docuerunt: nempe communionem sub vtraq; specie perfectiorem, completiorem & maioris efficacia esse, quàm sub vnâ tantum. Nam Alexander Alensis quæst. 32. membro 1. cap. 2. inquit: Sumpto hoc Sacramento dignè in vtraq; specie, maior est effectus vnus corporis mystici cum capite, quam sumpta sub altera. Idem quæst. 53. Licet, inquit, illa sumptio, quæ est in accipiendo sub vnâ specie, sufficiat: illa tamen quæ sub duabus, est maioris meriti, tum ratione augmentationis, tum ratione fidei, dilatationis actualis, tum ratione sumptionis completioris. *Rursus:* Sumptio sub vtraq; specie, quem modum sumendi tradidit Dominus, est maioris efficacia & complementi. Quæst. 31. dicit, eum qui accipiat Sacramentum sub specie panis, non accipere perfectè Sacramentum, quantum ad sacramentalem sumptionem. Albertus Magnus in 4. Sentent. dist. 8. artic. 13. ait, duplicem esse in hoc Sacramento perfectionem: Christi ipsius, & Sacramenti, secundum quod veniat in usum fidelium. Priore modo dicit verum esse, Christum esse perfectum sub vtraq; specie: Secundo modo videri sibi falsum: quia non perfectè signetur & causeur vsus fidelium, & vnitas corporis mystici, nisi duplici signo: & ideo virtute Sacramenti, oportere vtrumq; habere. Thom. 3. Summa, quæst. 66. art. 2. docet, Quamuis totus Christus sit sub vtraq; specie, non tamen frustra vtramq; sumi. Nam primo, ait, hoc

Nota:

hoc



hoc valet ad representandam passionem Christi, in qua seorsim fuit sanguis à corpore separatus. Secundo, hoc est, conueniens vsui huius Sacramenti, vt seorsim exhibeatur fidelibus corpus Christi in cibum, & sanguis in potum. *Idem contra Gentiles lib. 4. cap. 61.* Quia, inquit, complementum nostræ salutis factum est per passionem Christi & mortem, per quam eius sanguis à carne separatus est, separatim nobis traditur Sacramentum corporis eius sub pane, & sanguis eius sub specie vini, vt sic in hoc Sacramento passionis Dominicæ memoria & representatio habeatur, & secundum hoc impleatur, quod Dominus dixit: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. *Nec potest obijci, hæc omnia de sacrificulorum sumptione dici, nam expressè loquitur Thomas de exhibitione quæ fit fidelibus. Petrus de Palude dist. 11. artic. 1. dicit,* duplicem debere esse materiam huius Sacramenti, nempe cibi & potus materiam, & effectum Sacramenti debere perfectè representari per materiam: Sacramenta enim efficere quod figurent, Huius autè Sacramenti effectum, esse perfectam animi refectionem, ergo materiam representantem, debere esse perfectam corporis refectionem, quæ non sit nisi per cibum & potum. *In hanc etiam sententiam Bonaventura dist. 8. quæst. 2. docet,* in hoc Sacramento ex duobus signis vnum & perfectum resultare Sacramentum, cuius integritatis ratio dispositiuè veniat à natura, quia nec panis sit per se plenè reficiens, nec vinum, sed vtrumq; sit vna plena perfectio: completiuè verò veniat ab institutione diuinâ, quæ institutio hæc duo signa ordinari, ad significandum vnâ perfectam refectionem.

*Georgius etiam Cassander & ipse Pontificius in Consultatione ad Ferdinandum & Maximilianum Impp. sic scribit:* De administratione sacrosancti sacramenti Eucharistiæ satis compertum est, vniuersalem Christi Ecclesiam in hunc vsq; diem; Occidentalem verò seu Romanam mille amplius à CHRISTO annis in solenni præsertim & ordinaria huius sacramenti dispensatione vtramq; panis & vini speciem omnibus Ecclesiæ Christi membris exhibuisse, id quod ex innumeris veterum scriptorū tam Græcorum quàm Latinorū testimonijs manifestū est, atq; vt ita facerent inductos fuisse primū instituto exemploq; Christi, qui hoc sacramentum corporis & sanguinis sui, duobus hisce, panis & vini symbolis, discipulis suis, fidelium cōmunicantium personam representantibus, præbuit, tum quia in sacramento sanguis peculiarē quandā virtutem & gratiam hoc vini symbolo significatū esse credebant, tum ob rationes mysticas huius instituti, quæ à veteribus variè adducuntur, vide licet ad representandā memoriā passionis CHRISTI in oblatione corporis, & effusione sanguinis iuxta illud Pauli: Quotiescunq; comederetis panē hunc, & calicē domini biberitis, mortē domini annunciate, donec veniat. Item, ad significandam integram refectionem siue nutritionē, quæ cibo & potu constat, quomodo CHRISTVS inquit: Caro mea verus est cibus, & sanguis meus verè est potus, &c. Item, ad designandam redemptionem & tuitionem corporis & animæ, vt corpus pro salute corporis, & sanguis pro salute animæ, quæ in sanguine est, dari intelligatur, ad significandū quoq; CHRISTVM vtramq; naturam assumpsisse, corporis videlicet & animæ, vt vtramq; redimeret. Quare hæc consuetudo in Ecclesia quoque, Latina, mille amplius annis tenuit, vt tam populo quam clero, in celebratione Missarum, post mysteriorum consecrationem, seorsum corpus & seorsum sanguis Domini præberetur, atq; ad effusionis periculum euitandum, in plerisq; locis calicibus (qui ministeriales vocabantur) argenteæ fistulæ inserabantur, postea tamen huius periculi metus efficit, vt intinctus in sanguinē Domini panis dominicus, vulgò exhiberetur, qui mos hucusq; per Græciā & Armeniam obtinet. Postea ad omissionē alterius speciei in aliquibus locis ventū est, sic tamen, vt in vtraq; specie cōmunio non prorsus abolita sit, sed in quibusdā locis, præsertim in Monasterijs sit retēta, idq; vsq; ad annū amplius 1300. donec hæc cōsuetudo in altera specie com



municandi populi totam Ecclesiam Latinam penè inuasit. Quæ consuetudo, cum eam nonnulli, vt sacrilegam & nefariam condemnarent, à Concilio Constantiensi & Basiliensi probata & sancita fuit, ita tamen vt Bohemis, certis intercedentibus conditionibus & pactis vtriusq; speciei vsus concessus fuerit. Neq; tamen hæc sanctione communionem vtriusq; speciei à populo totam sublatam, sed ob certas & graues causas ad tempus intermissam, & suspensam voluerunt, sic vt alijs causis urgentibus eam restituere, & in vsum reuocare Ecclesiæ liberum sit. Quare non temerè est, quod optimi quicq; etiam Catholicæ professionis, in diuinorum & Ecclesiasticorum scriptorum lectione versati, & his, quas supra diximus, rationibus incitati, summo desiderio potiundi Dominici calicis incenduntur omnibusq; modis contendunt, vt hoc salutare Sacramentum sanguinis CHRISTI, vnà cum sacramento corporis iuxta veterem & multis seculis perpetuatam vniuersalis Ecclesiæ consuetudinem in vsum reducat, vel certè libertas, quæ ducentis abhinc annis adhuc valuit, in vnâ vel vtrâq; specie communicandi restituatur. Iohannes Segobius quoq; Theologus Hispanus pro vtrâq; specie in cœna administranda acerrimè dimicauit circa annos Domini 1450. & Nicolaus Opton Ecclesiæ Sarisburiensis in Anglia Canonicus circa annos Christi 1440. scripsit librum pro vtrâq; sacramenti specie.

*Ex his omnibus intelligit Lector, nam Gretscherus sic esse induratus, vt intelligere non possit, vnâ speciem integrum & perfectum Sacramentum non esse, ideoq; festum hoc, in quo vnâ tantum speciem circumgestatur sollemniter, ostentatur, & adoratur, Sacramenti Eucharistiæ, eius videlicet, quæ esse à Christo instituta, ab Apostolis tradita & ab Apostolicis viris diuissime usurpata & celebrata, mutilationem confirmare & stabilire.*

Festo hoc Eucharistia in aliū vsum transferret.

DECIMOSEXTO, mentitur, inquit, prædicans celebrationem huius festi transferre Sacramentum Eucharistiæ ex vsu diuinitus instituto in aliam actionem, & diuersum longè vsum, qui non habeat testimonium verbi Dei: non enim distribui, non accipi, non manducari, sed circumgestari, ostentari & adorari. Nam, inquit Iesuitaster, illo ipso corporis Christi festo, Sacramentum Eucharistiæ fidelibus, qui communicare cupiunt, distribuitur, & ab illis accipitur & manducatur, &c. Respondeo, non hoc vbiq; & semper in hoc festo fieri fatebuntur omnes ingenui Papistæ, & ego quoque multis in locis nihil tale vnquam vidi.

Nonne, inquit Monachus, Urbanus ipse in suo diplomate fideles hortatur, vt hoc tam solenni festo ad communionem accedant, corpus Christi accipiant & manducent? Nonne hoc ipso hortatur eos, quorum id interest, vt Sacramentum Eucharistiæ populo distribuatur? Scio Urbanum hoc constituisse, indeq; supra collegi, eum hoc festum propter sumptionem & perceptionem Sacramenti, non propter circumgestionem, ostentationem et adorationem instituisse; & posterioribus demum temporibus intermissâ sumptione seu communionem in pluribus locis, in theatricum spectaculum conuersum ac mutatum fuisse.

Deinde, si maximè in hoc festo communio multis in locis fiat, annon hoc ipso, quod præterquam accipitur & comeditur Eucharistia, etiam circumgestatur, adoratur & ostentatur, hoc ipso transfertur ex vsu diuinitus instituto, in longè aliam actionem, & diuersum vsum, qui nullum prorsus habet testimonium sacra Scriptura, aut proba, si potes, ostentationem, circumgestionem & adorationem aliquo expresso vel mandato vel testimonio Scripturae.

At inquit, Quod præterea hostia consecrata circumfertur & publicè ad cultum & venerationem exponitur: quid refert? Respondeo, plurimum refert: hoc ipso enim de quo querimur, nempe, quòd hoc pacto Eucharistia ex vsu diuinitus instituto in aliam actionem & vsum alienum transfertur.

Pergis, An ideo extra illum finem erit, quem his verbis indicauit Dominus: Accipite, & comedite: accipite & bibite? Minimè verò: nulla enim vnquam hostia consecratur, quæ non consecratur eo fine, vt tandem vel à Sacerdote, vel ab alio

alio



alio quopiam fidelis sumatur. Respondeo, probaretur hoc effugium, si Christus Eucharisti-  
am in hunc finem etiam instituisset, ut circumgestetur, ostentetur & adoretur. Nostrum igitur  
non est alios fines quoque ex nostra phantasia excogitare, & institutioni Christi affingere. Nam  
si hunc finem probaret Christus, proculdubio vel ipsemet vel Apostoli aliquam saltem mentio-  
nem eius fecissent. Instas, Neque colendi adorandique finis finem sumendi & manducandi exclu-  
dit, neque hic illum: sed simul iungi iugarique necessario debent. Respondeo, Imò finis à Christo in-  
stitutus & expresse demonstratus, excludit eum qui ab hominibus extra & contra verbum Dei  
excogitatus est: neque fines subordinati dici possunt.

Huius delirij sequentia addis: At non dixit Dominus (inquit Hospinianus:) Accipite,  
colite seu adorare, & comedite. Accipite, colite, seu adorare & bibite. Verum enim  
verò, neque dixit, inquit Monachus: Accipite, non colite, non adorare, sed comedite.  
Respondeo, Imò dixit, Non habebis Deos alienos coram me: Exod. 20. Dominum  
Deum tuum adorabis, & illi soli seruias: Deut. 6. Matth. 4.

Repetis: Cur non liceat Sacramentum hoc colere & adorare, cum aliunde scia-  
mus, Christum tanquam Deum nostrum, adorari debere? Respondeo, argumentum  
hoc supra refutatum est: Christus Dominus noster adorandus est: Ergo Sacramentum quoque  
adorari debet. Et hypothese illam Papistarum prorsus negamus, Nullum aliud suppositum,  
præter Christi personam in Sacramento aesse: quum potius nihil, præter panem  
& vinum ( siquidem nudam rerum substantiam, & localem earum existentiam spectamus ) a-  
desse, verissimum sit atque certissimum.

His subiectis satis ineptè, cum tamen magister in Israel videri velis: Adoratus est à pa-  
storibus in præsepio; à Magis in stabulo; à latrone in cruce: & non adorabitur in  
Eucharistia? Respondeo, Exempla hæc & similia nihil pro te faciunt, quippe quæ prorsus  
ab hac questione aliena sunt. Concedimus enim libenter, Christum, ubicunque realiter præsens sit,  
sive videre eum possimus, sive non possimus, ibi simpliciter adorandum esse. Sed quia verbum Dei  
nos docet, Christum iam nusquam in terris corporaliter aesse, idcirco adorationem hanc, tantum  
modo in cælum, ubi ipse iam corpore suo est, dirigendam esse dicimus, iuxta illud solenne ver-  
bum veteris Ecclesie, Sursum corda habemus ad Dominum. Et iuxta illud Pauli Phi-  
lip. 3. Conuersatio nostra est in cælis, vnde Christum exspectamus, &c.

Deinde inepta est subiectorum inter se diuersorum confusio. Confunditur enim ipsa perso-  
na Christi cum Sacramento Eucharistie. Adorârunt Magi & Pastores præsentem Christum,  
non autem simul etiã præsepe: Sic licet quoque in Eucharistia preces ad Christum dirigendæ sint,  
simul tamen ipsum Sacramentum etiam, hoc est, panem vel hostiam adorandam esse negamus:  
quia unio corporis Christi cum pane neque personalis est, neque indissolubilis, sed sacramentalis: ideoque  
extra legitimum usum totius Sacramenti nulla unio corporis Christi est cum pane: proindeque  
vera ἀπολαΐσεία est ille cultus, qui hostiæ extra legitimum usum defertur.

Hoc loco Monachus axioma orthodoxorum, cuius obiter mentionem feci, exagitat, illudque  
funditus euertere conatur: nempe, Symbola Eucharistica non habere rationem Sacra-  
mentorum extra usum, hoc est, sumptionem, & extra actionem his verbis à Domino præ-  
scriptam; Accipite, comedite: accipite, bibite. Hoc axioma impugnaui præcipuum neruum Pa-  
patius, qui est, quòd! Eucharistia veram rationem habeat Sacramenti, etiam extra usum à Chri-  
sto institutum, licet transformetur in aliam actionem & longè diuersum usum. Ad hæc Iesuita  
dicit, Hoc axioma non in Schola Christi, sed Caluini natum esse. Imò, Monache, in Scho-  
la Christi natum, & quidè in prima institutione Cæne confirmatum est, quemadmodum audiemus.

Non mirum est autè & hic à Gretschero, & alibi & Pontificijs à magno conatu hoc verissi-  
mum & firmissimum axioma oppugnari. Intelligunt enim probè, omnia illa, quæ extra usum divini-  
tus institutum, huic Sacramento assuunt, non posse retineri, defendi et stabiliri, nempe, quòd recita-  
tis verbis cōsecrationis super panem, licet usus ille, quæ Christus instituit, nec adsit, nec accedat, exci-  
stinetur tamè et credatur, quod Christus Deus et Homo, in illo pane, quacunque ratione tractetur,  
adsit, cōtineatur et durabili cōiunctione permaneat, nō minus, quàm in ipsa exhibitione et manduca-



DE ORIGINE FESTORVM

sione à Christo instituta. Hac enim opinione mentibus hominum instillata, mox superstisio excogitat alios vsus, & alias Eucharistia actiones, quam Christus in institutione sua prescripsit & ordinavit: & illa deinde maiori diligentia quam hac observantur & vsurpantur. Habent igitur Iesuita satis magnas & graues causas ad stabiliendum & suffulciendum Papatum, ob quas pro dogmate isto contra hoc axioma Orthodoxorum, tanquam pro aris & focus strenue pugnent & dimicent: sublato enim hoc fulcro, non minima pars regni ipsorum collapsura esset.

Falsissimum autem esse dicit Iesuita hoc assertum, ac proinde axiomatis nomine indignissimum. Eucharistia enim Sacramentum hoc proprium & peculiare habere, quod non in vsu, sed in ipsis speciebus externis durantibus & permanentibus, facta consecratione, consistat: quibus superueniens vsus, quiddam sit quasi extrinsecum: licet hoc extrinsecum species respiciant, & eo ordinentur ex præcepto illo, Accipite, edite, &c.

Ita quidem Monachus confidenter satis, sed ne vno quidem verbo ista probat: idcirco eadem facilitate reijcere possemus ea, quæ afferuntur. Respondebo tamen. Argumentum Iesuitæ hoc esse videtur: Sacramentum Eucharistia in speciebus externis durantibus & permanentibus, facta consecratione, consistit:

Ergo non in vsu. Antecedens probare debuit, quod non fecit, sicut diximus, quia non potuit: esse enim falsissimum. Nam forma Sacramentorum potissimum consistit in relatione ad proprium finem. Finis autem S. Eucharistia non est duratio & permanentia, sed ut eam celebrantes, hoc esse, sumentes, mortem Domini annunciemus, 1. Cor. 11. Ex quo sequitur, cessante hoc fine seu vsu, cessare etiam respectu nostri, veram essentiam Sacramenti. Quare dum panis Eucharisticus in processibus & pompis per vias & compita circumgestatur, ostentatur, populo adorandus proponitur, aut in pixide, vel tabernaculis, adiculis & proprijs sacellis asseruatur, non verum Christi Sacramentum, sed merum ac nudum panem, imò etiam idolum esse dicimus. Nam & hic verum est illud Christi dictum, Matth. 19. Quod Deus coniunxit, homo ne separet. Coniunxit autem Christus in hoc Sacramento, promissionem simul & præceptum suum: quarum illa de mystica presentia & exhibitione rerum significatarum, hoc autem de sacerorum symbolorum distributione ac sumptione, perspicue loquitur: Ita ut sacramentum integrum habere non possint, nisi qui integram hanc Christi institutionem observant ac retinent.

Adhuc, nego quoque Eucharistiam præ Baptismo hoc proprium & peculiare habere, quod extra vsu & illam actionem, quæ in institutione prescripta & mandata est habeat rationem Sacramenti, non minus atque in ipso vero vsu, ut vult Monachus. Si in institutione Eucharistia tantum hæc verba extrarent, Accipit panem, gratias egit, fregit & dixit, Hoc est corpus meum, aliquid diceret Iesuita. Sed institutio sic habet: Accipit panem, gratias egit, fregit, dedit discipulis, dicens, Accipite, edite, &c. Hæc verba actionem significant, præsertim accedente verbo Faciendi: Hoc facite, &c. quod scilicet in prima hæc Cæna factum est. Si igitur hæc de re iuxta institutionem iudicandum est, Eucharistia non minus consistet in vsu quam Baptismus. Imò in institutione Baptismi semel tantum dicitur, Baptizate eos, & tamen fatentur Papistæ, Baptismum extra vsu diuinitus institutum non esse Sacramentum. In Eucharistia verò institutione, non vnum aliquod tale verbum est, & plura ordine ponuntur, quæ manifestè actionem & vsu denotant.

Hoc axioma hæc quoque, apodixi probari potest, quæ tamen eadem est cum superiore:

Quicquid ipsa Scriptura definit, verbis actiuis, id est, actionem requirentibus, & quod habet suum esse in actione, & sine actione esse non potest: illud propriè & verè est actio.

Sacramenta veteris & noui Testamenti, speciatim dicta, Scriptura definit verbis actiuis, & actionem requirentibus, eaque habent suum esse in actione, & sine actione esse non possunt.

Sacramenta igitur propriè & verè sunt actiones.

Assumptio clara est ex institutione omnium Sacramentorum, Tolle à Circumcisione amputa-

tionem



tionem præputij, ab agno paschali mactationem, affationem & comestionem: à Baptismo mer-  
sionem vel asperisionem aqua, & non habebis Sacramenta. Tolle similiter à Cæna Domini δό-  
σις καὶ λήψις, & non habebit veram rationem Sacramenti.

Obseruet autem Lector quæso quàm absurdus sit & ineptus Monachus. Dicit Eucharistiæ  
Sacramentum non consistere in vsu, sed in ipsis speciebus durantibus: species au-  
tem respicere, & ordinari ad vsu, & quidem ex præcepto Christi, Accipite, edite,  
bibite. Concedit igitur, hoc Sacramentum ordinari & dirigi debere ad vsu, id est, ad man-  
ducandum & bibendum, quo ipso circumgestatio, ostensio, adoratio & inclusio rei: iur: & ta-  
men negat vsu, id est, manducationem & bibitionem ad essentiam Sacramenti pertinere,  
sed esse quiddam quasi extrinsecum. Propter quod autem vnumquodq, tale est, illud magis ta-  
le. At species Sacramenti teste Iesuita, ad vsu ordinantur & diriguntur: ergo magis vsus ad  
essentiam Eucharistiæ pertinet, quàm species durantes & permanentes.

Exemplum panis, quo orthodoxam sententiam declarati, suaviter irridet & exhibet  
Monachus. Quid, inquit, prædicans ait, ne in naturali quidem alimonia panem ha-  
bere cibi rationem, nisi in eo qui vescatur, annon vberem ridendi materiam sup-  
peditat: quem vel vulgaris loquentium consuetudo refellit: cum iubentur cibi in-  
ferri in mensam. Si cibus non est cibus, nisi vsu & sumptione, quid ergo inferitur  
ex culina in mensam: quid conuiuiis apponitur? &c. Et mox: Cibus in actu primo  
est Eucharistia absq, omni sumptione: sicut & cibus corporalis verè cibus est  
absq, omni sumptione: & quæ sequuntur.

Respondeo, panem habere quidem rationem cibi, sed tamen actu primo, id est, non verè &  
perfectè, sed improprie. Undenam enim habet nomen cibi, nisi quod ciber, hoc est, alatur, & nutrit  
at, quod extra sumptionem & vsu non præstat: Gretschum scio cibi Iesuitici laudissimi non  
saturarent, si eos vel diutissime aspiceret, non autem ederet. Sic etiam Eucharistia aliquam cibi  
rationem habet ante sumptionem, sed improprie, nec ad formam seu essentiam Eucharistiæ per-  
tinet, quæ in vsu & sumptione consistit, ut ante docuimus.

Idem etiam respondetur ad verba Christi, quæ Monachus per instantiam obijcit ex Ioan.  
cap. 6. Caro mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus. Nam ad vsu & sum-  
ptionem respicit Seruator, in qua caro & sanguis eius verè est cibus & potus. Sed, inquit,  
quando Christus hæc verba proferebat, nemo Sacramentum Eucharistiæ sume-  
bat, quippe nec dum institutum, &c. Respondeo, hinc ergo clarius intelligitur, Christum  
his verbis respexisse ad Sacramentum breui institutum & sumendum. Neque enim cibus &  
potus verè nostrum corpus reficit, nisi sumatur: ita etiam caro & sanguis Christi extra sumptio-  
nem non sunt cibus & potus verè ad vitam æternam nos reficientes, ut Leo loquitur epist. 22.  
ad clerum & populum Constantinop.

Instat porro Iesuita: mirum supra omne mirum foret, si caro non esset cibus, nisi  
iam in os manducantis immissa: & si vinum non esset potus, nisi ut iam per fau-  
ces in ventriculum descendit: Similiter si Eucharistia non esset cibus, nisi in ore  
sumentis. Respondeo: Vsus Sacramenti legitimus non præcisè à nobis restringi ad ipsum  
manducandi, vel bibendi actum, sed ad totam illam actionem Eucharisticam, quam Christus &  
verbo & exemplo suo instituit, extendi. Hæc autem tota actio tam diu durare censetur, quam-  
diu in Ecclesia ritus ille sacer, partim à verbi ministris, partim à communicantibus, (quorum  
illi signa externa, iuxta Christi institutionem consecrant & distribuunt: hi cum gratiarum actio-  
ne accipiunt, & mortem Domini annunciant) ritè exercetur, siue quandiu sacra Synaxis cele-  
bratur. Extra hanc autem Eucharisticam synaxin, eiusq, totam actionem, panem & vinum sa-  
cramenta corporis & sanguinis Domini esse negamus, propter rationem paulò antè allatam.  
Integra igitur actio sacramentalis est vna continua actio, minime distrahenda vel dispenda  
in separatas partes: & in ea coniugenda sunt illa omnia, quæ in verbis institutionis continentur.  
Christus enim in institutione Cæne coniunxit benedictionem panis, eiusq, distributionem, sum-  
ptionem & manducationem: itemq, benedictionem vini, eius distributionem & bibitionem: ea igitur



DE ORIGINE FESTORVM

cur homo separare non debet: aut si id facit, & partes enumeratas distrahatur ac separet, ipsam Christi ordinationem violat, & quantum in se est, tollit. Quando igitur panis iuxta institutionem accipitur, benedicitur, distribuitur, exhibetur & comeditur, illa actio non dicitur esse vel ante vel extra usum Cœnæ, qui integrâ, ut diximus, actione desinitur.

Pergit: Aqua (inquit Hospinianus) quæ in Baptismo adhibetur, non est aqua Baptismi, nisi quis eâ, sicut Christus instituit, tingatur: ergo etiam Sacramentum Eucharistiæ non erit cibus & potus, nisi in ipso usu. Sed negatur, inquit porro, consequentia. Quia, Baptismus est ablutio: consistit ergo in usu. Respondet: eadem ratione Eucharistia est  $\delta\acute{o}\sigma\iota\varsigma \kappa\gamma\lambda\iota\mu\iota\varsigma$ : ergo consistit in usu quoque.

Postremo, si iuxta Monachorum sententiam, corpus Christi post consecrationem legitimam tamdiu in Sacramento manet, dum ipsum Sacramentum manet: Sacramentum autem manet, quousque panis & vini formæ manent: Formæ autem istæ integræ manent, donec cætera accidentia corumpuntur: Quæro primò, quid cum corpore Christi in primitiua Ecclesia factum, quando reliquias Eucharistiæ combusserunt? Secundo, quid corpori Christi fiat, si mus Sacramentum arrodât, vel canis, porcus, aliæque bestia idem comedat? Hinc sic argumentor:

Vel corpus Christi ante usum legitimum & divinitus institutum non est in Sacramento: vel veteres in primitiua Ecclesia corpus Christi combusserunt igne, & mures, canes, porci, similesque bestia id comedunt. Approbarunt posteriorem blasphemam sententiam plurimæ Scholasticorum, ut portentosum suum dogma Transsubstantiationis defendere queant. Thomas 3. de Euchar. q. 79. art. 3. dicit, contrariam sententiam derogare veritati huius Sacramenti, Ioannes de Burgo ait cap. 10. de Custodia Euch. Mus comedens hostiam, suscipit corpus Christi. Alexander Aleris part. 4. q. 45. m. 1. ait: Si canis, vel porcus, deglutiret hostiam consecratam integram, non video, quare corpus Domini non simul trañceretur in ventrem canis vel porci, &c. Est autem horrenda & execranda hæc doctrina istorum: ideoque etiam ab alijs rejicitur. Bonaventura in 4. sent. dist. 13. q. 1. Contrariam sententiam, dicit esse honestiorem & rationabiliorem. Lombardus ait. 4. Sent. dist. 13. Sanè dici potest, quod corpus Christi à brutis animalibus non sumitur. Innocentius 3. de Officio Missæ c. 11. ait, Christum quando venientem murem animaduertat, fuga sibi consulere, & sacramentum deserere. Miserum iam Christum, qui maxima miracula in terris edidit, nec murem potest amplius abigere. Dicamus ergo cum veritate, corpus Christi ante legitimum & à Christo institutum usum non esse in Sacramento, & tunc blasphema & absurda hæc omnia evanescent.

Festo hoc persuadentur homines panem Christum esse.

DECIMOSEPTIMO mentiri me dicit Os impudens, celebratione huius festi persuaderi homines, Christum in pane illo esse, cum circumgestatur, imò hunc panem, non amplius esse panem, sed ipsissimum Christum. Imò, inquit Monachus, celebratione, huius festi hoc etiam spectamus & publicè profiteamur, Christum non esse in pane, quia nullus est amplius ibi panis secundum substantiam, sed verè & substantialiter esse sub speciebus panis: neque persuadere conamur hominibus, panem illum non esse panem quia prorsus nullus est ibi panis secundum substantiam: sed id, quod sensibus externis apparet, esse panis, non esse panem, nisi secundum accidentia sub sensus externos cadentia: reuera autem esse corpus & sanguinem Christi.

Responsio ad hæc deliramenta est multiplex. Primò, non dixi, Papietas docere, Christum esse in pane, vel panem illum esse panem: nam scio hoc ipsos constanter negare. Sed hoc volui, Simpliciores homines, qui magis sensibus quàm ratione reguntur, quum vident HOSTIAM in tali pompa tanta cum maiestate & honore circumgestari, ostentari ac adorari ab omnibus, certò autem oculis cernunt, Hostiam illam nil nisi verum panem, vel saltem spumam panis esse tunc persuaderi his de causis, vel in pane conclusum, vel hunc panem, quem ipsi vident, Christum esse: neque enim nugæ illas Scholasticorum & Papiatarum, de substantia panis mutata



in substantiam corporis Christi, ita ut de panis substantia nil amplius reliquum sit: vel de corpore Christi sub accidentibus panis contento: simpliciores scitis assequi & intelligere possunt: quum ne ipsi quidem Scholastici hæc intellexerint, & sese inde satis commodè extricare potuerint.

Secundò, Si de hoc facto Papistarum rectè iudicare velimus, non tam ex illorum opinione quàm ex ipsius rei veritate & natura, id æstimandum nobis erit. Quum igitur in Sacramento, nihil nisi panis, in veritate adsit, sequitur certè, vel in pane fictitium Christum Papistarum esse, vel panem hunc Christum esse. Etsi autem hic error in imperitâ plebe aliquo modo excusari posse videatur, per simplicem nempe ignorantiam, quâ fit, ut idiotæ ne ipsum quidem, ut modò diximus, Papisticum dogma satis intelligant: nullam tamen veniam meretur in Iesuitis, qui toties iam moniti & conuicti de hoc errore, pertinaciter tamen adhuc insanire pergunt. Nullum igitur hic nostrum mendacium, sed apertum veritatis testimonium apparet. Iesuitarum etiam incredibilis stupor hic se prodit, qui hoc dogma mordicus defendunt, quale ne apud Ethnicos quidem vnquam fuit. Cicero enim lib. 1. de natura Deorum palam dicit, Neminem vnquam tam insanum fuisse, qui id, quo vescatur, Deum esse putet.

Tertiò, mentiri me dicit Monachus, idq; simplici tantum & nuda recitatione sua & Papistarum sententiæ, quam tamen ne vno quidem, vel S. Scripturæ, vel Conciliorum veterum, vel Patrum antiquorum tam Græcorum quàm Latinorum probat & confirmat testimonio: Neq; enim potuisset. Nam Cuthbertus Tunstallus Anglus, qui claruit circa annos Domini 1550. lib. 1. de Eucharistia. pag. 45. hoc dogma in Lateranensi primùm Concilio, anno 1215: celebrato, sancitum & approbatum fuisse fatetur: atq; ante illud tempus cuius homini integrum fuisse sine vlla fidei iactura contrariam sententiam tueri. Iuxta Tunstallum igitur recens est dogma & opinio. Scotus in 4. Sent. dist. 11. quæst. 2. De Sacramento, inquit, tenendum est, sicut tenet sancta Romana Ecclesia. Nam verba Scripturæ possent saluari secundum intellectum facilem, & veriolem, secundum apparentiam. Gabriel Biel quoq; in Canonem Lect. 40. Quomodo, inquit, ibi sit corpus Christi, an per conuersionem alicuius in illud, an sine conuersione incipiat esse corpus Christi cum pane, manentibus substantiâ & accidentibus panis, non inuenitur expressum in Canone Bibliæ. Iuxta Scotum igitur & Bielum nullâ certâ authoritate Scripturæ nititur hæc Papistarum doctrina. Nam Christus in Institutione Cœnæ non dixit: Hic panis, non est panis: aut, Hic panis transubstantiatur in corpus meum: aut, corpus meum realiter & corporaliter sub speciebus & accidentibus panis huius continetur. Contra verò testantur Evangelistæ, Christum accepisse panem, fregisse & dedisse discipulis, qui illum comederint. Et Paulus post consecrationem quinquies panem vocat: 1. Cor. 10. & 11. Verus igitur panis & ante & post consecrationem manet, non species panis. Nec mutatur panis substantia, aut in nihilum redacta succedit in eius locum vera Christi caro, & ita fit presens, ut sub accidentibus panis lateat vera substantia corporis Christi. Tametsi eo quidem sensu, quo est loquutus Christus, Panis Christi corpus erat. Nam in illa causa, non quid naturâ suâ panis fuerit, sed qualis Christi institutio sit, spectandum est. Quemadmodum Christi corpus est naturale corpus suum: sic panis ex se verus est & naturalis panis. Sacramenti tamen ratione panis & dicitur, & habetur, & est Christi corpus. Sic Paulus inquit 1. Cor. 10. Petra Christus erat. Atqui petra naturaliter & per se petra re vera fuit & mansit, sicut antè: tamen cum aquam profunderet, quâ recreatus est populus, sensu quodam mystico petra Christus erat. Et ut ad Dominicæ Cœnæ rationem propius accedamus, D. Lucas & Paulus dicunt: Hoc poculum est nouum Testamentum: tamen substantiam & naturam poculi verborum horum nulla vis mutauit. Neque fuit poculum illud re ipsa, ac realiter nouum Testamentum. Quare, sicut petra Christus fuit: sanguis est anima: poculum nouum Testamentum, quorum tamen singula propriam suam naturam atque substantiam retinent: Ita panis Christi corpus est, suamque interea naturam, substantiamque conseruat. Quod Christus instituit, Sacramentum est, ideoque sacramentaliter intelligi debet. Sicut enim aqua naturalis est sacramentum sanguinis Christi sic panis naturalis, non accidentia eius, est sacramentum corporis Christi.



Patres etiam disertè, & vnanimè testantur omnes, eandem remanere panis in Eucharistia, etiam post consecrationem, naturam atq; substantiam, quæ prius exstiterat. Gelasius dicit contra Eutychem, Non desinit esse substantia vel natura panis & vini. Cyrillus Alexandrinus scribit ad Calosyrium, In pane & vino sumi corpus & sanguinem Christi. Idem dicit, Suum corpus tanquam panem distribuit, & viuificum suum sanguinem tanquam vinum. Vbi particula *ut* Tanquam, non significat similitudinem, ut Turrianus exponit, ut in similitudine panis & vini corpus & sanguinem dari à Christo Cyrillus voluerit docere: sed certam potius & solidam approbationem hac voce denotare voluit, nempe, ipsam substantiam panis & vini. Hoc sensu vsurpatur etiam à Ioanne: Vidimus gloriam eius, gloriam tanquam vnigeniti à Patre, id est, reapse vnigeniti: & à Paulo Ephes. 5. c. & c. Ambrosius dicit, Non sublatâ panis substantiâ, sed adiectâ panis corporis Christi gratiâ. Et in lib. de Inuit. mysterijs c. 9. scribit: Verè ac naturaliter externis elementis velcimur. Chrysost. homil. 83. in Mattheum ait: Christus, cum hoc mysterium tradidit, vinum tradidit. Augustinus in Serm. ad Infantes dicit, Panem & vinum integra, sine vlla sui mutatione, quod ad substantiam eorum attinet, in hoc sacramento existere, etiam autoritate Pauli confirmat, qui 1. Cor. 10. c. in pane mysterium corporis mystici rectè representari docet. Theodoretus Dialogo. 1. cap. 8. dicit, Christus non naturam (panis) mutat, sed gratiam naturæ adijcit. Rursus: Nequaquam post sanctificationem mystica symbola propriam amittunt naturam. Sed manent in priore substantia, figura & specie, & cerni possunt ac tangi.

Et cuperem monstrare Iesuitam vel vnicum ex omni vetustate Patrem, qui vel exiguam mentionem faciat de accidentibus per se, sine omni subiecto subsistentibus, aut in aëre pendentibus: vel qui dicat, quod Gretscherus facit, nullum esse amplius in Eucharistia panem secundum substantiam, sed Christum realiter & substantialiter contineri sub speciebus panis: Item, id, quod sensibus externis apparet, etsi videatur panis, non tamen esse panem, nisi secundum accidentia sub sensibus externis cadentia. Demonstra hoc Monache, quod tam confidenter asseris, vel ex verbo Dei, vel ex Patribus primitiue Ecclesiæ. Sed non potes: falsò igitur me arguis mendacij.

Videntur autem Papista hoc nouum suum dogma à Manichæis hæreticis desumpsisse. Illi enim quæcumq; externa in Christo essent, nihil aliud quàm accidentia esse contenderunt: hoc est formam, figuram, colorem, &c. atque ita nihil planè nisi speciem, imaginem & simulacrum corporis.

DECIMO OCTAVO mentiri me dicit, hoc festo abduci homines à crebriore & vero vsu Cœnæ Dominicæ. Imò, inquit Monachus, vel maximè per hoc festum ad crebrum Eucharistiæ vsum incitantur, dum & publicis ceremonijs, officijs, & concionibus præstantiam & vtilitatem huius Sacramenti edocentur.

Respondeo, primò, hæc quidem dicit Monachus, sed quàm verè, ijs iudicandum relinquo, qui huiusmodi concionibus intersunt. In ijs enim multa quidem garrunt de præstantia & excellentia huius festi, de adoratione hostiæ, & indulgentijs, quas qui officijs & Missæ huius festi, itemq; processionibus interfuerint, consequantur: de vsu autem, & participatione, vel sumptione huius Sacramenti aut prorsus nihil, aut parùm admodum auditur.

Secundò, ab Urbano 4. Martino 5. & Eugenio 4. multò plures Indulgentiæ promittuntur ijs qui Officijs huius festi intersunt, quàm qui communicant: Illis enim per festum & totam octauam eius 44000. dierum indulgentiæ: qui verò in festo ipso communicant, illis 400. tantum dierum conceduntur. Imò, tantundem indulgentiarum promittitur Spectatori, quantum ei qui communicat. Annon igitur homines hoc festo abducuntur à communionem & crebriore vsu huius Sacramenti? Qui enim maius lucrum & emolumentum sperat, si saltem officijs huius festi intersit, & Spectator tantum pompæ & processionis existat, is sanè communionem facile contemnet ac negliget: præsertim si accesserit persuasio, sumptionem cum magno periculo coniunctam esse: cultum verò huius festi sine omni periculo multò magis esse meritorium.

Tertiò



Tertiò, Urbanus & Clemens disertis verbis fatentur in sua Bulla, hoc festum ideò institutum esse, ut in eo, quod in die Cœnæ Domini, & in alijs Missarum officijs esse forsitan prætermissum, suppleatur: & fideles festiuitate instante, intra se præterita memorantes, id quod in ipsis Missarum solennijs secularibus forsitan agendis impliciti, aut alia ex negligentia vel fragilitate humanâ minus plenè gesserunt, tunc attentè in humilitate Spiritûs & animi puritate restaurent. Si in vno hoc festo hæc compensatio fieri potest, quis dubitet, quin multi non solum rarius in anno communicent, sed etiam vsum Eucharistiæ prorsus intermittant, & ad hoc festum vsque referunt?

Quartò, persuadentur homines à sacrificiis, quod non negare possunt, quòd in hoc festo accensis luminaribus, genuflexione, & alijs venerationis ac adorationis ritibus & gestibus, peculiarem & excellentissimum cultum Christo præstent: & quidem excellentiorem, quàm si panem illum benedictum, iuxta institutionem acciperent & manducarent. Annon igitur his ab vsu sumptionis & manducationis manifestè auocantur homines?

DECIMONONO inquit, Mentitur prædicans cum ait, hoc Sacramentum non esse institutum in remissionem peccatorum.

Festo corporis Christi non remitti peccata.

Respondet: Imò mentitur Monachus, qui, quod de Festo corporis Christi dixi, de Sacramento me scripsisse impudenter asserit. Verba mea hæc sunt. Urbanus huic festo tribuit remissionem peccatorum: dicit enim in Bulla, Seruari id debere in remissionem peccaminum. Hic de Sacramento ne verbum quidem habetur. Sed dato, non tamen concessio, quòd de ipso Sacramento sim loquutus, non tamen mentitus essem. Quid ergo, inquis, volunt sibi illa Christi verba? Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Eccliam enim non ignoro verba hæc pertinere etiam ad effusionem sanguinis in cruce: scio tamen itidem spectare & pertinere ad Sacramentum & Sacrificium Eucharistiæ. Sed dic quaeso Monache, vnde nam hoc scias? non ex verbo Dei, quod remissionem peccatorum non nostris operibus, vel Sacramentis, sed solius Christi merito tribuit. Neque etiam verbum Dei docet, sanguinem in vltima cœna effusum esse in remissionem peccatorum. Imò ne minimum quidem exstat vestigium alicuius sacrificij pro remissione peccatorum in vltima cœna. Neq; enim dixit, Tibi pater omnipotens offero sanguinem meum in remissionem peccatorum: sed Apostolos alloquitur, & ostendit, se ipsis sanguinis sui paulò post fundendi in remissionem dare sacramentum: nec sanguinem suum fudit in vltima cœna, sed in cruce. Quomodo autem appelletur sacrificium illud verè propitiatorium, vbi sanguinis nulla facta est effusio? nam absq; sanguinis effusione nulla fit remissio peccatorum, Hebræ. 9. Neq; etiam hoc scis ex Patribus, qui idem docent quod verbum Dei. Et ne vnum quidem Patrem nominare potes, qui hæc Christi verba de sacrificio propitiatorio Eucharistico interpretetur, sed omnes ad sacrificium in cruce oblatum referunt. Gropperus etiam in Institut. & Antididagmate Coloniensi clamat, Papistis insignem iniuriam fieri à nostris, quasi doceant Missam propitiatorium sacrificium esse pro peccatis. Agnoscit enim & fatetur, vnicum tantum & verum esse propitiatorium sacrificium pro peccatis: quod scilicet ipse filius Dei, traditione sui corporis, & effusione sui sanguinis, in ara crucis, semel in odorem suavitatis Patri obtulit. Ergo hoc tantum scis ex Iesuitica phantasia.

VICESIMO inquit, mentitur prædicans, huius festi institutione non fenestram, sed latissimam portam idololatriæ, omnium, quæ vnquam fuerunt, horrendissimæ apertam esse. Hoc autem non probat Monachus, quia non potest: conuictijs igitur respondet tantum, more Iesuitarum. Dicit enim, hoc à me dictum esse, iudicio scilicet prædicantis Berengariani, Vuiclephici, Zuingliani, Caluinistici, &c.

Hoc loco etiam exagitat duo prognostica huius festi & idololatriæ horrendissimæ, qua in eo committitur: sed ita ineptè & pueriliter, ut pigeat ferè respondere: indigna enim sunt, quibus beneuolo Lectori molestia exhibeatur. Primum est ex Thoma Cantipratensi, qui refert, diabolum paulò ante huius festi institutionem, candidâ casulâ indutum, tanquam in alba pixide



Sacramentum praefertem apparuisse. Hic dicit, se duo vel tria mendacia observasse. Primum est, Cantipratensem hoc scribere lib. 2. Apum cap. 54, cum sit cap. 55. Magnum certe mendacium, nec simile ullum unquam vel à Gretschero, vel alijs Monachis commissum. Si dicerem, erratum typographicum esse, quid habes quod responderes?

Secundum est, Diabolum istum ipsi Cantipratensi apparuisse, cum Cantipratensis hoc non de se, sed de puero quodam referat. Respondeo, non dixi, Diabolum Cantipratensi apparuisse, sed prognosticum hoc citavi ex Cantipratensi. Deinde addidi verba eius: Apparuit illi Diabolus: Illi, videlicet puero, cuius ibi mentionem facit.

Tertium, inquit, illudque impudentiam refertissimum, factum hoc mali demonis, fuisse prognosticum instituendi festi Corporis Christi. Scilicet, ait, Urbanus 4. festum hoc non erat instituturus, nisi alastor ille assumpto Sacerdotis habitu, puero illudere tentasset. Respondeo, potuisset quidem Urbanus hoc festum instituere: Deus autem ex immensa ac singulari bonitate & gratia monere voluit homines quid praeforibus sit, eosque hortari, ut ab hoc diabolico instituto & horrendissima idololatria sibi quam diligentissime caueant. Hunc morem Deus iam ab initio mundi servavit, ut hominibus futura mala & pericula varijs portentis, signis & prodigijs praesignificaret, eosque hoc modo partim hortari voluit ad veram ac seriam poenitentiam, qua futura mala auerterent, partim vero monere, ut falsis prophetis & seductoribus non nimium credulas aures praebeant, sed adversus omnia pericula & calamitates muniant. Hinc etiam divina illa admonitiones prodigiorum, signorum, monstrorum, prognosticorum & portentorum nomina sortita sunt. Augustinus Tract. 16. in cap. Joannis 4. Non, inquit, sine causa dicta sunt prodigia, nisi quia aliud portentunt. Prodigium enim appellatum est quasi porrodictum, quod porro dicat, porro significet, & aliquid futurum esse portendat. Et de Civit. Dei lib. 21. cap. 8. Nobis tamen ista, inquit, quae velut contra naturam fiunt, & contra naturam fieri dicuntur, & monstra, ostenta, portenta, prodigia nuncupantur, hoc monstrare debent, hoc ostendere, vel praestendere, hoc praedicere quod facturum sit Deus quae de corporibus hominum se pronunciauit esse facturum, nulla impediende difficultate, nullam praescribente legem naturae &c.

Non idem autem sentit Gretscherus cum Augustino, sed dicit, Scilicet Urbanus 4. festum hoc non erat instituturus, nisi alastor ille Sacerdotis habitu puero apparuisset. Sensus est, Urbanum Corporis Christi festum instituturus fuisset etiam si demon ille puero non apparuisset. Respondeo, non hoc queritur, quid facturum fuisset Urbanus, sed, annon Deus pro sua immensa gratia hoc prognostico praesignificare voluerit hominibus, ut alias saepe fecit, horrendam, quae praeforibus erat, idololatriam. Tu negare hoc videris, ego aio. Deus apud Iosalem inquit cap. 2. de novissimis temporibus: Dabo prodigia in caelo & in terra, sanguinem & ignem, & columnas nubis. Sol vertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis. Similiter Christus de signis, indicijs, & prognosticis iam iam imminentis & appropinquantis diei novissimi ita loquitur Matt. 24. Multi venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus. Futurum est ut audiat bellum & rumores bellorum. Insurgit gens in gentem, & regnum in regnum: & erunt fames, & pestilentiae, & terramotus singulis locis: & quae sequuntur reliqua. Hic ridebit proculdubio impius Monachus etiam Christum ipsum, & dicet, Scilicet, novissimus dies venturus non erat, nisi ista fierent. Christus igitur monitorem Monacho isto opus habuisset, qui illi diceret, Domine, quid his tibi vis? finis mundi, quum tempus aderet, certo venturum, etiam si haec prognostica signa & prodigia non praecedant. &c.

Alterum prognosticum prodigium, quod Iesuita exagitat & irridet est, quod dixi, eo anno quo festum corporis Christi institutum fuit, Cometam horrendum per tres totos menses apparuisse, & eam ipsam nocte, qua Urbanus ad Patres suos descenderit, extinctum quoque esse. Ergo, inquit Monachus, Deo displicet hoc festum. Probatur consequentia: quia alias Cometa ille non apparuisset: nam quoties aliquid instituitur, quod Deo ingratum accidit, toties oritur cometa: Item, Si Urbanus 4. festum hoc non instituisset aut instituturus fuisset, Cometa iste non exstitisset.

Respondeo,



Respondeo, ha consequentia non mea, sed Monachi Gretscheri sunt, quas in phantasia sua Loiolania confinxit, & falso mihi tribuit, ut decipiat simplices & incautos: Apage igitur cum istis tuis consequentijs, & qua in solido tuo cerebro confinxisti mihi ne affingas, commenta tua tibi ipsi retineas, & meo nomine ne alijs vendites. Consequentia mea in textu expressis verbis posita est, quã ille astute & fraudulentè præterit, & sic habet: Hoc signo absq̃ dubio Deum iustū iram & furorem suū toti mundo ob tam horrendā & abominandam idololatriā significare voluisse. Hanc meam consequentiā ego sic probo. Cometa, & similia portentosa ac prodigia, præter phycas significationes, plerunq̃, Rerumpub. mutationes, seditiones, bella, morbos, Ecclesiarū ruinam, hæreses, falsam doctrinā & similia portenderunt. Testantur hoc etiā Ethnicorū Poeta. Vergilius enim cum in Georgicis Iulij Caesaris eadem describeret, quam insignis mutatio sequuta est, inter alia etiam prodigia Cometas numerat. Inquit enim;

Non aliās cœlo deciderunt plura sereno  
Fulgura, nec diri toties arsere Cometæ.

Lucanus vocat

— Crinem timendi

Syæris, & terris mutantem regna cometam.

Tibullus dicit — Belli magna signa Cometæ. Et Claudianus cecinit, Non vniquam cœlo spectatum impunè Cometam. Prudentius Christianus Poeta, Cometam tristem appellavit, quòd tristitia plerunq̃ & atrocità portendat. Seneca Cometam totum annum insequentem suspectum tacere dicit. Ptolemæus affirmat, decreta Cometarum Martialis & Mercurialis, id est, violenta, sæua, exitiosa, mortifera, crudelia, incerta, varia, mobilia, bellis æstuantia, & procellosa esse quæ inde oriuntur aut portenduntur omnia. Theologi etiam futura mala per Cometas diuinitus denunciari affirmant. Damasus lib. 2. c. 6. Constituuntur, inquit, multoties cometæ signa quædam mortis regum. Isidorus Etymol. 3. Dum Cometa per astra comparet, tanquam præcursor regni commutationem videtur ostendere, quæ per Principis mortem solet euenire. Brada de Ratione temp. lib. 1. c. 14. dicit, Cometam pestem vel bella significare. Si Scripturas sacras euoluamus, inueniemus etiam, Deum pro singulari amore suo, si quando mortalibus magnas calamitates immittere voluit, signis & prodigijs varijs eos præmonuisse. Egyptiorum & Pharaonis interitum multa & stupenda signa præcesserunt. De prodigijs & signis nouissimi diei ex Ioel & Mattheo antea dictum est. Ipsa quoq̃, experientia tot seculorum, testatur, Cometas non temerè oriri. Si enim omnium gentium historias euoluas & Cometas diligenter colligas, velut inductione quadam probabis, omnes ferè Cometas triste, & malum aliquod magnū significasse. Ad hæc omnia scurriliter & Epicureorum more respondet Gretscherus, scilicet, hæc non facta fuissent, nisi Cometæ & alia ostenta, & prodigia non apparuissent. Probationes igitur meæ consequentiæ non solum habeo ex Almagesto Ptolemæi, & ex Apollonio Pergæo de Conicis elementis, ut Monachus somniat, sed ex sacris & prophanis literis, ex historijs omnium temporum & quotidiana experientia.

Notet autem Lector hic summam cum malitiâ, tum impudentiam Monachi, quã fit, ut quod in nobis damnat & exagitat, id ipsum in suis Socijs approbet ac defendat. Nam in Apologia pro vita Ignatij contra Stenium, non quidem prodigia, portentosa, Cometas, &c. sed somnia Xanerij defendit. Stenius dixerat, Si quis somnijs libenter fidem adhibet, poterit & hisce Iesuiticis partem aliquam credulitatis impertiri. Respondet Monachus; Non omnia vana sunt, veritatem quorundam confirmat experientia, & tam sacra quàm profana historia. Illud Xanerij non fuisse vanum exitus ostendit, cui qui credit, somnio quidem credit, sed somnio diuinitus immisso & maximarum rerum prænuncio. Annon, Iesuita, his ipsis tuis verbis pro mea defensione uti possum? Non omnes Cometa, nec omnia portentosa & prodigia vana sunt, veritatem quorundam confirmat experientia, & tam sacra quàm profana historia. Enumerata à me portentosa & prodigia non fuisse vana exitus ostendit; quibus si quis credit, prodigijs quidem credit, sed prodigijs diuinitus ordinatis, & maximarum rerum prænuncijs. Aut putas, somnijs Loiolanis potius fidem esse habendam, quàm Cometis & prodigijs? Quasi verò ista non potuissent acciderè, etiamsi Xanerio in somnijs non oblata & prænunciata fuissent. Ista, de quibus Xanerius

Malitia &  
impudentia  
Gretscheri.



DE ORIGINE FESTORVM

in somnijs fuit admonitus, Deus ordinavit & ei placuerunt: probatur consequentia; quia alijs Xanerio in somnijs non apparuissent: nam quoties Deus aliquid ordinat, quod fieri debet, id socijs Loiolanis in somnijs reuelat, & toties somniant, &c. Haec non sunt meae, sed tuae vanissimae consequentiae & probationes illarum: quibus tibi tuisq; per me quidem tamdiu vti ac frui licebit quandiu volueritis.

Atq; hic finis sit responsionis non tam ad Greescherianas nugas & ineptias diluendas, quam ad illustrandam veritatem de idololatriæ corporis Christi festo. Nunc redeamus ad propositum.

III.

**QVIRINVS**, quem alij Cyr num scribunt, Episcopus fuit Siscia (Eusebius Scythiam vocat) Pannonia superioris vrbe. Tempore Diocletiani & Maximiani Imp. ad penjam ad colum eius molam, in flumen de ponte præcipitatus, ibiq; submersus est, prid. Non. Iunij. Prudentius in hymnis, & Pet. de Nat. lib. 5. cap. 85.

V.

**BONIFACIVS** Anglus, in patria educatus & in literis institutus, tandem Romam venit ad Gregorium II. Papam. Is quum Bonifacij mores, audaciam, studium ac zelum erga Rom. superstitiones anno integro cognouisset, Germaniæ eum Apostolum creat: & breui quidem tempore sub iugum pontificum Francos, Noricos, Boios, Thuringos, Catos, Saxonum partem, Dacos, Sclauos & Frisios redegit: ubiq; templa & monasteria extruens. Cum in Frisia esset, Pagani (Bergomensis Mahometanos somniat fuisse) indignè ferentes, quod Pipinum proditorem regem Francorum vixisset, Childerico legitimo rege contra ius deposito, armati in eum & socios impetum faciunt, & ipsum cum 50. familiaribus suis trucidant, ac cistas eius, in quibus libri erant & reliquiae sanctorum, diripiunt, Nonis Iunij, anno Domini 755.

VI.

**ARTEMIVS** cum vxore & filia Romæ passus est ob Christianam religionem, 8. Idus Iunij. Pet. de Nat. lib. 5. ca. 92. Quidam benigni presbyteri Diuionensis martyrium huc referunt: sed is passus est, Cal. Nouemb. iuxta Pet. de Nat. lib. 10. cap. 3.

VII.

**PAVLVS** Episcopus Constantinopolitanus aliquoties, ob defensionem catholice fidei, à Constantino Imp. Arriano de sede sua eiectus, sed semper restitutus, post multas & varias calamitates Arrianorum instinctu tandem iterum Constantinopoli exturbatur, & Cucufum, Capadocia oppidulum, relegatur. Sed ne hoc quidem exilio eius exantiantur Arrianorum crudeliter animi, missis eò quibusdam suae cruentæ voluntatis ministris (quod etiam Athanasius in sua Apologia scribit) palam quoq; curauere strangulandum, 7. Idus Iunij, Philippo præfeto carnifice ad eam rem vsi Socrat. lib. 2. Adon in Martyrologio, Pet. de Nat. lib. 5. cap. 95.

VIII.

**MEDARDVS** natus est patre Nectardo Franco, & matre Prothasia Romanâ, in territorio Viromandensi. Episcopus electus, Viromandensem sedem Nouicomum transtulit, propter subuersionem. Deinde in Episcopatu Tornacensi Eleutherio successit. Sigebertus. Volaterranus & Turonensis lib. 4. cap. 9. Dies eius christi dicitur esse putatur, quod pluuia huius diei tringinta dierum pluuiam portendat, secundum rusticorum regulam. Hæc opinio inde nata videtur, quod commenti sunt eo die, quo Medardus est mortuus, aqua calidâ pluuisse. Vinearum quoq; patronus vulgò habetur: quod furem in vinea sua vuas rapientem ualigauerit, ut inde exire nequiuert, nisi de ipsius voluntate. Sic Fortunatus nugatur. Mortuus est anno 537. sub Iustiano Imp. 6. Idus Iunij. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 97. Hoc ipso die apud Ethnicos Fugalia, vel Fugalia celebrabantur; Latitiæ Deæ latissimus dies: In eo enim populus in omnem licentiã solutissimus atq; effusissimus fuit, Lud. Viue teste in cap. 6. lib. 2. de Ciuit. Dei Augustini: Vbi Augustinus quoq; dicit, Erant verè Fugalia, scilicet pudoris & honestatis.

IX.

**PRIMVS & FELICIANVS** sub Diocl. & Maximiano Imp. post varios & horrendos cruciatus, quos ob Christum pertulerunt, animam reddiderunt Deo in vrbe Numentana, Idibus Iunij, circa annos Domini 287. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 99.

X.

**ONOPHRIVS** per annos 60. in eremo vastissima ac profundissima Aegypti mansit hominibus incognitus. Eum Pannutius abbas, desertum id circumiens, reperit aspectu terribilem, capillis longis & canis, nudum corpus habens ut cunq; contactum, ut monstrum potius aut feram quam hominem existimaret Pannutius, Pet. de Nat. lib. 5. cap. 106.

BARNABAS



**BARNABAS** vnus fuit ex 70. Christi discipulis, de quo multa in Actis Apost. leguntur Tandē Salaminē peruenit, vbi Iudæi comprehendentes eum multis iniurijs affecerunt: tandem ligantes funem in collo eius, extra vrbis portas traxerunt, eumq; combusserunt ibi, 3. Idus Iunij. Sub Zenone Imp. reliquie eius reperia sunt, & recondita. Theod. Lector in Collect. lib. 2. Niceph. lib. 17. cap. 37. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 105.

XI.

**BASILIDES** Romanus sub persecutione Diocletiani in patria, ob Christi confessionem, scorpionibus durissimè casus, dehinc in carcerem detrusus, & post dies septem Imperatoris iussu gladio truncatus est capite, & feris expositus, prid. Id. Iunij. Petrus de Nat. lib. 5. cap. 109.

XII.

**FELICVLA** virgo, Petronellæ collactanea, vt scribit Marcellus, mortuâ sorore, à Flacco Comite comprahenditur, & quum nec ei nubere, nec dijs sacrificare vellet, in cloacam præcipitata necatur, Idibus Iunij. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 112.

XIII.

**ANTONIO** monacho Minoritæ Vlisipponensi diem obitus sui consecrat Idus Iunij Gregorius IX. eumq; magnâ celebritate seruandum constituit anno Christi 1232. Vincentius lib. 30. cap. 135. Antoninus tit. 24. c. 4. § 6. Hodie Patavij religiosissimè colitur. Sabellicus Enne. 9. lib. 6.

**VALLERIVS & RVEFINVS** tempore Diocletiani & Maxim. Imp. ob Christianam religionem in territorio Sussonen. sub Præside Reticouaro decollati sunt, 18. Cal. Iul. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 116.

XIII.

**VITVS** puer, & **MODESTVS** eius præceptor sub Diocletiano, post multos cruciatus verberum, carceris, exilij, ignis & equulei, martyrio coronantur, 17. Cal. Iul. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 18.

XV.

Quum **TEVPVLANA** coniuratio Venetijs hoc die penitus sublata esset, instituit Senatus Venetus, vt eius æternam memoriam sacramq; pio constantiq; amore retinerent. Inuisit igitur ab omnibus ordinibus D. Viti phanum 15. mensis Iunij die: inuisit Dux, vniuersusq; Senatus & populus, magna cum pompa & gaudio, persolutisq; Deo gratijs patres ipsos secum redeuntes intra Palatinas suas ædes Princeps publicis excipit epulis. Egnatius lib. 5. cap. 2.

**ROLANDVS** Caroli Magni ex sorore nepos, quum pro fide Christiana aduersus Saracenos fortiter pugnaret, & inter præclara eius prælij facinora suâ manu multos, tum verò Masurium Imperatorem Saracenicæ exercitûs iugulasset, siti extinctus est, 16. Calend. Iulij.

XVI.

**PAVLA** virgo apud Hispanias in ciuitate Malica, post multa tormenta, lapidibus obruta, inter saxa moritur, Pet. de Nat. lib. 5. cap. 125.

XVII.

**MARCVS & MARCELLIANVS** fratres, sacrificare Romæ nolentes, in carcere pluribus diebus detinentur. Demùm educti, & ad stipitem ligati, confodiuntur lanceis, Diocletiani Imp. iussu, 14. Cal. Iul. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 124.

XVIII.

**GERVASIVS & PROTHASIVS** fuerunt fratres vterini, B. Vitalis martyris filij. Cùm Astasius Comes Mediolanen. bell. pñararet aduersus Arcomannos, vates & sacerdotes Ethnicos de belli euentu consuluit. Responderunt illi, Deos responsa dare nolle, nec victoriam ei polliceri, priusquam Gervasius & Prothasius dijs sacrificarent. Comprahenduntur igitur, & sacrificare iubentur. Sed quum id facere recusarent, Gervasius plumbatis caditur, donec animam reddidit Deo. Prothasius verò in equuleo suspenditur, deinde fustibus caditur, tandem capite plectitur, 13. Cal. Iul. anno Christi 51. vel iuxta alios 57. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 126.

XIX.

**SILVERIVS** Campanus, Hormisdæ Pontificis filius, primus sine imperiali assensu ad Episcopatum Romanū promotus est Gotthorum suffragio. Theodatus enim Gotthorum Rex, lege edixit, vt qui non consentiret electioni eius gladio puniretur. Instigante igitur Vigilio Diacono, eumq; accusante, quòd Romam Gotthis prodere voluisset, in exilium à Theodora Augusta & Antonina Bellisarij Ducis vxore, in Pontum insulam relegatus fuit. Res parui momenti, vt apparet, Pontificatus Romanus tunc erat, quum inferiorum Principum iussu ac mandato Præsules illi eligerentur, & à feminis deponerentur. Tandem anno Dom 537. in exilio cucullatus miserè periit, 12. Cal. Iul. Balæus in eius vita. Pet. de Nat. lib. 5. cap. 131.

XX.



- XXI. ALBANVS Moguntinensis Episcopus, quum Franci in Gallias irrumperent, in eade  
sacra, captâ Moguntia, trucidatus est, & vnâ multa hominum millia, vt Auentinus lib. 2.  
in Honorio Imp. refert. de Nat. lib. 5. cap. 133. indicat, Albanum à gentilibus captum, flagellis  
& tandem gladio cæsum esse, 11. Cal. Iulij.
- XXII. DECIES MILLE Martyres hoc die in monte Ararath, propter fidem in Christum tru-  
cidati sunt iussu Adriani & Antonini Imperatorum. Petrus de Nat. lib. 2. cap. 137. De his ta-  
men Martyribus eorumq; Legenda Radulphus Tungrensis de Canon. obseruat. propos. 11. sic  
scribit. De decem millibus Martyrum, quæ fabulosè (dicam donec aliud videro)  
finguntur omni genere passionis Christi perpessi fuisse in monte Ararath, propè  
Alexandriam: nec eorum passio in aliquo Martyrologio authentico annotatur,  
nec ipsorum diem Romæ in aliquo Kalendario antiquo potui reperire, &c.
- XXIII. EDELTRVDIS regina virgo sacra, vt scribit Sigebertus, anno decimoquarto Con-  
stantini iunioris, in Anglia claruit, & duobus nupta viris, virgo tamen permansisse dicitur, &  
à posteriore, cum quo duodecim annis in coniugio permansit, impetrâsse, vt absoluta à coniugio  
monasterium ingredi liceret, in quo etiam mortua est 9. Cal. Iul. Beda lib. 4. hist. & Pet. de  
Natal. lib. 5. cap. 142.

NATIVITATIS Sancti Ioannis Bapti-  
stæ festum.Festi huius  
antiquitas.

Ritus.

Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ festum post annos Christi 400. celebratum ex Maximi  
Taurinensis Episcopi homilia apparet, quam in illo habuit. Celebraturq; maiori cum so-  
lennitate, quàm Decollationis. Durandus Rational. lib. 7. cap. 26. In eo verò tria fiunt. Nam  
in quibusdam locis, ex antiqua consuetudine, colligunt pueri ossa, & alia immunda, & simul crea-  
mant, vt fumus fiat. Habent hoc à gentibus. Antiquitus enim dracones hoc tempore ad libidi-  
nem propter calorem excitati, volando per aerem frequenter in puteos semen emittebant, vnde  
aqua inficiebatur: & qui ex hac aqua bibebant, aut aerem corruptum hauriebant, vel mories-  
bantur, vel in grauem morbum incidebant. Hoc animaduertentes medici, ignes iusserunt fre-  
quentes & passim circa fontes fieri, & quacunq; magnum atq; immundum redderent fumum  
ibi cremari, eo siquidem dracones fugari posse arbitrabantur. Cum igitur circa hoc tempus, quo  
S. Ioannis festum celebrandum institutum fuerat, hæc imprimis fiebant: idcirco adhuc ab ali-  
quibus quoque obseruantur. Durand. Ration. lib. 7. cap. 14. & Belet lib. 1. ca. 37. Per hos ignes  
saltatur, sicut apud Romanos in Palilijs. 2. Ferunt etiam in hoc festo faces ardentes, cumq;  
illis arua & segetes circumtunt, quâ re illas benedici existimant. Durandus ibidem. 3. Rotam  
quoq; hoc die in quibusdam locis voluunt, ad significandum, quòd Sol altissimum tunc locum in  
caelo occupet, & descendere incipiat in Zodiaco. Durandus ibidem. Hos aliosq; ritus ita descri-  
bit Thomas Naogeorgus lib. 4. Papistici regni:

In die magni Baptistæ solstitium fert,  
Omnibus in vicis quâ vulgò accenditur ignis,  
Inq; foro atq; vñs, latus circumq; choreas  
Solliciti ducunt iuuenes, cupideq; puellæ,  
Verbenis cincti, & Mausoli coniugis herbâ,  
Nonnullisq; alijs: nigra & vacinia palmis  
Gestantes, creduntq; superstitionibus omnes  
Non doliturum oculos qui per vacinia flammæ  
Inspiciat. Postquam saltarunt noctis ad vmbra,  
Tandem transfiliunt ignem certamine magno,  
Iniiciuntq; herbas prece, votisq; vt sua eisdem  
Cuncta exurantur simul infortunia flammis,  
Quo se illum credunt tutos è febris annu,

Est



Est vbi detritam, stupisq; & stramine multo  
 Intexam, tractamq; rotam in celsissima montis  
 Succendunt, postquam cælo hesperus ardet opaco  
 Voluuntq; in præceps: quod solis ab arce cadentis  
 Cælesti simulat speciem, horrendumq; videtur.  
 At sua tum credunt pariter dispendia volui  
 In præceps, tutosq; à cunctis se esse periculis.

*Persuasum deniq; est vulgò, si circa diem s. Ioannis pluat, officere id auellanis. Causa fortasse est ipsarum tunc teneritudo, humoris impatiens. Audiuimus qui dicerent, esse opinionem vanam ac supersticiosam, quæ etiam in alijs id genus observationibus multis simplicium animos teneat.*

ELIGIVS Lemouicensis, adultus aurifabro instituendis traditur. Eâ arte perceptâ, professus est in Galliam, ad artificem regium: ibiq; paucis annis splendore operum ita inclaruit, ut regi esset charissimus. Præfectus postea Episcopatus, elegit certos dies singulis septimanis, quibus pauperibus, leprosis & infirmis inseruiret: excepit eos, pauit & lauit. Suspensos etiam & alio genere supplicij interfectos, de cruce & rotis passim collegit & sepeliuit. Claruit anno Christi 650. Obijt anno vita 70. Christi verò 665. Vincentius lib. 23. cap. 86. & c. XXV.

IOANNES & PAVLVS cubicularij fuerunt iuxta Luonem, Constantia filia Constantini. Cum autem gentilismum recipere nollent sub Iuliano Apostata, clam capite plectuntur & infamam proijciuntur, 6. Cal. Jul. anno Domini 363. Petrus de Natal. lib. 6. cap. 9. XXVI.

#### DE SEPTEM DORMIENTIBVS eorumq; festo.

SEPTEM DORMIENTIVM fabulam describit Durandus in Rationali lib. 7. cap. 18. Antonin. tit. 7. cap. 7. § 6. & tit. 16. cap. 1. § 20. Vincentius lib. 21. cap. 9. Cum Decius Imperator statuam Ephesi collocasset, eamq; adorare omnes cogere, inuenti sunt septem Christiani qui impio Caesaris edicto obtemperare noluerunt. Eorum nomina fuerunt iuxta Durandum, Marcus, Martinianus, Dionysius, Ioannes, Serapion et Constantinus. Vincentius pro Marco Malchum ponit, & Martinianum profusus omittit, sex tantum numerans. Accusati autem hoc nomine, fidem suam constanter professi sunt. Cum autem à Cesare, cuius satellites erant, deliberandi spacium, usq; ad reditum eius impetrassent, ipsi interea in cavernas montis Cælij profugerunt, ibiq; se occultarunt. Quod cum cognouisset Caesar, edicto iussit cavernas montis occludi, ut fame illic contabescerent. Illi verò ibi obdormierunt, & somno sepulci iacuerunt trecentos annos, iuxta Durandum, Vincentius autem habet 192. tantum. Ad cavernam verò eam in qua dormierunt, quidam stabulum adificare voluit, & magno excitato igne lapides solui sunt, qui erant in ostio cavernæ, euigilaruntq; septem hi dormientes circa annum Christi 451. ut annotat Palmerius in Chron. vel iuxta Sigeb. anno. 443. Tunc miserunt septimum, ut in vrbe carnis ipsis emeret (Vincentius pro carnibus panes habet) putantes se per vnam tantum noctem ibi dormiuisse. Numeratâ pecuniâ pro carnibus, à lanijs nō fuit agnita: Re verò vltro citroq; agitâ, tandem comperit fuit eos d. utissimè in spelunca montis dormiuisse. Sed fidem his habeat, qui nimis facile credere didicit. In rei autem huius memoriam festum quotannis celebrandum institutum fuit: quod tamen Martyrologium Rom. & recentiores omnes ad 6. Cal. Aug. non ad 5. Cal. Iulij referunt. XXVII.

De hac fabulosa narratione accipe Lector quid Baronius in Martyrologio Rom. 27. die Iulij iudicet. Cur, inquit, hi dicti sint DORMIENTES, duplex affertur ratio: Alterâ, quod hi Martyres temporibus Decij consummarint martyrium, intra speluncâ clausi, ac demum specus ostio reserato, inuentis eorum corporibus, velut rediuiui iterum apparuissent; dictiq; dormientes consueto diuinæ Scripturæ loquendi vsu, quo eos qui pie religiosèq; vitâ functi sunt dormientes consuevit ap-

Baronius  
 cum  
 pte  
 entia  
 fabula.



pellare, Altera verò, quòd ijdem temporibus Decij vsq; ad vltima tempora, Theodosij Iunioris intra specum clausi, somno capti, ad ducentos ferè annos reuera dormierint. Qui hæc putârunt, sunt in primis è Græcis Metaphrastes, qui rei gestæ historiam texuit, quam recitat Surius tomo 4. hæc die, Nicephorus lib. 14. c. p. 45. Cedremus in Compendio anno 23. Theodosij: Ex Latinis Gregorius Turon, de gloria Confess. c. 95. Sigeb. in Chron. anno 447. Quid simile de alijs Septem dormientibus in Germania scribit Paul. Diaconus de gestis Longob. lib. 1. c. 23. quos illos esse putamus, de quibus Gregorius Turonen. epistolam scripsit ad Sulpitium Episcopum Bituricensem, quâ illorum recenset originem; quos tamen reuera obiisse diem, expressè testatur, recitatq; eorum nomina, quæ sunt ista. Clemens, Primus, Lætus, Theodorus, Gaudens, Cyriacus & Innocentius: (*Sunt autem hæc non Germanica, sed Latina nomina:*) Si & ex Gentilibus de longo tempore dormiente exemplum cupis, habes Plinium qui lib. 7. cap. 52. puerum quendam annos 57. dormisse tradit. Sed & Apuleius in Florid. tradit, Epimenidem Creticum à parente ad custodiendum pecora missum, in quodam antro dormisse annis 57. vnde versum est in Prouerbium, Dormire somnum Epimenidis. Sed hæc credat qui volent. Iam vt ad eos de quibus agimus, reuertamur, sententiæ illorum, qui putant hos non ob mortem dictos esse dormientes, sed quòd verè eo temporis spatio somno fuerint oppressi, magnopere refragatur, quòd ipsi aiunt, id miraculum diuinitus factum ob eam causam, quòd eo tempore de resurrectione carnis hæresis esset orta; quum reuera nihil tale temporibus Theodosij Iunioris contigisse reperiatur. Nam nec in sacrosancto Concilio Ephesino, quod sub eodem Theodosio celebratum est, neque in sacrosancta Synodo Chalcedonensi post illud proximè habita, vlla vnquam mentio de eiusmodi hæresi facta inuenitur, quæ prima omnium Patrum sententiâ damnari debuisset. Præterea, si ad astruendam fidem resurrectionis, voluit Dominus hos martyres excitare, manifestum est, eos reuera fuisse mortuos; alioqui enim dormientium quidem à somno excitatorum, sed non mortuorum resurgentium, quæ fidem resurrectionis facerent, fuissent testimonia. His accedit, quòd nullus illorum scriptorum, qui illis vixere temporibus, rem tam insignem, miraculum adeò grande, scriptorum monumentis commendârunt; quæ omnia illos latuisse, verisimile non est: puta S. Prosperum, qui illorum temporum res gestas per annos singulos digessit; aut Marcellinum, vel alium ex illorum temporum scriptoribus. Addimus etiam, quod Stephanus Episcopus Ephesinus, cuius sedis tempore id euenisse refertur in Actis quæ scribit Metaphrastes, intrusus fuit armorum vi in eam sedem, pollutusq; communionem Eutyphetis atque Dioscori in latrocinio Ephesino, vt habent Acta ipsa quæ recitantur in 55. Concilio Chalcedonensi Actor. 1. & 11. cuius quidem communionem prædicti dormientes merito execrari ac vitare debuissent. Hæc sunt quæ his obstare videntur. Quid autem in hac re sentiendum sit, ego minimè decerno, nec mihi tantum sumo, vt hæc audeam definire, (*ne videlicet nugæ & mendacia Legendarum vanissimarum de Actis Sanctorum vellicare videatur*) (quamuis in priorem sententiam sum procliuior. Hucusq; Baronius.

XXVIII.

LEO Thuscus, Romanus Pontifex, Canonis Missæ multa, non sine magna Dei blasphemia addidit.

At Leo bis denas cum iam regnasset & vnam,  
Tandem hyemes, obiit curis oppressus & æuo.

PETRI



PETRI ET PAULI Apostolorum  
festum.

XXIX.

**P**ETRVS & PAVLVS hoc die Romæ necati esse dicuntur, sub Nerone Imp. Petrus quidem cruce, Paulus verò gladio. Ac de Paulo dubium nullum est: de Petro verò controvertitur, quum multis argumentis probari possit, eum Romæ non fuisse, nec ibi mortuum esse: De quo vide *Vuitakerum de Pontifice Rom. quest. 3. cap. 3. pag. 319.* Institutum autem fuit in locum festi *Herculis & Musarum*, quod Romæ hoc die celebrabatur. Post annos 500. à nato Christo hac occasione cœpit celebrari solenniùs. Festus senator Romanus ad Imperatorem Anastasium Constantinopolim ob negotia quædam missus, Imperatricem quoq; adiit, eamq; cohortatus est, ut festum Petri & Pauli, quod aliàs quoq; obseruari solebat, aliquantò honorificentius ageretur. Mulier igitur ad eiusmodi pompas procliuis, Festi admonitionibus locum relinquens, splendidius multò quàm hactenus factum fuerat, panegyrim illam celebrari curat, ut *Theodoretus Lector lib. 2. & Nicëphorus lib. 16. cap. 35. narrant.* Meminit huius festiuitatis *Ambrosius Serm. 6. vbi indicat, Conuiuia celebrata fuisse in ea à Christianis.* Et *Viennæ Austria naumachia* hoc die editur in Danubio, & simul tunc epulantur senatores & Consules, ut refert *Lazius.* Bis festa dies hæc dicitur à *Prudentio* hymno 12. atq; in ea duplicare vota Romanum Pontificem consueuisse testatur, inquit:

Festi huius origo.

Ritus huius festi.

Transtyberina prius soluit sacra peruigil sacerdos  
Mox huc recurrit, duplicatq; vota.

Populum etiam frequentissimo cœtu vtramq; basilicam Petri in Vaticano, & Pauli viâ Ostiensi, eâ die inuisere solitum, idem auctor eodem hymno testatur.

PAULI COMMEMORATIO celebratur pridie Calend. Iulij, non quòd Paulus hoc die passus sit: sed quum festum præcedens Petri & Pauli ex veteri instituto eodem die celebrandum occurrat, vno tamen die, quoad officium, non potuerit celebrari, & inconueniens fuisset alterum ipsorum carere officio singulari, constituit *Gregorius M.* ut ipsâ die, quâ passus esset, fieret, quoad officium, Solennitas Petri, & sequenti die Commemoratio Pauli, *Beleb in Rationali cap. 138. & Petrus de Natal. lib. 6. cap. 26. Baronius autem in Notationibus suis ad Martyrol. Rom. sic scribit: Licet pridie huius diei agatur tam Petri quàm Pauli solennis celebritas, tamen hac potissimùm die solius Pauli commemorationem fieri debere, ex Gregorij Papæ institutione docet Micrologus c. 42. itemq; recentiores qui agunt de diuinis officijs. Cuius quidem rei gerendæ illa mihi magis probatur causa, quæ ex hymno Prudentij 12. satis posse colligi videtur, dum antiqui vsûs meminit, consueuisse nimirum Rom. Pontificem vnâ eâdemq; die Pontificias functiones in vtracq; basilica exercere. Cùm hoc autem propter nimiam locorum distantiam, non sine nimio & intolerabili ferè labore perfici posse videretur, consultius visum est, prima die in basilica Vaticana vtriusq; celebrare solennitatem, sequenti autē die in basilica Pauli sacra peragere, vberiusq; persolvere quod pridie videretur omissum.*

XXX.

## I V L I V S.

FESTA ET MEMORIÆ SANCTORVM, quæ mense  
I V L I O à Christianis celebrantur.

**T**HEOBALDVS parentibus clarissimis atq; ditissimis natus, tribus annis peregrinatus est, & nouem in eremo apud *Vincentiam* durissimam vitam egit, tandemq; in ea mortuus est Calend. Iulij circa annos Domini 1050. sub *Henrico II. Imp. Pet. de Nat. lib. 6. cap. 36.*

I

VENETIS etiam *Julia Calenda* ob receptam *Ligustico bello Clodiam, Andrea Contarenæ* ducis auspicijs, sacra habentur. *Egnatius lib. 18. cap. 16.*

V.



Festi huius  
origo.Festi huius  
confirmatio.

**C**um circa annum Domini 1378. ingens schisma esset inter Urbanum VI. & Clementem VII. quorum hic à Gallicis, ille verò ab Italis Cardinalibus electus fuerat, unde cædes, lacrocinia, rapina & alia multa mala sequuta sunt, Urbanus VI. ut his malis subueniret, VISITATIONIS Mariæ festum in crastinum Octauarū B. Ioannis Baptiste celebrandum instituit, circa annū Christi 1389. decreuitq; Indulgentias, his qui matutinali officio festi interessent, centū dierum: qui autē primis festi vesperis similiter centum: qui secundis totidem: illis verò qui prima, tertia sexta, nona ac Completorij officijs interessent, pro qualibet horarum 40. dies: illis autē qui per octauas festi matutinalibus vesperorum Missæ, ac prædictarū horarum officijs interessent centū dies singulis octauarū diebus: ut habetur in Bulla Bonifacij noni, qui hoc festum Urbani literis publicauit. Non tamen videtur ab omnibus approbatum receptumq; esse: quocirca in synodi Basilienfis Sess. 43. confirmatum & omnibus Ecclesijs obseruatum fuit, hoc decreto: Cum in hoc tempore tota Christianitas in laboribus & angustijs constituta cernatur, cumq; ferè vbiq; diuisiones & bella per humani generis hostem introducta vigeant, & ipsa etiam Ecclesia militans non medioeriter procellis agitetur, dignum iudicauit hæc sancta synodus, solennitatem, quæ congruè Visitatio Beatæ virginis Mariæ appellatur, in singulis Christianorum Ecclesijs celebrari, ut honorata in hac die celebritate per pias & deuotas fidelium mentes mater gratiæ & omnis consolationis sacerrima virgo Maria, benedictum filium suum iam multis hominum peccatis offensum, suâ intercessione concilians, pacem & vnitatem fidelibus largiatur. Idèocq; statuit & decreuit eadem sancta synodus, ad honorē ipsius virginis Dei genetricis, ut post expleta Resurrectionis Dominicæ, Pentecostes, gloriosæ Trinitatis, sacri Corporis Christi, Beatorum Ioannis Baptistæ & Apostolorum Petri & Pauli solennia, in quibus Ecclesia post solennitatem Annuntiationis Dominicæ, quam præfata Visitatio temporis ordine confestim sequebatur, est occupata, per singulas Christianorum Ecclesias, quolibet anno: 6. Non. Iulij festum huiusmodi Visitationis in gloriosæ virginis celebratur. Hoc igitur solenne festum amplectantur Christi fideles, & omnes qui beatam virginem singulari deuotione prof. quuntur, secum in hac solennitate exultationis suæ congaudeant. Quam ut eò libentius in diuinis honorent officijs, quo magis in spiritualibus fuerint exultati muneribus, ipsa sancta synodus omnibus Christi fidelibus, qui matutinis, Processioni, Sermoni, Missarum solennijs, vel primis aut secundis vesperis huius gloriosæ virginis festiuitatis interfuerint, pro vnoquoque officiorum prædictorum centum dies de iniunctis pœnitentijs misericorditer elargitur. *Hermannus Vurekindus in suo Computo Ecclesiastico dicit, hanc solennitatem in Concilio Basilienfiano Domini 1432. institutam, ad supplicandum litandumq; Mariæ, ut Turcos, Christianis infestos, pessundaret, quemadmodum ipsa montes Iudææ caleauisset in isto ad cognatam suam itinere.*

III.

**PROCOPIVS** in vulgatis Calendarijs huc ponitur: *Petrus autem de Natalibus lib. 6. cap. 70. scribit, passum eum esse octauo Idus Iulij. Casariensis fuit in Palestina, sanctus in Oriente ducali dignitate, quam ei Diocletianus tribuerat. Is contra demones gentium, eorumq; cultores liberè & animose depugnauerat, solius Christi potentiam laudibus supremis efferens. Deinde aurea & argentea idola, qua fieri sibi curauerat, impietate cognitâ, diminuerat, eorumque precium inter pauperes distribuit propterea innumeras pœnas torturæ, ficularum, vngularum, quibus eius concisa cutis est, ignium, facium, ferramentorum, mucronumque sustinuit, tandem gladio percussus est. Nicephorus lib. 7. cap. 15.*

S. HVLDRICVS



## S. HULDREICVS.

**S** Huldrycus ex primaria Sueuorum nobilitate de Kyburg & Dillingen natus, à primis annis in Cœnobio Sancti Galli educatus, ibiq; Grammatices, Latina lingua & sacrarum litterarum non mediocrem intellectum, sub Vaningo monacho percepit. Ad eum autem monasticam vitam delectabatur, ut nisi ab amicis prohibitus fuisset, monasticum habitum assumpsisset, Schedelio auctore. A propinquo postea Augustano Episcopo Adelberto committitur, qui in grauissimis negotijs eius operam fideli usus est. Eo defuncto Huldrycus in sede substituitur. Cum ad annum ætatis 83. peruenisset, annis in episcopatu 50. transactis mortem obiit 4. Non. Iulij Ioannes 17. Papa eum in Sanctorum numerum retulit anno 993. ut in Bambergensi historia scribitur. Auertinus autem lib. 5. Annal. indicat, Henricum tertium Imp. anno 1044. eum in fastos retulisse, ob insignem, quam de Vngaris reportauit victoriam.

Quæritur à nonnullis, an hic Episcopus auctor fuerit eius Epistola, qua sub eius nomine contra Cœlibatum sacerdotum ad Nicolaum primum Rom. Pontificem circumfertur. Iesuitæ, ut huius Epistola auctoritatem eleuent, magnam, nec tamen contemnendam, controuersiam mouent de tempore, quo ille Huldrycus vixit. S. Huldrycus, inquit Bellarminus, creatus est Episcopus anno Domini 924. ut Hermannus Contractus & Abbas Urspergensis docent, vel anno 903. ut dicitur scriptum esse in Chronico Augustanæ Ecclesiæ. Nicolaus autem Papa primus obiit anno Domini 867. ut Orupbrius annotauit in libro de Romanis Pontificibus: non ergo potuit scribere Episcopus Huldrycus ad Papam Nicolaum qui iam dudum obierat. Respondeo: Equiuocationem esse in nomine Huldryci. Diuersi enim fuerunt Huldryci: alter, qui ad Nicolaum primum scripsit, alter verò, qui imperante Henrico Aucupe Imp. vixit, & post mortem Sanctus dictus fuit: hic obiit anno 973. iuxta Contractum, Trithemium in vita Sigeri Abbatis 7. Hirsaugien. & eam picturam Genealogiæ S. Huldryci, qua adhuc hodie ostenditur in arce Kiburgensi Tigurinorum ditionis: alter verò obiit anno 900.

Huldryci diuersi.

Obijciunt, non duos, sed vnum tantum Huldrycum in Catalogo Augustanorum Episcoporum inueniri. Respondeo, in inuidiam & odio Vatiniانو sacrificulorum & monachorum factum esse aduersus Coniugij Sacerdotum defensorem, vel etiam pontificum Romanorum mandato ac iussu, quem haud dubie non solum ex catalogo illo, sed ex omni memoria hominum euulsam voluerunt, ne comprobatum esse coniugium tale ab ullo Episcopo videretur. Neq; hoc nouum aut mirum videri debet alicui in istis hominibus, qui sibi quiduis licitum esse putant. Ex ipso Decalogo, quem Deus sua manu scripsit, secundum præceptum totum, de non habendis & colendis idolis seu imaginibus, nefario ausu expungere non sunt veriti. Idem etiam fecerunt in Can. 44. Carthaginensis 4. synodi, qui sic habet, Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat: illi verbo Radat eraso substituerunt, Clericus nec comam nutriat, nec barbam. Et quid hodie Iesuitæ non audent? Qui quum videant, cum ex Patribus, tum ex historijs, aliorumq; scriptis, suis decretis, placitis, scriptis, dictis & factis repugnantia & oppugnantia, terras mariaq; peragrantes, & bibliothecas omnes perlustrantes, id sibi iuris vbiq; sumere non erubescunt, ut Patrum & historicorum tum veterum tum recentiorum scripta interpolent, voces, sententias, quin integras paginas addant, assuant, detrahant, mutant, mutilentq; pro arbitrato & libidine sua, quod ipsi, honesto scilicet nomine, libros repurgare vocant. Et hæc verissima esse, Lector ex Indice repurgatorio librorum à Iesuitis compilato intelliget. Ad hæc non solum hic Huldrycus in hoc Catalogo omissus est, sed in alijs etiam alijs. Cyriacum, quem Iac. de Voragine in Lombardica historia 19. à Petro fuisse Romæ episcopum scribit, in nullius probati authoris Catalogo horum episcoporum reperies, quod eius nomen Clerus inde expunxit, ut ab eodem indicatur Legenda 153. Similiter etiam Ioannam 8. fœminam eraserunt. Aimoinus scribit in sua historia, Clodoucum Francorum Regem per S. Seuerinum abbatem S. Mauritij in Valesia à febre liberatum. In Catalogo verò abbatum Cœnobij huius Seuerini nulla prorsus sit mentio. At non sequitur inde, Seuerinum non fuisse abbatem huius Cœnobij.



DE ORIGINE FESTORVM

Præfuisse autem Episcopatu Augustano Huldrycum quendam circa annos Christi 865. qui mortuus sit anno 900. habeo, ipsorum quoque Pontificiorum iudicio, testes non vulgares. Aeneas Syluius, qui factus Romanus Pontifex Pius 2. dictus est, in sua Germania ita scribit: Vixit (Huldrycus) anno nongentesimo, ætatis suæ octuagesimo tertio. Quibus utriusque verbis non obscure indicat, fuisse ante 900. annum Huldrycum, qui tunc mortuus sit. Iacobus de Voragine in Aurea Legenda cap. 202. manifestè scribit, Huldricum anno Christi 900. mortem obiisse. His adde, quod Onuphrius Panuinius, qui se in Annotationibus ad Platina nam fol. 120. in penitioribus historiæ studijs versatum esse gloriatur, & cui Pontificij ipse multum in historia tribuunt, Huldrycum sub Nicolai primi Pontificatu collocat, & quidem ad annum Domini 859.

Sed aiunt, hos ipsos, sicut etiam alios quos ex sua parte habent, de nullo alio quàm de S. Huldryco scribere. Respondeo, In nominibus facile erratur, ut vni sæpè ascribatur, quod alteri eiusdem nominis tribuendum sit. Alioquin de vno & eodem illos scribere ratio temporum diuersissima credere prohibet. Sed esto, utriusque partis auctores nullum alium quàm S. Huldrycum intellexerint, nondum tamen vicerunt. Habent Iesuitæ ex sua parte Hermannum Contractum, Abbatem Urspergensis & alios, qui dicunt S. Huldrycum anno Christi 924. Episcopum creatum, & anno 973. mortuum esse. Dissentit Chronicon Augustanæ Ecclesiæ, quod tamen pro se citant, quo indicatur, anno 902. eum mortuum. Ex nostra parte est Aeneas Syluius, qui postea Pontifex Rom. factus est, quem procul dubio errati non arguent: Iacobi de Voragine Aurea Legenda, Onuphrius Panuinius & alij, qui scribunt, S. Huldrycum mortem obiisse anno 900. ætatis anno 83. Episcopatus 50. Igitur Episcopatum iniisset anno Christi 840. Panuinius autem in Chronico Ecclesiæ initium Pontificatus Nicolai refert ad annum Domini 858.

Sed demus etiam hoc Iesuitis, vnum tantum fuisse Huldrycum Augustanum Episcopum, & quidem eum qui mortuus est anno 973. adeoque Epistolam hanc quæ ei tribuitur ad Nicolaum primum non eius esse, sed confictam ab aliquo: illi saltem hoc vicissim nobis dent, non esse nuperam, sed antiquissimam, ut quæ diu ante Gregorij 7. Papæ tempora scripta fuit. Sic enim Bertholdus Presbyter Constantiensis ad Hermannum Contractum Chronicon Appendice, & anno 1585. ab Vratislavo in lucem edita scribit: Anno 1079. Gregorius Papa Synodum Romanæ mense Februario collegit, in qua inter alia Presbyteros deinceps in fornicationem lapsos, absque spe recuperationis, deposuit, & scriptum, quod dicitur S. Valerij ad Papam Nicolaum, de nuptijs Presbyterorum, & Capitulum Paphnutij de eadem re, damnauit. Meminit huius Bertholdi Tritemius, & dicit eum claruisse circa annos Christi 1060. hoc est, circa tempora Gregorij septimi, sub quo hæc acciderunt. Hinc intelligimus, ante quingentos annos hanc Epistolam non solum extitisse, sed etiam pro S. Huldryci habitam fuisse.

Epistola Huldryci cum Verbo Dei congruit.

Ad hæc cuiuscumque hominis sit, siue Huldryci, siue alterius, non enim tam spectandum, quis quid dicat, quàm quid dicatur, spiritum tamen sanctum auctorem planè præ se fert. Colligitur hoc primò ex argumentis quibus coniugium sacerdotum defendit, & contraria refutat. Dicit enim 1. in veteri Testamento Dominus sacerdotibus coniugia concessit. 2. Non legitur hoc in Nouo Testamento prohibuisse. 3. Christus & Paulus affirmant, non omnes posse capere consilium continentia. 4. Paulus disertè dicit, se non habere præceptum Domini de Cœlibatu. 5. Idem ait, Diaconi & Episcopi sint vnus vnus uxoris viri. 6. Item, propter fornicationem vnusquisque habeat uxorem. Et, Melius est nubere quàm vri. 7. Citat Canonem Apostolorum: Nec clericus uxorem propriam sub obtentu religionis abijciat. 8. Citat decretum Siluestri, quo statuit, uxorem Diaconi à Sacerdote benedicendam esse. Quod tamen decretum Pontificij in suis Conciliorum tomis, sicut alia, expunxerunt. 9. Allegat regulam Clericorum, quæ exstat dist. 23. Clericus sit pudicus, aut certè vnus matrimonij vinculo foederatus. 10. Quia Nicæna synodus sacerdotibus coniugium liberum permisit. 11. Paulus dicit, Alligatus es uxori, noli quærere solutionem: Nam & qui uxores habent possunt esse tanquam non habentes: Et qui nubunt, possunt in Domino nubere.

nubere,



nubere, hoc est, sicut ipse explicat, in contrahendo matrimonio nihil quod Dominus prohibeat attentare. 12. Dicit, præceptum cœlibatus sacerdotum esse onerosum & importabile, contra Euangelicam institutionem, & S. Spiritus dictamen, contrarium tam veteri quàm nouo Testamento. Christus enim dicit, Qui potest capere capiat. Isti verò dicunt, Qui non potest capere anathemate feriatur. Item dicit, esse morbum, imò pest. lentiam, prauitatem intentionis, fatuam & turpem suggestionem, doctrinam Pharisaicam, periculosum hæresis decretum, quod cæci duces cæcorum in Ecclesiam Dei introducant, manipulum zizaniæ, commentum insanæ, imò esse Spiritus illos erroris, & doctrinas dæmoniorum prohibentium nubere. 13. *Fructum Cœlibatus Pontificij graphicè depingit.*

Secundò, *Argumenta aduersariorum solide refutat Huldrycus.* 1. *Clerici debent se castrare propter regnum Dei. Responder:* Paulus dicit, se de cœlibatu præceptum non habere, consilium autem dare. Et Christus dicit, Non omnes hoc consilium capere possunt. 2. *Sine castimonia nemo vid. bit Deum.* R. Castimonia non est in virginali flore, sed etiam in coniugali coniunctione. 3. *Præstenderunt speciem externam sanctitatis & puritatis in cœlibatu coram hominibus.* R. Potiùs deberent nobis persuadere, vt in conspectu eius, cui omnia nuda & aperta sunt, erubescamus peccatores esse, quàm in conspectu hominum mundi. Nam qui hominibus placent, apud Deum confusi sunt, iuxta Psalmistam. 4. *Opposuerunt exempla aliorum cœlibum, & inde ipsi Episcopi Clericos coniugatos in despectum adduxerunt. Ad hoc respondet dupliciter.* 1. Non debetis præsumere de donis vestris, nec propterea alienum seruum iudicare. 2. Dicit, falsam esse speciem continentia, sub qua scœdisimæ libidines lateant, &c. 5. *Allegauerunt exemplum Gregorij M. Sed hoc refutat oppositâ narratione de sex millium infantum.* 6. *Illud Pauli, Propter fornicationem vnusquisq; vxorem suam habeat, non specialiter ad laicos, sed generaliter ad omnes sine exceptione dicit pertinere.* 7. *Maritum vnus vxoris, non de Ecclesia intelligendum dicit, quia Paulus addit, Qui suæ domui præesse nescit, quomodo Ecclesiam Dei curabit?*

Ritus autem à Pontificijs in festo S. Huldryci obseruati sic describuntur à Thoma Nasorgo lib. 4. *Regni Popistici:*

Huldryci idolum quodeuncq; altare recepit,  
 Illuc carpones plebs fert, mullosq; luposq;  
 Vt sancti illius redimat teneatq; fauorem.  
 In templo sedet, atq; adeo ipsa non procul arã,  
 Venales habeat qui pisces, atq; minoris  
 Vendat, vt insanis ne copia desit emendi,  
 Nec quæquam perdit: nam mox oblatus ad ipsum  
 Quisq; reportatur, bis vti aut ter veneat idem.  
 Impietas ita fert quæstum, fulcitq; culinam.  
 Relligio autem vnde hæc noua: quali numine pollet.  
 Huldrycus, mutos vt pisces quærat, ametq;  
 Offerri sibi: quos nulli gens nulla Deorum  
 Obtulit, & Dominus super his nil sanxit Hebræis?  
 Multum stultitiæ fit & impietatis vbiq;.

ANSHELMVS Nobilibus parentibus ortus, in Becensi monasterio monachum induit, V.  
 anno ætatis 27. Abbas autem factus est anno Christi 1080. iuxta Sigebertum. Tandem Lan-  
 franco in Archiepiscopatu Cantuariensi successit, mortuus est anno salutis 1109. 3. Non. Iulij,  
 secundum Pet. de Nat. lib. 6. cap. 56.

TRANQVILLINVS pater Marci & Marcelliani martyrum, quum audisset, VI.  
 quod Zoe vxor Nicostrati pro Christi nomine passa esset, indignè ferens, quod fœmina vi-  
 ros ad palmam præcederet, in forum procurrat, & se Christianum liberè professus est: ob eamq;



DE ORIGINE FESTORVM

causam lapidibus obrutus martyrium passus est sub Dioclet. Imp. prid. Non. Iulij. Pet. de Nas  
salibus lib. 6. cap. 61.

VII.

NICOSTRATVS in magna alioquin apud Dioclet. Imp. gratia, cum à S. Sebastiano ad fi-  
dem Christi conuersus esset, & in ea constanter perseueraret, percussus est gladio, Nonis Iulij.  
Pet. de Natal. lib. 6. cap. 63.

VIII.

KYLIANVS natione fuit Scotus. Cum apud suos parum profecisset, prædicatione no-  
uorum rituum de Paschate, consurâ & similibus, cum socijs suis in Angliam, inde in Galliam,  
& tandem in Germaniam secessit. Cum autem videret Gosbertum præfectum etiam abhor-  
rere à nouis ceremonijs Papiisticis, Romam abiit, et impetrauit à Conone, vel (vt Balauus vult)  
à Benedicto, vt Episcopus Vuirzburgenfis ordinaretur, auno 686. Interfectus est postea à suis  
auditoribus qui agrè ferebant religionem antiquam ab ipso immutari, anno 697. 8. Idus Iulij.  
Curio. Regino. Oitho Frising. lib. 5. cap. 13. Trithemius de Origine Franc. Balauus Cent. 1. cap.  
79. & Cent. 14. cap. 23.

IX.

CYRILLVS Episcopus Romæ coniectus in ignem, illæsus euasit, & à præfecto dimissus  
est. Cum autem constanter Christum prædicare pergeret, capite cæsus est, 7. Id. Iulij. Pet. de  
Nat. lib. 6. cap. 71.

X.

SEPTEM FRATRES, Ianuarius, Felix, Philippus, Siluanus, Alexander, Vitalis  
& Martialis, filij fuerunt S. Felicitatis martyris. Hi cum Dijs gentium immolare nolent  
occisi sunt 6. Idus Iulij, sub Antonino Imp. Ianuarius tandiu plumbatis cæsus est, donec expi-  
rauit. Felix & Philippus fustibus interempti sunt. Siluanus per præcipitia deiectus. Alexan-  
der, Vitalis & Martialis capitalem subiere sententiam. Pet. de Natal. lib. 6. cap. 77.

XI.

PIVS Aquileiensis, Romanus Episcopus multa veræ pietatis opera, in Eccl. sia Christia-  
na fecisse perhibetur: martyrij gloriam anno Domini 157. 5. Idus Iulij adeptus est. Pet. de Nat.  
lib. 6. cap. 82.

XII.

NASON vnus ex 70. discipulis Christi fuisse: perhibetur in Adonis Martyrologio. Cyprijs  
Euangelium prædicans ibi in pace obdormiuit. 4. Id. Iulij. Pet. de Natal. lib. 6. cap. 88.

XIII.

HENRICVS 2. Imperator ab Eugenio 3. Papa in Duorum numerum recipitur, & anni-  
uersariam ipsius diem solenniter celebrari constituit 13. Iulij, anno 1146. quo die mortuus fuerat  
anno 1024. Gigas Episcopus Basiliensis Ioannes Senn impetratis anno Christi 1348. quibusdam  
reliquijs Henrici 2. Imp. à Bambergensibus, instituit etiam per totum suum Episcopatum diem  
obitus eius celebrandum, non tantum propter sanctitatem & miracula eius, sed etiam propter  
merita erga Basilienses. Vistifius in Chron. lib. 3. cap. 10.

XIIII.

BONAVENTVRA natione Tuscus, patria Balneoregius, habitum religionis S. Franciscæ  
assumpsit, anno ætatis suæ 22. eiusq. tandem Generalis Minister creatus est. Moritur anno sa-  
lutaris 1274. ætatis suæ 53. Iulij 13. vt refert Octavianus de Martinis. In vulgatis autem Calen-  
darijs refertur ad diem 14. Iulij. Sixtus 4. autem eum inter diuos retulit. Panuinius.

DIVISIO XII. APOSTOLORVM

XV.

DIVISIO XII. Apostolorum ad prædicandum, Idibus Iulij celebratur, vt Pet. de Nas  
salibus lib. 6. cap. 99. indicat: in vulgatis igitur Calendarijs non rectè ad diem 16. refertur.  
Hoc enim die duodecimo anno post ascensionem Domini ad euangelizandum verbum Dei per  
mundum diuisos idem asserit eodem loco: Et quidem Orientem cæsisse Thoma & Bartha-  
lomæo: Meridiem, Simoni et Matthæo: Aquilonem, Philippo & Thaddæo: Mediterranei ma-  
ris prouincias, Ioanni et Andrea: Mediũ mundi, Matthiæ & Iacobo Iusto: Occidentis regna,  
Petro & Iacobo Zebedæi: Mundum totum, Paulo. Ita quidem ille, de sortitis ab Apostolis or-  
bis terrarum inter se prouincijs, de quo etiam Eusebius lib. 3. cap. 1. leuiter aliquid innuere vi-  
detur ex traditione. Verum historia ipsa testantur, isdè in prouincijs & locis plures Apostolos  
cum vno & eodè tempore, cum etiã diuerso, Euangelium plantasse, & ecclesias constituisse. In Sa-  
maria simul Petrus Ioannes et Philip. diaconus docuerunt, Act. 8. Antiochia etiam viri Cyprijs  
Cyrenenses



Cyrenenses, et Paulus, & Barnabas, Agabus, &c. Act. 11. & 13. Silas et Iudas, Act. 15. & Pet. Gal. 2. docuisse commemorantur. In Epheso Paulus, Act. 19. & Ioannes Apostolus, Eusebio lib. 3. cap. 1. ecclesiam plantasse dicuntur. Quod etiam dicit Pet. de Natal. anno duodecimo Apostolos ad predicandum discessisse Hierosolymis, habet ex Eusebij lib. 5. cap. 18. ubi ex Apollonio refert, hoc Dominum precepisse Apostolis. Sed non exactè id cum historia congruit. Nam & ante illos annos inde discessisse constat, & Paulus anno 17. Apostolatûs sui Hierosolymis reperit aliquos Apostolos, quos etiam tunc aliquandiu ibi mansisse indicat, Gal. 2. cap. Alij igitur causam huius festi referunt ad diuisionem ossium Petri & Pauli. De qua Durandus in Ration. lib. 7. cap. 15. ita scribit. Siluester Papa volens ecclesias consecrare, quas Constantinus Imp. in honorè Petri & Pauli construxerat, tam parua, quam magna ossa duorum Sanctorum ex equa lance ponderauit, & vnâ medietatem in vna Ecclesia, aliam in alia collocauit. Hinc quidam deinde festum instituerunt de hac diuisione, die 15. Iulij. Verum tunc non Diuisio duodecim, sed duorum Apostolorum dicendum est.

HILARIUS Monachus Ostiensis, quòd Dijs sacrificare noller, fustibus cæsus, & martyrio coronatus est sub Iuliano Imp. 17. Cal. Aug. Pet. de Natal. lib. 6. cap. 105.

XVI.

ALEXIVS Euphemiani Senatoris Romani opulentissimi filius, primâ nuptiarum nocte virginitatis amore, & (vt videri volebat) pro Christo, sponsam suam deseruit: & spontè exilium eligens, atq; Edessam Mesopotamia nauigans, per annos 16. ibi incognitus omnibus, etiam parentis seruis, ibi mansit, hominumq; elemosynis vixit. Inde verò Tarsum Cilicia nauigare constitutus, vi tempestatis Romam defertur, & ad parentes redit: in quorum ædibus similiter 17. annos specie mendici, vt ignotus, aliorum mendicorum more elemosynas ac stipem accepit, quorum magnam turbam parentes in suis ædibus ob filij absentiam alebant. Moriturus, vitæ suæ totius narrationem seu historiam in charta complexus est, ex qua, ipso iam defuncto innotuit parentibus, tanto tempore sub mendici habitu filium suum aluisse. Dies obitus assignata in Lombardica historia, est 16. Calend. Aug. anno Domini 398. Habet verò historia illa fabulosa plurima, & talia quidem, vt videri possit ad similitudinem historiae de Vlysse efficta. Et tamen illam posterior ætas approbavit, propter opinionem electiorum operum, vt patet ex 27. q. 2. Scripsit nobis.

XVII.

MARINA quoq; hoc die colitur, quòd eo mortem obiit, quum aliquot annos sub habitu virili in monasterio fuisset. Pet. de Natal. lib. 6. cap. 108.

Veneti etiam, ob receptum Patavium anno 1509. paucis ante diebus à Maximiliano Impi occupatum, hunc diem publicâ lege quotannis velut auspiciatissimum, imperijq; recuperandi initium, festum habent, solenniq; ritu celebrant. Guicciardinus lib. 8.

MATERNVS Petri discipulus fuisse perhibetur, & Treuirensis Episcopus: passus sub Nerone Imp. 15. Cal. Augusti.

XVIII.

RUFFINA paupercula Christiana, Hispali vasa fictilia mercabatur, & ex eo quaestu, necessarijs sibi ad victum reseruatis, aliorum inopiam subleuabat. Cum autem vasa in platea ciuitatis distraheret, matrona alia idolum lapideum, ex veteri consuetudine, circumferentes, postulabant ab ea vas ad vsum Dei sibi dari. Quum autem id facere recusasset, indignata matrona idolum super eius vasa proiecerunt, eaq; omnia contriuerunt. Ruffina autem idolum longius abiciens id confregit. Accusata igitur apud Præsidentem vrbs, primo equulei extensione & vngularum laniatione excruciat, deinde in carcere inedia et varijs doloribus affligitur, tandem capite plectitur, & cadaver comburitur, 14. Calend. Aug. Pet. de Nat. lib. 6. cap. 117.

XIX.

COELESTINI V. Papæ celebritas quoq; 14. Cal. Iulij, quâ die mortuus est, quotannis obseruatur, sub nomine Petri Confessoris, ex institutione Clementis 5. Auenioni facta. Platina & Volateranus in Clemente 5.

#### DE S. MARGARETHA eiusq; festo.

MARGARETHA Antiochia Pisidia oriunda, filia fuit Edessij sacerdotis Ethnici. Eius Meximiâ pulchritudine cum captus esset Olibrius Præses Orientis, & eam vxorè ducere in

XX.



DE ORIGINE FESTORVM

animo haberet, deprehenso quòd Christiana esset, & nullo modo eius in Christum fidem fl. Aera, aut emollire blanditijs posset, varijs deinde tormentis eam aggressus est. Nam humi extensa virgis primò crudeliter caesa est, deinde ferreis laminis conclusa, & clavis affixa ferreis laniata est fuscinis, ac si in carcerem ducta. Postridiò quum in sententia persisteret, iubet Praeses vt nudata lampadibus pectus vratur & latera, ac deinde de ligno deposita, in magnum libicem aquâ plenum vincta conijciatur, ac sic suffocatur: Vnde cum nihilominus euasisset, tandem caput ei amputatur 13 Cal. Aug. Sic enim Mantuanus in Fastiis canit:

Hæc aurora fuit mensis vigesima Iuli,  
Assyrijs quando vultu prælara puellis  
Post ferrum, post squalores & carceris umbras,  
Post stygios manes varia sub imagine victos  
Perdidit effuso florentem sanguine vitam.

Ab alijs tamen dicitur Margaretha passa, 3. Idus Iulij. Vnde idem Poëta sic eodem loco canit:

Sunt quoq; qui celebrant eius solennia luce  
Ter decima Iuli, quòd tunc migrasse feratur  
Ad superos: vel quòd tunc est aggressa duellum  
Suscipiens magni fortem certaminis orsum.  
Fluxit ab incertis pius hic rumoribus error.

In vulgatis tamen Calendarijs ad idem Id. Iul. dies eius ponitur, quo etiam hodiè ab omnibus colitur.

Quod autem ad Acta eius pertinet, Rudolphus Tungren. de obseru. can. cap. 11. passionem, inquit, B. Margarethæ vidi Romæ in Laterano in Canone Gelasij apocryphis adnumeratam. Baronius quoq; in Notat. ad Martyrol. Rom. non negat, in Actis eius, quæ didit Metaphrastes, & recitat Lipoman. tom. 6. & Surius tom. 4. quæ etiam ex Latinis codicibus, vt inter alios S. Mariæ ad Martyres, & S. Cecilie Transiberim, nonnulla reperiri, quæ indigeant emendatione non leui.

A parturientibus, tanquam altera Iuno Lucina, inuocatur apud Pontificios. Nugantur enim, quum martyrium subire vellet, inter cætera orasse etiam pro parturientibus, vt quacumq; in partu nomen eius inuocaret, statim editâ proli periculum partûs euaderet.

**XXI.** ARBOGASTVS ex Hybernia ortus, in Alsaciam venit, & in nemore quodam, vbi nunc Hagenoa sita est, Oratorium construxit, & prædicando verbum Dei ecclesiam collegit. Dagoberthus Rex eum Argentinam misit, vt turbas in religione excitatas sedaret, anno Domini 646. & ciuibus imperauit vt eum audirent. Præfuit ei ecclesie annos 12. Obijt anno Christi 658. Cum in agone esset, petijt vt iuxta patibulum, ad imitationem fati Christi, sepeliretur, quòd etiam factum est. Munsterus in Cosmographia. Bruschius de Episcopis & Balais Cent. 14. capite 81.

**XXII.**

MARIÆ MAGDALENÆ FESTVM.

**M**ariæ Magdalensæ in Euangelica historia sæpè fit mentio: vt quòd Christus ab ea eiecit septem demonia: quòd secuta sit Christum, ministrans ei de facultatibus suis: Luc. 8. quòd dirum spectaculum, Christum in cruce pendentem, ibiq; animam exhalantem sustinere potuerit: quòd sabbatho elapso, inter primas fuerit, quæ vnguento comparato, summo mane ad monumentum properarit: quòd Christus ei se primò patefecerit: Mat. 26. & 28. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19. & 20.

Marla Magdalene non duæ, sed vna fuit.

Controuersia autem est de hac Maria & dubitatio vetus, num vna vel plures fuerint Magdalensæ; imò an vna eademq; sit mulier, quæ Luca 7. cap. dicta peccatrix, attulit alabastrum vnguenti in domum Pharisei, & stans retro secus pedes Iesu, lachrymis cepit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngobat; cum illa quæ soror Lazari & Martha fuit, de qua scribit Ioannes 12. c. quòd in Bethania vnxit pedes Iesu: Rursumq; an vna eademq; sit cum illa, quæ in domo Simonis leprosi fracto alabastro effudit vnguentum



unguentum super caput ipsius: cuius rei gesta historiam Mattheus & Marcus conscripserunt. Insuper num & illa sit, quae Maria Magdalene dicta, Christi passioni praesens fuit, & una cum ceteris ad Domini sepulchrum unguentum attulit, cuius omnes Euangelista meminerunt. Hac de re Gerardus à Nazareth Episcopus Laodicensis librum edidit, in quo probat, Mariam Magdalenam unam tantum esse foeminam in Euangelica historia, & eam quidem fuisse sororem Lazari, his de rationibus: 1. Si Maria Magdalena non esset soror Marthae, ab Euangelistis distingueretur accuratius, sicut Iudas alter ab Iscariothe discernitur. Breuitatis autem gratia, & quia notatum fuit, cognominis non semper fit mentio. 2. Soror Marthae semper penè circa pedes Christi versatur, ut historia testatur: pedes Christi rigat & ungit, Luc. 7. & Ioan. 11. & 12. Resuscitato Christo ad pedes se demittit. Vel ex hac, inquit, nota cognosci Maria Magdalene satis potest. 3. Idem Ambrosius sentit, cum inquit: Quis unquam cognoscere potuit, quanta virtutum itinera duxerit, haud dubium quin Dominus, dum largum sanguinis fluxum siccat in Martha, dum daemones pellit ex Maria, dum quatruiduanum resuscitat Lazarum? His verbis innuit, sororem Lazari Mariam illam esse, quam Marcus Magdalenam nominans, septem daemonia dicit habuisse. Quamuis ille Pater, quod & ipse Gerardus annotat, dubitat, an plures Mariae Magdalene eiusdem nominis fuerint. Sed Augustinus de Consensu Euangelist. lib. 2. cap. 79. unicum tantum Mariam Magdalenam fuisse sentit. 4. Narratio Ioannis id ipsum testatur: Erat, ait, quidam languens Lazarus à Bethania, de Castello Mariae & Marthae sororis eius. Maria autem erat, quae unxit Dominum unguento, & extersit pedes eius capillis suis. Hoc dicens Ioannes attestatur Lucae, qui hoc in domo Pharisei Simonis factum esse narrauit. Iam itaque hoc Maria fecerat. Quod autem in Bethania rursum fecit, aliud est, quod ad Lucae narrationem non pertinet, sed pariter narratur à tribus alijs Euangelistis. 5. Hieronymi sententiam cum Augustini Gerardus concordat. Reprehendit Hieronymus eos, qui duas Marias Magdalenas ponunt. Et sic argumentatur Gerardus: Cum iuxta fidem Euangeliorum, quatuor fuisse Marias tantummodo asserat Hieronymus, necesse est, ut soror Lazari, quia ipsa etiam Maria vocatur, earum una fuerit. Sed nullam earum sororem Lazari fuisse, aliquis doctor exposuit. Matrem quippe Domini, aut eius materteras, nemo unquam probare poterit sorores Lazari fuisse. Non solum enim Maria Cleophae, sed & Maria Iacobi, ut fertur, Domini matertera fuit. Restat igitur, ut Maria Magdalene sororem Lazari fuisse credatur, aut Hieronymo, quatuor duntaxat Marias fuisse dicenti, contradicatur. 6. Gregorius in Homilijs inquit: Quam Lucas peccatricem mulierem, Ioannes Mariam nominat, illam esse credimus, de qua Marcus septem eiecta fuisse daemonia testatur. Dicit adhuc apertius, Maria Magdalene, quae fuerat in ciuitate peccatrix, amando veritatem, lauit lachrymis maculas criminis, etiam vox veritatis impletur, qua dicitur: Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. 7. Beda ait: Primò apparuit Dominus Mariae Magdalene flenti ad monumentum: deinde etiam eidem, & aliae Mariae, regredientibus renuciare discipulis. Et mox: Non dubitandum, quin ipsa sit mulier, quae, sicut Lucas refert, quondam peccatrix ad Dominum cum alabastro venit unguenti. Eadem est ergo mulier. Idem ait Anshelmum etiam astruere. 8. Latini nouerunt unam tantum Mariam, & unius tantum festum colunt.

*Ad obiectiones sic respondet:* 1. Si soror Lazari Maria Magdalena diceretur, hoc cognomine ab Euangelista Luca vel Ioanne designaretur soror Marthae. R. Non est sufficiens probatio, quia nec Marthae cognomen exprimitur. Deinde fuit mulier nota, ut non semper necesse fuerit cognomen addere. Praeterea utitur inuersione: Quia, inquit, non distinguitur, itaque eadem est. 2. Magdalena à Magdalo appellatur. Maria verò soror Lazari habitabat Bethaniae. R. Infirma est haec probatio.



quia potuit alibi nasci, & alibi habitare. 3. Ambrosius duas Magdalenas videtur asserere. R. Augustinus dissentit. Præterea Ambrosius per *Fortasse* dubiam ponit sententiam: si plures, inquit, Mariæ, plures fortasse & mulieres. 4. Hieronymus dissentit. R. Posset reconciliari Hieronymus, non eandem secundum immutabilem vitam, eandem verò secundum identitatem personæ dixisse. Sed in ultimo lib. contra Iovinianum duas ponit. Verum ipse Hieronymus se declarat in epistola ad quæstiones Ediviæ. Maria Magdalena, inquit, sola & cum altera siue cum alijs mulieribus memor beneficiorum, quæ in se Dominus contulerat, ad sepulchrum eius frequenter cucurrit: & nunc adoravit quem videbat, tunc fleuit quem quærebat absentem. Licet quidam duas Marias Magdalenas ex eodem vico Magdalo fuisse contendat, & alteram eam esse, quæ in Matthæo Dominum vidit resurgentem, alteram quæ in Ioanne eum quærebat absentem. Quatuor autem fuisse Marias in Evangelistis legimus. Vnam matrem Domini Salvatoris, alteram materteram eius, quæ appellata est Maria Cleopha: tertiam Mariam, matrem Iacobi & Ioseph: quartam Mariam Magdalenam. Ergo consentit Augustino, & in sequentibus duas Magdalenas asserentium sententiam reprobat. 5. Origenes dissentit. R. Opponimus Origeni Ambrosium & Augustinum. Concludit autem totam hanc disputationem Gerardus his verbis: Non est in hac re valde perniciosus error, unde & aliter atque aliter credi sine magno periculo potest. Bonum tamen est, si fieri potest, ut non modò de hac, sed & de omni controuersia quod verius est, vel verosimilius hoc teneatur.

Constitut. Apo  
Stol. lib. 3. cap. 6.

*His prorsus adstipulatur Baronius, qui tom. 1. Annal. pag. 117. sic scribit:* Quid de his veteres scriptores senserint, opus est diligenter peruestigare, nec non quæ à recentioribus sunt apposita, examinare. Clementis Romani nomine, in libro qui inscribitur, Constitutiones Apostolorum hæc, verba scripta habentur: Erant nobiscum mater Domini, & sorores eius, præterea Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Martha, & Maria soror Lazari, & Salome & quædam aliæ: hæc ibi; quibus distinguitur Maria Magdalene à Maria sorore Lazari & Martha; ut secundum hanc sententiam dicendum esset, duas fuisse Marias inter se diuersas, quæ vnixerunt Dominum. Sed vno verbo his liberari possemus, si apocryphum esse librum exciperemus. Sanè quidem si hæc dicta sunt à Clemente, quomodo ea latere potuerunt tot antiquos Patres, qui de ea re scripserunt: cum præsertim tanti autoris præcipua fuerit autoritas in Ecclesia: adeò ut licet eius epistola ad Corinthios scripta penitus exciderit: tamen quòd sapius citata reperitur, penè reuiuiscat integra in fragmentis. Certè cuiuslibet adiudicata causa fuisset, qui autoritate Clementis id demonstrare potuisset.

Sed prætermisso hoc quantumuis honesto de apocryphi, exceptione confugio, imprimis dicimus, attestatione Iohannis Evangelistæ apertissimè constare vnã eandemq; personam fuisse Mariam Lazari & Martha sororem cum Maria Magdalena. Nam cum in Bethania eadem soror Lazari vnxisset pedes Iesu, ac Iudas ob eam causam ei esset infensus: ipse Iesus furentis discipuli audaciam reprimens, dixit: Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ seruet illud. Cæterum eandem ipsam, quæ ad vngendum corpus Iesu paratum vnguentum ad sepulchrum attulit, Marcus Evangelista fuisse Mariam Magdalenam affirmat, quæ cum Maria Iacobi & Salome id officij exhibuerit, cumq; nec aliqua apud eum vel alios Evangelistas habeatur mentio de Martha sorore Lazari ad illud munus præstandum à Domino præmonstrata: cognosci perfacile potest, vnã eandem fuisse Mariam, quæ vtramq; obierit functionem. Quòd verò spectat ad refellendam Clementis nomine suppositam autoritatem, dicimus ab aliquo alio ea verba esse addita longè post Clementis tempora: idq; euidenti coniectura. Origenes enim testatur

In Matth.  
cap. 23.



testatur complures, qui ante se vixerunt, scriptores Ecclesiasticos, vnam tantum eandemque fuisse mulierem, quæ sæpius Iesum vnxit esse profectos, nec aliquem dici existuisse, qui de pluribus sententiam astruere ausus sit, nouit quippe ipse non tantum authentica scripta Clementis, sed etiam apocrypha: nam eodem ipso tractatu, alia tamen occasione, ex eiusdem Clementis Itinerario citat quandam Petri sententiam.

Primus autem auctor, qui plures, scilicet tres vel quatuor inter se distinctas feminas, quæ Iesum vnixerint, ponat, fuit aliquando idem ipse Origenes, quem ex Græcis sectati sunt Theophylactus in cap. 14. Marci atque Euthymius in Matt. 26. c. Verum idem Origenes sanioris iudicij effectus, longè diuersam firmat sententiam: nimirum vnam eandemque fuisse mulierem, quæ in domo Simonis vnxit pedes Iesu, cum Maria sorore Marthæ, ac Magdalena, quæ ad sepulchrum cum vnguento accessit. Id quippe ipse proficetur in insigni illâ, ac tam celebri homilia de Magdalena, in qua totius Atticæ eloquentiæ vela pandit. Reddam ipsius verba, quò hæc certius cognoscantur. Sic enim ait in Apostrophe ad Magdalenam: Fortasse nescis an diligat te. Olim te diligebat, à Phariseo te defendebat: à sorore tua diligenter excusabat: olim laudabat te, quando vnguento pedes eius vnguebas, lachrymis rigebas, capillis tergebas: dolorem tuum mulcebat, peccata dimittebat, &c. Rursum in fine hæc habet: Ploret vnusquisque ad Iesum, quærat fideliter Iesum, quia non celauit quærenti se peccatrici. Dilce peccator homo à peccatrice muliere, cui tamen dimissa sunt peccata sua, &c. Ex his planè perspicuè intelligitur, eundem Origenem, profiteri vnam eandemque esse Magdalenam, quæ vnxit olim pedes in domo Simonis, cum sorore Marthæ, atque illa, quæ dicta Maria Magdalene ad sepulchrum cum vnguento accessit.

Post Origenem Eusebius Pamphili ad Marin. de duabus Magdalenis ponit opinionem; cum ipse tamen nihil prohibere dicat, quin vna eandemque dicatur. Ioannes Chrysostomus in Matth. hom. 81. de his differens, duas inter se diuersas dicit fuisse mulieres, quæ Christum vnixerunt; alteram innominatam, cuius tum Lucas, tum alij meminerunt; alteram vero Mariam sororem Lazari, atque Martæ, confirmans, & hæc ipsa alibi distinguit peccatricem à sorore Lazari, sicque vnam eandemque fuisse testari videtur, quæ vnxit pedes in domo Simonis, & quæ postea vnguentum super caput Iesu recumbentis effudit. Hieronymus in Matthæum 26. c. & ipse duas fuisse affirmare videtur, sed non eo modo quo Chrysostomus: nam cum vnam eandemque putat, quæ vnxit pedes, ac inde caput in Bethania; ab ea tamen esse diuersam dicit, quæ apud Lucam ponitur in ciuitate peccatrix, ac eū hæc subdit verba: Nec enim poterat statim capite digna fieri meretrix, planè insinuat, se nec negare, quin & illa quæ effudit vnguentum super caput, ipsa peccatrix fuerit. Idem verò ad Marcellam scribens, Mariam Magdalenam, & mulierem illam peccatricem vnam eandemque fuisse, affirmat his verbis: Maria Magdalene ipsa est à qua septem Dæmonia expulerat, vt vbi abundauerat peccatum, superabundaret gratia, hæc ille: qui & alibi dum numerat Marias, nec recenset inter eas Mariam sororem Lazari, planè eandem & vnam esse cum Maria Magdalene, quam quartam ponit, aperte significat. Ambrosius autem in Luc. 7. c. non dubitat, quin eadem sit, quæ vnxit pedes & caput in Bethania: an verò eadem fuerit illa peccatrix, affirmare non audeat, sed sic ait: Potest autem non eadem esse, ne sibi contrarium Euangelistæ dixisse videantur: potest autem metiri quæstio, & ex temporis diuersitate dissolui, vt adhuc illa peccatrix, ista perfectior: etsi non personam mutat Ecclesia, tamen, mutat profectum, hæc Ambrosius: qui in sua præfatione dici solita in Ecclesia, celebritatis die S. Maria Magdalene, eandem ipsam vnamque cum peccatrice fuisse confirmat: quod etiam demonstrat idem Ambros. in lib. de

Origenis pe  
terior sententia.



Salomon. c. 5. dum recenset miracula in tribus illis Martha, Maria & Lazaro facta, dicens: Dum largum sanguinis fluxum siccet in Martha: dum Dæmones pel-  
lit ex Maria: dum corpus rediuiui spiritus calore constringit. Augustinus tractat,  
in Iohan. 49. de ea re anceps, quid certi affirmare non audet, dum sic ait: Ecce ipsa  
soror Lazari (si tamen ipsa est, quæ pedes Domini unxit unguento, & terfit capil-  
lis suis, quos lauerat lachrymis, melius suscitata est, quam frater eius.) Idem ta-  
men de Consensu Euang. lib. 12. c. 79. dum hæc accuratiùs expendit, ac subtilius di-  
sputat, veram confirmat esse sententiam, vnam eandemq; fuisse sororem Lazari  
cum peccatrice. Georgius istud ipsum sæpius profitetur hom. 25. 33. & in Regist.  
ep. 186. Beda in cap. 5. Luc: etiam & cæteri.

Anonymi sen-  
tentia.

At quoniam incidimus in scriptum quoddam nostri temporis hominis, cuius  
iccirco nomen subtricemus, quod illud nondum edidit, nec ab eo edendum puta-  
mus, qui distinguit Mariam Magdalenam, ab ea quæ erat in ciuitate peccatrix:  
eas quibus ille nititur, rationes in medium afferre, ac confutare operepretium du-  
cimus. Ad stabiliendam enim suam sententiam, illud inprimis conatur ostende-  
re: peccatricem illam, cuius Lucas meminit, non fuisse Iudæam, sed Gentilem fœ-  
minam: cùm è contra de Magdalena exploratum habeatur fuisse Iudæam: Lex  
inquit Deut. 23. diuina præcipit, vt non sit meretrix, ex filiabus Israel. Porro Phari-  
sæi legis diuinæ obseruantissimi cum essent, haud passi fuissent filiam Israel esse  
quæstuariam. Studet & id ipsum ex verbis Euangelistæ extorquere, quod apud il-  
lum Simon dicat: Hic si esset Propheta, sciret vtriq; quæ & qualis est mulier, quæ  
tangit eum, quasi illud, quæ, patriam significet, & quod esset gentilis insinuet. Sed  
inania prorsus hæc sunt. Quid enim? lex diuina prohibet esse meretricem in Is-  
rael; non lex eadem omnia peccata vetuit, & tamen nedum vulgares homines,  
sed nec ipsi legis custodes Pharisei eam obseruabant: exprobrante illis Domino,  
ac dicente: Nemo ex vobis facit legem? Caterùm cùm nulla pœna statuta à lege  
aduersus Israelitas meretrices, sicut contra adulteras, reperiatur, non esse id gene-  
ris crimen, quod per iudices puniretur, sed quod haberet tantummodo Deum vl-  
torem, satis apparet: nisi dixerimus eâ tantùm pœnâ meretrices affectas videri,  
quod earum oblatio non reciperetur à sacerdotibus, prohibente hoc diuina scri-  
ptura: quæ & mox, vt prohibuit, ne sit meretrix ex filiabus Israel, subdit: Non of-  
feres mercedem prostibuli. Sed an non meretrices Israelitæ illæ erant, quarum cau-  
sam a deo sapienter Salomon iudicauit, nec vllum illis, quod meretrices essent, ne-  
gotium fecit? Certè quod ad legem diuinâ spectat, faciliùs Iudæi passuri essent esse  
meretrices Israelitas, quàm alienigenas, atq; gentiles, cùm ad alienigenâ accedentem  
hominem Iudæum, ab omnibus occidi posse, licitū esse videretur: nam ea de causa  
tantopere laudatus est Phinees, quod Israelitâ cū Madianitide in lupanari cuban-  
tem aggressus, ambos confodit gladio. Rursum si non essent permixtæ Israelitæ  
meretrices in Iudæa, inanis ea esset legis diuinæ præceptio, quâ prohibebatur, ne  
sacerdos duceret vxorem meretricem, haud dubiè ex fœminis Israelitis: nam a-  
lienigenam ne virginem quidem fas erat habere coniugem. Ex his itaq; satis con-  
stare videtur, peccatricem illam, quæ unxit pedes Iesu in domo Simonis fuisse  
Iudæam mulierem; nec quicquam esse impedimento, quò minùs vna sit cum Mag-  
dalena. Equidem liquidò constat, quod si gentilis fuisset fœmina, Euangelistæ,  
quemadmodum de Chananæa vel Syrophœnissa, vt de re inusitata loquentes, ne-  
quaquam silentio prætermisissent.

3. Reg. 3.

Num. 25.

Leuit. 22.

Adhuc obiicit, quod & alij eandē sectantes sententiam obiecerunt: peccatricem  
hanc fœminam, cuius meminit Lucas, habitasse in Galilæa, & quod à multis cre-  
ditur in ciuitate Naim, illam autem sororem Lazari, atq; Martha in Bethania pro-  
pe Hierosolymam egisse cum suis, constare. At quid volunt meretricem fœminam  
vno



vno loco consistere, nec in aliam regionem commigrasse: cum de his loquens diuina Scriptura, meretricem garrulam, vagam, & quietis impatientem, nec valentem domi consistere: certè eiusmodi fœminas suam patriam auersari, & alienas quærere ciuitates, quo liberius pudoris laxent habenas, nec à cognatis vel optimis amicis commoneantur, plus satis docet experimentum. Sic vt de hac, cuius maxime meminit Lucas, iure dicere possumus à suis secessisse, atque in Galilæam commigrasse, inde verò meliorem factam, ad propria rediisse: licet à illa honestior causa afferri posset, vel quod ibi nupsisset, vel quod quippiam aliud actura in Galilæam profecta esset. Verum non indigenam, sed natam esse in Galilæa testantur, eò quod in Galilæa sit oppidum in tribu Nephtalim, Magdalen dictum, vnde Magdalenam volunt esse cognominatam. Dicere adhuc possemus, Magdalenam dictam à Magdal oppido in tribu Iuda posito, vel à Magdalo apud Ægyptum, sed concedamus ita esse denominatam à Magdalen Galilææ ciuitate: nunquid eam ob causam fateri cogimur illic esse natam: cum certum sit, morem fuisse Hebræorum à loco vbi quis habitat, nomen accipere, vt Euangelista de Domino ait, quod Nazarenus sit appellatus, quia Nazareth habitauit.

Porro cum peccatrix mulier, quæ in Galilæa pedes Christi vnxit, eadem Magdalena fuisse dicatur (quod tradant Euangelistæ Magdalenam vnã esse ex illis mulieribus, quæ de Galilæa secutæ sunt Dominum ministrantes ei) cumq; superius ostenderimus ex ipsius Domini verbis, vnã eandemq; esse sororem Marthæ & Lazari cum Magdalena quæ ad sepulchrum vnguentum attulit: iam satis constare videtur, peccatricem fœminam, Mariam Magdalenam, atq; sororẽ Marthæ vnã eandemq; esse personam, sicq; iam peroratam esse causam, nisi adhuc leuibus quibusdam obiectionibus satisfaciendum esset: vt cum dicitur: Si Magdalena à qua Dominum septem Dæmonia eiecisse testantur Euangelistæ, ipsa vnã eandemq; est cum illa peccatrice: tunc aut septem ille ab ea dæmonia eiecit ante vncionem pedum, vel postea. Si antea, quomodo non tunc, sicut libera à dæmonijs, ita etiam delierit esse meretrix; quod si desisset, cur apud Lucam peccatrix dicitur, & mox ea de causa, quod magno animi amanti ardore, plura illud officium exhibuerit, fuisse illi peccata dimissa, quod Christi testimonio comprobatur diceatis: Remittuntur ei peccata multa. Si verò postea à septem illis dæmonijs est liberata: cur post dimissa illa peccata à dæmonijs est obsessa? Hoc dilemmate nitentur scriptor ille, de quo antea, dum Magdalenam à peccatrice muliere esse diuersam statuere & affirmare conaretur. Sed quæ necessitas vrget, vt ante vel post vncionem curata fuerit peccatrix illa, cum eodem ipso tempore, quo illa pietatis præstabat officia, septem illi dæmones ab ea exire potuissent: quod si nihil eius modi scribat Lucas Euangelista, nec idem, cum paulo post de Maria Magdalena habet mentionem, dicens ab ea exiisse septem dæmonia, quando id factum esset, narrat: adeò vt multa de ea ab ipso esse prætermissa, necesse sit affirmare. Adhuc quid impedit quo minus hæc ad vncionem contingere potuissent: nimirum vt liberata à septem illis eam obsessibus immundis spiritibus, mox in se reuersa, delictorum poenitens, illud grati animi obsequium præstiterit? Nec est etiam, quòd aliquod sequatur absurdum, si postea eam obsessam, ab illis nequam spiritibus dixerimus: cum magna Dei prouidentia, etiam pios ac iustos viros his aliquando cruceari sit permissum, vt pluribus monstrat Iohannes Chrysostomus in libro de prouidentia Dei, & Hieronymus ad Paulam sic scribens. Quæ causa est, inquit, vt sæpe bimuli, trimuliq; & vbera materna lactantes à dæmonio corripiantur? Inscrutabilia hæc inscrutabili altissimi Dei iudicio sunt referenda. Certè quidem eiusmodi facinorosas mulieres quantumuis poenitentes ac Deo per omnia placentes affectæ fuerint suorum indulgentiam delictorum, nihilominus acerbior

X

Ios. 15.

Exod. 14.

Matth. 27.

Mar. 15.

Luc. 3. 33.

Dilemma soluitur.

Luc. 8.



DE ORIGINE FESTORVM

ribus solere infestationibus demonum exagitari, qui res gestas Pelagiae poenitentis & Mariae Aegyptiacae, & aliarum legerit plane intelliget.

Hæc cum ita se habeant, non tamen sic dicimus, vt affirmemus illam post vntionem pedum id passam esse: cum enim non scribat Euangelista quando id acciderit, nec nos præsumimus definire. Bene quidem demonstrasse voluimus, quolibet id tempore accidere potuisse, nihilq; omnino veritati repugnare, si vnam eandemq; & peccatricem illam dictam mulierem & Magdalenam existimandam esse affirmemus. At verò cum tam insigniter testetur Iohannes Euangelista, Mariam sororem Lazari & Marthæ eadem esse cum illa, quæ vnxit Dominum vnguento, & pedes capillis extersit, nulla videtur relicta dubitatio, quin vna eademq; sit, quæ in primis peccatrix; inde Maria soror Lazari & Marthæ & Magdalena demum est appellata: cum præsertim superius ostenderimus ex ministerio exhibito sepulturæ, eandemq; Lazari sororem esse cum Magdalena: licet verba illa Iohannis, quibus loquens de Maria sorore Lazari & Marthæ in hunc modum: Maria erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis: cuius frater Lazarus &c. dicta esse velint ab Euangelista per recapitulationem, alludente non ad illam pedum vntionem factam in Galilæa, sed eam potius, quæ facta est in Bethania, cuius idem Iohannes meminit sequenti capitulo: sicq; distorquent, cauillanturq; germanum sensum Euangelistæ; cum aperte constet ex eo ministerio, quæ nam esset illa Maria Marthæ soror, voluisse nostrum Euangelistam monstrare ac patefacere: qui quidem si non de illa, quæ vnxit in Galilæa intellexisset, non tantum eo signo quæ nam esset, non significasset sed potius obscurasset, ac confudisset, nimirum quia illa prima, quæ vnixerat in Galilæa, videretur esse descripta. At quoniam de illa loquebatur, non alio ad eam demonstrandam opus erat signo, quod quidem non suffecisset, sed aliud necessario addendum fuisset, vt hanc ab illa distingueret; si de alia ab ea diuersa intelligere voluisset.

Festum hoc  
quis instituerit.

Festiuicatis autem Mariae Magdalena, hac die celebranda, Alberonem, quem Marianus Scoti Appendix Perodolberum vocat, Laodicensium Episc. inuentorem fuisse narrat Catalogus eiusdem sedis antistitum, circa annum 1125. Eandem solennitatem in suo Episcopatu instituit Theodericus, natus sanguine Comitum de Isenburg, & Episcopus Monasteriensis, quod eo die primum posuisset lapidem Ecclesie nouæ S. Pauli, Cranzi. lib. 8. cap. 5. Metrop. Factum circa annum 1230. Lubecenses quoq; eam hac occasione obseruare ceperunt anno Dom. 1227. Ipso die Mariae Magdalena dicato, manus conseruerant Lubecenses cum Vualdemari regis Daniæ copijs. Verum quia Lubecenses aduersum Solem habuerunt, votum vouerant, se quotannis festum diem Mariae Magdalena solenniter celebraturos, si pralio superiores existerent: & ex templo nugantur Mariam Magdalenam se Soli obiscisse, & tandem etiam post pugnam dubiam victoriam penes Lubecenses fuisse: Cranzius lib. 7. cap. 41. Saxonia. Sic bello Ligustico 3. pace inter Venetos & Genuenses facta, restituti hinc inde captiui, Genuenses, qui ad duo millia fuere, die Magdalena vinculis soluti, ad illius adem longo agmine quasi Diua suam salutem gratulaturi, cum luminibus accessere. Mouit nouum illud spectaculum Venetam ciuitatem ad religionem, vt iam inde diem ipsum, quod antea non fuerat, inter solennes ac festos habuerit: Sabellicus lib. 3. Dec. 2.

Sigebertus anno 745. refert, Maximinum, vnum de LXXII. discipulis, ad Gallias transfuentem, Mariam Magdalenam secum adduxisse, eamq; apud Aquensem urbem, sepeliuisse defunctam. Aquensi verò vrbe à Saracenis desolata, corpus eius à Gerardo Comite Burgundia ad cœnobium Vuiceliacum à se constructum transtulisse: Alios tamen scribere, quod Ephesi quiescat, nullum super se tegmen habens, eadem etiam fuit opinio Græcorum. Zonaras autem libro tertio Annal. testatur, Lazari corpus è Cypro insula translatum Constantinopolim, itemq; Mariae Magdalena, eaque à Leone Imperat. cognomento philosopho condita esse in basilica à se erecta dicitur.

APOL



**APOLLINARIS** Rauennæ Episc. captus ab idolorum sacerdotibus, præcipitatur in mare vnde tamen ereptus est. Sed virgis cæsus, ardentes carbones nudis pedibus premere cogitur: quum autem subiectus ignis nihil eum læderet, in exilium mittitur. Aliquandiu autem latens, profectus est in Emiliam, & ibi Christum prædicauit. Compræhensus autem à Præfecto, equuleo cruciatur, inq̄ eius plagas aqua feruens infunditur, saxoq̄ os tunditur: mox ferreis vinculis constrictus, includitur in carcere: quarto deniq̄ die imponitur naui, & in exilium mittitur. Cum in Toracia in Serapidis templo dæmon se responsa daturum negaret, dum Apollinaris ibi moraretur, & inde rursus pellitur. Itaq̄ reuersus Rauennam, ab iisdem illis idolorum sacerdotibus Centurioni custodiendus traditur, sed quum esset Christianus noctu Apollinarem dimisit. Recognitâ, satellites eum insequuntur, & plagis in itinere confectum, quod mortuum crederent relinquunt. Quum quum inde Christiani sustulissent, septimo die exhortans illos ad fidei constantiam, migravit ad Dominum suum, 10. Cal. Aug. anno Christi 70. Nouum Breuiarium Rom. & Pet. de Nat. lib. 6. cap. 128.

XXIII.

**S. BRIGIDA**, Regina quondam Suetiæ Neritiæ, qua peculiarem Ordinem monasticum virorum & mulierum instituit, ut in libro nostro de Origine Monachatus eiusq̄ Progressu indicauimus, hoc etiam die festo colitur, quod tunc mortua esset anno Domini 1373. A Bonifacio IX. circa annum 1400. ascripta est in Catalogum Sanctorum. Antoninus iii. 22. cap. 3. Cranzius in Sax. lib. 10. cap. 13.

**CHRISTINA** nobilissimis parentibus in Italia orta, sed idololatris, acerba multa ab eisdem propter Christi confessionem perpeffa est, tandemq̄ tyrannis tradita, post horrendos cruciatus, capite mulcata esse dicitur. 9. Calen. Aug. anno Christi 287. Iacobus tamen de Voragine Legenda 93. & Pet. de Nat. lib. 6. cap. 130. sagittis interemptam volunt.

XXIIII.

## DE S. IACOBI APOSTOLI FESTO.

**S. IACOBVS** Apostolus, qui dicitur Maior, ad differentiam Iacobi Minoris, filius fuit Zebedæi & Mariæ sororis matris Domini, à quo Mariæ Iacobi cognominata est, sicq̄ consobrinus extitit Christi, & frater Ioannis Euangelistæ. Beda in Collectaneis agens de diuisione Apostolorum, Iacobum hunc in Hispanias profectum esse testatur: id ipsum quoque Turpinus in libro de gestis Caroli M. atq̄ Calixtus Papa 11. affirmant. Sed cum omnium Apostolorum S. Iacobus primus martyrio ex hac vita migravit, & quidem ante diuisionem Apostolorum, apparet hanc Bedæ & aliorum sententiam falsam esse. Hierosolymis maiorem vicæ sue partem exegit: interdum & in vicinia occasione data docuit. Tandem Hierosolymis ab Herode interfectus est, anno 3. Claudij, Christi verò 45. ante diem Azymorum, Act. 12. Et credibile est ibidem à fidelibus sepulcrum Iacobum, quum de translationibus corporum Sanctorum in longinquas regiones in Apostolorum Actis nihil legamus. Posterioribus demùm temporibus, de translatione huius Iacobi in Hispaniam, & sepulchro, mira sparsa sunt mendacia, in quæstum à sacrificulis excogitata. Quidam enim à discipulis eius corpus integrum naui impositum sine remis & velis angelo duce in Galiciam Compostellam Hispaniæ translatum esse dicunt 8. Cal. Aug. vnde etiam tunc festum eius celebratur, non 8. Cal. April. quando passus est: Cum autem terra appulissent, & corpus super magnū lapidē posuissent, illum mox ut ceram corpori cecidisse & in sarcophagum conuersum esse fabulantur. Postea discipulos Lupam reginā adijisse, siq̄ dixisse, Iesus Christus mittit ad te corpus discipuli sui, ut quem noluisti suscipere viuū, suscipias defunctum. Lupam reginam, ad fidem conuersam, ex suo palatio D. Iacobo ecclesiam dedicasse, eumq̄ ibi sepeluisse, & omnia sua ornamenta ecclesie consecrâsse. Beletb in Ration. cap. 140. Pet. de Nat. lib. 6. cap. 133. Iacobus de Voragine Legenda 94. qui hoc ex Beletbo referunt, alioquin apud nullum probatum authorem legitur. Alij truncum corporis D. Iacobi Tolose, & caput tantum Compostellæ sepulcrum dixerunt. Et nostri quidem homines Compostellæ D. Iacobi siue corpus integrum, siue truncum aut caput saltem, iam aliquot seculis, magnis transactis itineribus, religionis ergo visitârunt.

Compostella-  
na peregrina-  
tio vade.

XXV.



DE ORIGINE FESTORVM

Erroris autem mendacijq̄ causam hanc esse autumat Funckius libro 5. Comment. ad suam Chronologiam. Raphael Volateranus Geogr. lib. 2. tradit, Alphonsum III. qui ob res egregias gestas cognomento Magnus dictus est, & circa annum Christi 883. regnare cepit, Templum D. Iacobo Compostella edificasse: & nihil de hoc amplius dicit. Iacobus tamen de Voragine in Lombardica historia Legenda 187. ex Turpini Remensium archiepiscopi scripto ad Leoprandum Diaconum Aquisgranensem indicat, Carolum M. in Hispania ex auro quod Reges & Principes sibi dederint D. Iacobo templum extruxisse, idq̄ alijs omnibus superius fecisse, & ei subiecisse Hispaniam & Galiciã; iussisse etiam, ei de singulis domibus quatuor nummos quotannis pendere. Sic etiam nugatur Vincentius lib. 24. c. 17. ex Turpino. Addit Sabellicus Enne. 8. lib. 8. & Erphordiensis cap. 68. Turpinum, vna cum alijs nouem Episcopis, pro quibus Turpinus in lib. de gestis Caroli M. 60. ponit, hoc templum consecrassse, eamq̄ ecclesiam principem in omnes alias constituisse. Vt videas, incertum esse quis hoc templum extruxerit: quidam enim ad Lupam Galicia reginam referunt, alij ad Alphonsum Regem, nonnulli ad Carolum Imper. Scripturae autem diuersae & fides sibi inuicem derogantes nihil firmitatis habent. Hinc ego conijcio, quum sequentibus inde seculis, peregrinationes ad Sanctorum templa increbrescerent, magnoq̄ ea res sacrificulis auaris quaestui esset, quendam habendi cupidine ductum, hoc mendacium templo illi affinxisse, quod corpus Iacobi Apostoli illuc translatum esset. Cui deinde ficta miracula, apud imperitum vulgus fidem fecerunt: donec tandem inualescente fama, ea, quae tribus iam seculis fuit, peregrinatio sit exorta. Et quum à peritis rerum quaesitum esset, quo pacto, aut quando corpus Sancti eò allatum esset, quicquid fingere, quod lucro esset, hypocrisis & temeritas non est verita. Hoc etiam die Peregrini & Hispani equites feriantur.

DE S. CHRITTOPHORO eiusq̄ festo.

CHRISTOPHORI memoria hoc ipso quoq̄ die celebratur. Duxit is iuxta Monachorum Legendas, ex Cananea originem, fuitq̄ corporis statura procerus admodum, & gigantea proceritate, duodecim minimum vlnas cubitusue altus, vt vix pinum inuenias proceriorem. Diuinitus autem illuminatus, in Lyciam eo animo venit, vt Christum passim predicaret. Captus autem à rege Dagno, in caput Christophori galeam ignitam iussit imponi, cum prius atrociter ferreis virgis casus esset: deinde ad scamnum ferreum, quod corporis eius staturam aequabat, eum alligari, ipsumq̄ multo supposito igne inflammari, Christophorum exuri, & corpus illius feruenti oleo perfundi praecipit. Admirabili autem modo liberatus, Christum rursus praedecavit, sed comprehensus, ad palum alligatur, & milites sagittis eum conficere volebant, mansit autem prorsus illaesus. Itaq̄ ad extremum, capitis oberuncatione martyrium suum compleuit, 8. Cal. Aug. Sic Bergomensis & Hartmanni quoddam Chronicon. Item Petr. de Nat. lib. 6. cap. 135. & Lombardica historia cap. 95. sed ex nullo antiquo & probato auctore. Nicephorus lib. 5. cap. 27. simpliciter Christophorum sub Decio martyrem factum indicat: tormentorum & supplij generis, de quo priores multa nugantur, ne verbo quidem meminuit. Vnde Baronius quoque Acta eius non magnifacere videtur in Notat. ad Martyrol. Rom. Huius, inquit, Acta deprauata ac inter se diuersa admodum reperiuntur. Edidit ea primum Mombritius tom. 1. vit. Sanct. Petrus in Catalogo lib. 6. c. 135. Vincentius in Hagiolog. paucis contraxit. Legimus eadem in nonnullis antiquis codicibus, quae & Surius retulit tom. 4. sed omnia quae censurâ indigeant. Irrepsit inter alia, vt pro Decio Imp. Dagnus quidam sit positus, &c.

Fabula Christi  
tophori.

Huic narrationi de eius martyrio, progressu temporis multa alia fabulosa assuerunt, quae paucis referam ex Legenda Iacobi de Voragine & Petr. de Natal. Christophorus aliquando oberrans, & dominum quaerens, seruiuit primò Regi cuidam Chananaeorum, tum alteri cuidam Christiano: à quo discedens diaboli se seruitio mancipauit: eo quoq̄ relicto, Christo, quem tamen non verè nouit, nomen suum dicauit, & tandem ad Eremitam venit, à quo iussus est migrare ad proximum fluum, ac per eum, quod ingenti esset statura, peregrinantes transportare. Quo

Quo



Quo munere dum aliquandiu functus esset, noctu tandem puer venit, qui se deferri per flumen ab eo petijt. Eo igitur in humeros sublato, flumen ingreditur: aqua autē in immensum intumuit, ac visus est sibi Christophorus onus grauisimum portare. Exportatus autem ad littus, Christophorus de gravitate oneris conqueritur: cui puer dixit, non ei hoc mirum videri debere, quandoquidem creatorem totius mundi portarit, se enim esse Christum, & simul euanuit. Hæc narratio de Christophoro peruulgata est, sed veram historiam non esse quibus intelligit. Vnde Vucelius etiam, postquam Christophori martyrium in suum Hagiologium transcripsit ex Ruggero Fuldenfi, qui claruit anno Domini 1156. tandem concludit, De transitione eius per mare, & alijs, quæ pinguntur, nullam syllabam legi: vt refert Molanus lib. de Picturis cap. 22. Pugnatur etiam cum articulo Fidei, Ascendit in cœlos, inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Et ne huiusmodi imposturis fidem adhibeamus Christus ipse nos monuit Matt. 24. c. inquit: Tunc si quis vobis dixerit, Ecce, hic Christus, aut hic, ne credite. Item, Si dixerint vobis, in deserto est, ne credite, neque egredimini, &c.

Vucelius de  
transitu Chris-  
tophori per flu-  
men vel mare.

His omnibus adstipulatur etiam Baronius in Notat. suis ad Martyrologium Rom. die 25. Julij. Quod pertinet, inquit, ad giganteam staturam, quâ pingi consuevit, quid dicam non habeo: referam hic tantum ex hymno veteri, qui legitur in Breviario Toletano secundum regulam Isidori hos versus, quibus eius imago describitur (sed non eo modo quo pingitur, & à Voragine ac Petro in Catalogo narratur.)

Baronius.

Elegansq; statura, mente elegantior,

Visu fulgens, corde vibrans, & capillis rutilans.

Ore Christum, corde Christum Christophorus insonat.

Cogitationem tamen pij cuiusdam hominis hanc narrationem fuisse, & allegoriam de Ecclesia & fidelibus interpretandam, non negauerim. Probari hoc etiam videtur Baronius, qui dicto loco hæc scribit: Ea cuncta quæ de S. Christophoro feruntur, de palma, flumine, statura procerâ: Ea, inquam omnia Hieronymus Vido Episcopus Albæ allegorico sensu interpretata egregio cecinit epigrammate, &c. Et Andreas Hyperius in libro de Studio Theologico hanc allegoriam sic explicat lib. 3. c. 31. Pictura Christophori adumbrat Euangelij præconem, qui dum Christum extollit & circumfert visendum, cognoscendumq; omnibus, periclitatur in procellis & fluctibus huius mundi, atque à malis hominibus tanquam monstris & belluis marinis vndiq; infestatur, sed tamen indefessè respectans ad lucernam verbi Dei, quam sancti Patres, Prophetæ & Apostoli de Ecclesia prodeuntes, accensam ostentant ac protrudunt: nixus præterea spe iucundissimorum fructuum in posterum, & vel post hanc vitam recipiendorum, quos baculus supernè virens & florens promittit: & contentus tenui sorte, victu nimirū ac vestitu, quod testantur in pera panis & pisciculus, vili parables: item vestis curta, & minimè laciniosa, tandem ad littus & stationem contendit, vbi quietè & gloriâ æternâ, cum Christo, quem gestauit, fructur.

Andreas Hyperius.

Votum faciunt hoc die in Papatu matres in balneis, pro infantibus vt crescant.

S. ANNA mater fuit virginis beatæ Mariæ Dei genericis, de tribu Iuda, et ciuitate Bethlehem. Ea tribus viris successiuè nupta fuit. Ex quorum primo Ioachimo B. virginem Mariam genuit: ex secundo, aliam filiam Mariam nomine similiter peperit, quæ nupta Alpheo, quatuor filios edidit, Iacobum minorem Apostolum, Iosephum Iustum, Simonem & Iudam. Ex tertio, Salome dicto, tertiam filiam, Mariam etiam nominatam procreauit, quæ Zebedæo nupta, Iacobum maiorem Apostolum & Ioannem Euangelistam genuit, & ante huius mariti obitum in pace quieuit, 7. Cal. Aug. vt tradit Hieronymus. Eius diem festum, quemadmodum etiam Iosephi, Sixtus 4. Papa solennitatibus veterū addidit: Onuphrius in Appendice ad Platinam, & Balæus in vita Sixti. Et Gregorius 13. Apostolicis literis datis anno 1584. Calend. Maij, firmavit auxitq; hoc festum, præcipiens, vt perpetuis futuris temporibus B. Annæ dies festus 7. Cal. Augusti per totius orbis Ecclesias duplici officio quotannis recolatur, Romanisq; ac aliarum Ecclesiarum addatur, & Duplex ei adscribatur.

XXVI.



DE ORIGINE FESTORVM

Parafrenariorum, ita vocant famulos à pedibus, hoc die multis in locis sunt feriae.

XXVII.

S. MARTHA in vulgatis Calendarijs ad hunc diem ponitur: sed à Pet. de Natal. lib. 6. cap. 15. dicitur passa 4. Cal. Aug. hoc est 29. die Iulij. Fuit soror Lazari & Mariae, vt Evangelica historia testatur. Ambrosius putat, hanc fuisse eam, quam Dominus à sanguinis profluvia liberauit. Multa manifestè falsa à Pet. de Natal. de ea narrantur, nempe, quòd ex regali proge-  
nie descenderit; patrem enim eius Syriae & maritimae, multarumq; regionum ducem fuisse: item, quòd Martha tria oppida Magdalum, veramq; Bethaniam & partem Hierosolymae cum so-  
rore iure materna hereditariè possederit: quòd haemorrhoida illa fuerit, quam Christus à flu-  
xu sanguinis liberauit: quòd post ascensionem Christi in magna persecutione cum sorore, La-  
zaro fratre, Marcilla Marthae pedisequa, & Maximino, qui eos baptizauit, & alijs pluri-  
bus, à Iudaeis mari, sine remis, velis & gubernaculis, sint traditi & commissi, & tandem  
Massiliam appulerint: quòd ibi draconem horrendum & regionem illam infestantem, cruce  
Domini producta aqua benedicta asperserit, moxque illum velut agnum cingulo proprio alli-  
gauerit: quòd ibi de licentia Maximini & sororis manserit, ac sororum multarum conuentu con-  
gregato ecclesiam in honorem B. Mariae aedificauerit, monasteriumque construxerit, in quo iui-  
nijs, & orationibus vacauerit, sequè mirè poenitentia afflixerit: quòd verbum Dei populo pra-  
dicauerit & iuuenem quendam à mortuis suscitauerit: quòd obitum eius ante annum Dominus ei  
reuelauerit, quo toto tempore febribus laborauerit: ante octo verò dies exitus sui angelicos choros  
sororis suae animam ad caelos deferre conspexerit: quòd, cum finem suum appropinquare intelli-  
geret, adstantes admonuerit, vt luminaribus accensis circa se vsq; ad mediam nocte vigilarent:  
custodibus verò somno grauatis, ventus vehemens irruerit, luminaria extinxerit & maligno-  
rum spirituum turba affuerit, precibus autem intentata sororem sibi assistentem conspexerit, quae  
facem tenens lampades accenderit: dumque se ex nomine mutuo vocarent, Christus adfuerit,  
qui illam ad caelestia inuitauerit: cum autem ad extrema peruenisset, se foras deferri, vt caelum  
aspiceret, fecerit, & cineri consperso se supponi iusserit, signumque crucis coram se teneri, & pas-  
sionem secundum Lucam sibi legi, ac dum diceretur, Pater in manus tuas, &c. Spiritum emise-  
rit 4. Cal. Aug. &c. De his sic scribit Baronius in suis Notat. ad Martyrolog. Rom. Praeter  
illa quae S. Lucas 10 & Iohannes 11. & 12. c. de Martha scripserunt, feruntur quae-  
dam Acta nomine Marcillae pedisequae, quae recenset Mombrin. tom. 2. sed quae re-  
uera magis recentiorum aliquem praeseferant scriptorem, &c. Eiusdem ferè gene-  
ris esse noscuntur ea quae Petrus de Natal. breui compendio refert in Catal. libro  
6. cap. 151.

XXVIII.

PANTHALEON Nicomediae Senatoris filius, & Medicae artis studiosus, à quodam  
Hermolao in religione Christiana institutus, eam constantissimè professus est. Tandem post  
varios & horribiles cruciatus capite truncatus est sub Maximiano Imp. 5. Cal. Aug. Pet. de  
Natal. lib. 6. cap. 146.

XXIX.

BEATRIX Romana, sub praetextu Christiana religionis à Lucretio Imperatoris vica-  
rio comprehenditur, reuera autem, quòd praedio eius suo vicino, inbiaret, & in carcere clam  
noctu strangulatur, vt eo potiri posset, 4. Calend. August. circa annos 287. Pet. de Natal. libro  
6. cap. 153.

XXX.

ABDON in Persia regulus, à Decio Imp. catenis vinctus atq; diuersis afflictus poenis, Ro-  
mam pertrahitur. Ibi quum simulacbro Solis sacrificare nollet, Valeriano praefecto puniendus  
traditur: à quo plumbatis primò ceditur, deinde in amphitheatro duobus leonibus, et quatuor vr-  
sis obijcitur, ab ijs verò non laeditur. Postremò capite truncatur. 3. Cal. Aug. Pet. de Natal.  
lib. 6. cap. 158.

XXXI.

GERMANVS ciuis natus Antisiodorensis, ex praefecto territorij illius, ab Amatore E-  
piscopo eius loci sibi surrogatur. In qua functione verbum Dei fideliter docuit, & doctores  
falsos & veritati contradicentes conuicit. Rauenna ex Britannia rediens, mortuus est an-  
no 450. pridie Calend. August. Vincentius libro 20. cap. 15. & Petrus de Natal. libro 6. cap.  
61.

AVGV



## AVGVSTVS.

FESTA ET MEMORIE SANCTORVM quæ mense  
AVGVSTO à Christianis celebrantur.

**D**EVICTIS ad Lubecam urbem Rugianis gentilibus ab Henrico Sclavorum Du-  
ce, statutum est, ut singulis annis in rei gesta memoriam Calendæ Augusti sacra ha-  
berentur. Factum circa annum Domini 1167. Helmoldo cap. 37. in Sclavorum Chro-  
nico teste.

## DIVI PETRI AD VINCULA FESTVM.

**D**E origine Petri ad Vincula festi magna reperitur diuersitas apud auctores. Quidam ex  
gentilismo deducunt, ad imitationem videlicet celebritatis eius, quæ apud Ægyptios ha-  
beatur in honorem Augusti Cæsaris. Sic enim Durandus scribit in Ration. lib. 7. cap. 19. ex  
Beda: Theodosia, inquit, vxor Theodosij 2. Imp. Hierosolymam proficiscens, vidit  
Alexandriæ festum celebrari Calend. Augusti ad honorem Cæsaris propter tri-  
umphum habitum de Cleopatra regina Ægypti, & Antonio viro eius. Vnde ve-  
hementer doluit, quòd damnato & gentili tantus honor exhiberetur. Veniens igitur  
Hierosolymam, catenas quibus Petrus sub Herode fuerat constrictus, acqui-  
siuit, & Romam rediens, eas Apostolico repræsentauit, qui illas catenas, quibus  
sub Nerone fuerat alligatus, apportari præcepit. Theodosius ergo in honorem  
B. Petri Ecclesiam ædificauit, & ibi catenas reposuit, quæ dedicata est Calend.  
Augusti. Quod autem Durandus Theodosij Imp. coniugem Theodosiam nominat error est, v-  
nicam enim habuit Eudoxiam siue Eudociam. Breuiarium igitur Romanum nouum apud Su-  
rium, & Nauclerus Generat. 15. hanc siue fabulam siue historiam paulò aliter referunt: nimi-  
rum, Eudociam Theodosij 2. Imp. coniugem, Hierosolymis, quo ex voto profecta  
fuerat, Romam reuersam, attulisse secum catenam illam, quâ sub Herode Petrus  
in carcere vinctus, sed tamen ab angelo liberatus fuerat, eamque iunctam alteri ca-  
tenæ, quâ idem Apostolus sub Nerone ligatus fuerat, vnâ factam: & ob hoc mi-  
raculum tantum honorem vinculis illis haberi cœptum, ut propterea hoc nomi-  
ne S. Petri ad vincula, Ecclesia dedicata sit in Exquilijs, eiusque memoriæ dies fe-  
stus institutus Calendis Augusti: nec meminere festi Alexandriæ in honorem Augusti ce-  
lebrati, ut Durandus, quod Imperatrix hac sollemnitate in melius mutare voluerit. Balæus Cen-  
sur. 1. cap. 36. & Funccius in Chron. hæc facta referunt sub Sixto Pontifice Rom. circa annos  
Christi 437. Eudociæ, inquit Balæus, mulieris adhortationibus, Petri catenas conse-  
crauit Sixtus, & eisdem annuale festum confirmauit. Iacobus de Voragine Legendâ  
105. Petrus de Natalibus lib. 7. cap. 3. Mantuanus lib. 8. Fastorum, hoc quidem Eudociæ, ve-  
rùm non Theodosij coniugi, sed eius filie Valentiniani iunioris vxori adscribunt: & dissenti-  
unt non solum in hoc à superioribus, verum etiam in eo, quòd dicunt, Eudociam hac sollemnitate  
festum quoddam Romæ in honorem Augusti celebratum, non Alexandriæ, in melius commuta-  
re voluisse. Sic enim Iac. de Voragine ex Beda quoque, Cùm, inquit, Romam redisset Cal.  
Aug & in honorẽ Imperat. gentilis Romæ sollemnizare videret, dolens quòd dam-  
nato homini tantus honor exhiberetur, cogitansque quòd eos nõ facile à tali cultu  
& cõsuetudine reuocare posset, effecit vt obseruantia quidẽ sic stare, sed in hono-  
rem S. Petri fieret, & illũ diẽ vnũuersus populus ad Vincula nominaret. Habita-  
igitur collatione cum B. Pelagio Papa populum blandis exhortationibus induxe-  
runt, vt obliuioni traderetur memoria Principis Paganorũ, & celebris fieret me-  
moriam Principis Apostolorũ. Quod dum cunctis placuisset, illa catenas quas Hie-  
rosolymis attulerat protulit & populo ostendit. Papa verò & illam catenã protulit  
quâ sub Nerone idem Apostolus vinctus fuit. Hac ergo illi sociatã, ita miraculose  
vna catena facta est, ac si semper vna & eadẽ extitisset. Vnde Papa & regina pro-

De festi. huius  
origine variæ  
ac diuersæ sen-  
tentia.

1.

X 4



tinus statuerunt, vt quod hominum indiscreta religio faciebat gentili damnato; in melius mutata faceret Apostolorum principi Petro. Ipsa igitur vincula Papa cum regina in ecclesia S. Petri ad vincula posuit, & ipsam muneribus multis ac priuilegijs magnis dotauit, ac prædictam diem vbiq; celebrem fore constituit.

Falsitas huius  
narrationis.

Insunt autē huic narrationi duo, quæ eam manifesta falsitatis arguunt. Primò dicitur, Eudoxiam Imperatricē de hoc festo deliberasse cum Pelagio Papa: at Theodosius 2. Imp. imperium suscepit anno Christi 412. Valentinianus autem iunior maritus huius Eudoxiæ iuxta Iac. de Voragine, anno 430. Pelagius 1. autem Papa Pontificiam sellam ascendit anno Do. 555. iuxta Funccium, vt post Eudoxiam annis circiter 125. vixerit. Deinde dicitur, Eudoxiam cum Pelagio Papa populum Rom. blandis exhortationibus induxisse, vt loco Ethnici festi, S. Petri ad Vincula coleret: mox autem, eos hoc decreuisse & statuisse scribitur. Petrus de Nat. lib. 7. cap. 3. quoq; non minus fœdè errat: dicit enim, Theodosium anno 325. regnare cœpisse, eoq; tempore Eudoxiam eius filiam Hierosolymam profectam fuisse: plus igitur centum annis à vero aberrat: & Helena mater Constantini M. anno 325. Hierosolymam profecta à quibusdam dicitur. Baptista Mantuanus de eodem sic canit:

————— Bis plebs Romana calendis  
Thus, costum myrrhamq; adolens, spicamq; cilissam  
Ibat ad Augusti sublimem Cæsaris aram.  
Dicitur hunc morem mutasse Syricius illis  
Qui tenuit Petri caulas cymbamq; diebus.  
Nam cum Theodosij proles Eudoxia Romam  
Vincula ab Assyrijs ferrugenasq; catenas  
Vexisset, quibus Herodis petulantia Petrum  
Presserat: inuenit causam quâ flecteret urbem  
Ad noua mutato Petri solennia ritu.  
Tunc etenim coram tota concorditer vrbe  
Attulit Herodis Romæ regina catenas,  
Pappa Neroneas. Vt se tetigere repente  
Vna fuit: neq; deprendi quis iunxerit illas  
Fas fuit: humanos luserunt lumina sensus.  
Atq; ita decretum, Petro debere Calendas  
Esse sacras posthac, & dici ad Vincula festum,

Sed neq; hac cum vera historia per omnia congruunt: Dicit enim Mantuanus, festum hoc institutum ab Eudoxia Imperatrice & Siricio Papa in memoriam & honorem catenarum Petri. Siricius autem Papa obiit anno Christi 400. & Valentinianus Eudoxia maritus Imp. Occidentis creatus est anno demum 430.

Corrigendus est quoq; hic obiter illorum error, qui dicunt, basilicam Eudoxiæ, vbi recondita sunt Petri vincula, erectam fuisse ab Eudoxia Augusta Arcadij Imp. vxore. Id enim legitur in quodam Sermonē Bedæ tributo, cuius exordium est: Solennem obseruantiam, &c. vbi sunt alia multa etiam corrigenda: vt quòd habet, Arcadium ante Eudoxiam diem obiisse, contradicentibus historicis omnibus. Qui verò sic sentiunt, Eudoxia nomine decepti sunt, hanc illam esse putantes, quæ rabiosissime S. Chrysostomum persecuta est. Verùm illa ex humanis excessit longè antequàm Petri vincula reperta essent Hierosolymis. Porrò Eudocia vxor Theodosij Iunioris profecta est Hierosolymam, vt testatur Socrates lib. 7. c. 46. Euagrius lib. 1. c. 20. Nicephorus lib. 14. c. 23. 49. & 50. de Eudoxia autem Arcadij vxore nusquam legimus quòd Hierosolymam profecta sit. Eudocia autē Theodosij 2. vxor prædictas catenas Hierosolymis dono accipiens, illarum alteram Constantinopoli asseruari voluit, alteram verò Romam misit ad Eudoxiam filiam Augustam. Sicut autem Constantinopoli in honorem alterius catenarum basilica ab Eudocia erecta est, ita etiam Romæ ab Eudoxia filia, quæ tum Eudoxia, tum etiam Vinculorum Petri nomine dicta est.

Polydorus Vergilius huius festi antiquiorem originē esse putat, adductus libelli cuiusdam fabulosa



fabulosâ narratione, qui Hieronymo, tametsi parùm verè, ipso quoq; Polydoro teste, adscribitur. Nam lib. 6. cap. 8. Porro, inquit, ad Vincula, rogatu Imperatoris ad memoriâ tormentorum, quæ pro religione tulisset, constituta est celebritas à Siluestro (circa annum Christi 325.) quæ ad Vincula nuncupatur. Adscribam autem verba ipsa authoris huius epistolæ, ut intelligatur quàm probè consentiant. Cùm, inquit, Calen. Augusti Cæsar Octavianus Romam ingrederetur, ob triumphum de Antonio & Cleopatra partæ victoriæ, ac pacem firmissimam toti orbi collatam, vocatus est Augustus, qui primò solùm Cæsar dicebatur. Coronatur ciuitas, fit lætitia ingens in populo, statuitur à Senatu & omnibus Romanis scriptis firmatur, nunciaturq; per vniuersum orbem omnibus gentibus, Octavianum Augustum inter Deos coli debere: & ut mensis iste, qui antiquitùs in ordine mensium Sextilis dicebatur, in honorem Augusti Augustus vocetur: & hoc tripudium solennitatis ob triumphum Augustalis victoriæ lege perpetuâ custodiretur. Sic vsque ad Constantini M. imperium ventum est; qui postquam dignatione supernâ, per S. Apolos Petrum & Paulum visitatus, & per Siluestrum Papam baptizatus est, & ex persecutore fidei defensor, & mandatorum Christi custoditor assiduus factus, harum solennitatum phantasmata perhorrescens, Papæ dicit Siluestro: Hactenus pater humanis vtens legibus, omni studio & hos dies, & alios excolebam. Nunc quia placuit Domino nostro Iesu Christo me peccatorem sibi famulum facere, iniquum mihi videtur harum celebritarum fauorabilibus laudibus extolli. Vide ergo quomodo ad honorem summi Dei B. Petro Apostolo hanc diem dedicem. Sanctus autem Siluester cum sui clerici consilio respondit: Est carcer, in quo B. Petrus pro Christo vinculatus fuit, & sacri fontis lauacro pluribus ibi baptizatis dedicauit: hunc omniforde purgari facias, quatenus Ecclesia ibi fabricata ad honorem tanti Apostoli, fidelium vota perenniter reddantur. Hoc audiens Augustus lætus efficitur, purgatur locus, fabricatur Ecclesia, & dedicatur ab eodem Papa. Affuit ibi Augustus, & sacris scriptis per veredarios mandauit in hæc verba. Notum esse volumus omnibus Christum piè colentibus, B. Petrum Apostolū, à Deo nobis datum pastore & principem, summo studio venerari velle assidue, & maximè in hac die Cal. Aug. in quo vt Deus à vobis soliti eramus adorari, vt ipse pius pastor precibus Deo fusis, nos & imperium nostrum adiuuare dignetur. Sanctus autem Siluester huic diem celebrem omnibus Ecclesijs esse instituit, &c. *Observandum autem quod Erasmus admonet, hanc epistolam non esse Hieronymi, sed blatteronis & impostoris cuiusdam, quod etiam res ipsa declarat. Idem sentit etiam Baronius, qui in Notation. ad Martyrologium Rom. hæc scribit: Fertur apocrypha Scriptura, & meritò in angulum reiecta, nomine S. Hieronymi ad Eustochium de Vinculis Petri, quâ mendax auctor testatur, eiusmodi Vinculorum solennitatem à Siluestro Papa ex Constantini decreto statutam: quæ quidem scriptio cùm nullius priscorum auctorum testimonio fulciatur, & firmæ auctoritates contrariū persuadeant, ab omnibus improbat.*

*Alij originem huius festi referunt ad Alexandri I. Papa tempora, qui episcopatum Rom. tenuit circa annos Do. 114. Nam Durandus in Ration. lib. 7. cap. 19. & Jac. de Voragine Legenda 105. sic scribunt: Cùm Quirinus Tribunus plebis filiam haberet gutturosam, illa ad mandatum S. Alexandri Papæ, qui sextus fuit à Petro quæsiuit vincula, quibus B. Petrus fuit ligatus Romæ sub Nerone: quibus osculatis liberata est, & Quirinus cum tota familia baptizatus. In quam sententiam Mantuanus quoq; lib. 8. Fast. sic canit:*

Hæc etiam Balbina die curata putatur  
Gutturis inflati vitio: Duce nata Quirino  
Ista fuit: quæ cum sacris prostrata dedisset  
Oscula compedibus Petri, deformata sensit  
Primus Alexander qui tunc indigna ferebat



DE ORIGINE FESTORVM

Vincula sub Augusto cui fecerat Adria nomen  
Hoc vbi rescivit (pietas ita compulit illum)  
Adiunxit festis lucem nostratibus istam,  
Quâ tulit optatam virgō Romana salutem.

*Sic quidem illi: Antoninus autem historicus tit. 7. cap. 5. indicat, filiam Quirini osculo vinculorū Alexandri huius, non Petri, quibus iussu Quirini fuerat vincus, sanata fuisse. Pergunt illi: Tunc, inquit, dictus Alexander Papa hoc festum Cal. Aug. celebrandum instituit, & in honorem B. Petri in vrbe Ecclesiam fabricauit, vbi vincula ipsa reposuit, & ad Vincula nominauit, & Calend. Aug. dedicauit: in qua festiuitate populus illic ipsa vincula osculatur. Quam verè autem narrent templum ab Alexandro Papa Romæ circa annos Christi 114. edificatum, quod Ad Vincula nuncupârit, ipsi sanè viderint. Quasi verò credere opus habeamus, hoc Episcopis Romanis eo tempore permissum, tantâ indignitate & tyrannide tractatis fidelibus, & communi totius ciuitatis Ethnicorum odio contemptis, vt ne prodire quidem plerunq; auderent, ne dum templa magnifica extruere, & benignè secum agitur crederent, quum intermissis persequutionibus, in vrbe tollerarentur. Ipse quoq; Tertullianus vetus author, & qui sub Pertinace Imp. circa annos Christi 200. centum ferè annis post hunc Alexandrum, multo tempore Romæ vixit, palàm innuit, ne suo quidem tempore alia templa Christianis fuisse, quàm simplices domos, in quibus statim diebus fideles congregarentur. De iisdem temporibus idem testatur Polydorus lib. 5. c. 6. Eo ferè, inquit, toto temporis interuallo, tantum aberat, vt aliquod templum à nostris Christianis publicè edificaretur, vt etiam omnia essent occulta, & sacella potiùs, atq; eadem abdita, & plerunq; subterranea, quàm apertis in locis ac publicis fierent. Et mox: Romæ, ait, non reperio, quod sciam, aliud antiquius templum edificatum aut dicatum, vel ad vsum sacrorum fuisse conuersum, quàm Thermas Nouati in vico Patritio, quas Pius Pontifex Praxedis eximia sanctitatis foeminae rogatu diuæ Prudentianæ eius sorori dedicauit: qui fuit annus circiter 150. Illud etiam mirandum, templum in honorem S. Petri ad Vincula extructū, primò ab Alexandro Papa, deinde à Constantino M. tertio à Theodosio 2. quartò ab eius filia Eudoxia. Pet. de Natal. quoq; lib. 7. cap. 3. indicat, Balbinam Quirini filiam attractu catenarum Alexandri Papæ sanata: addit autem, Balbinam catenas illas ex deuotione apud se retinuisse, & sæpè eas osculata fuisse: Alexandrum igitur ipsam adhortatum fuisse, vt catenas illas relinquat, & potiùs Petri catenas inquirat, quas si reperire possit, eas cum summa deuotione retineat. Quirinum igitur ad filia instantiam in carcere vbi Petrus detentus fuerat, diligenter catenas illas querere iussisse, easq; tandem repertas filia dedisse: Alexandrum ergò hoc festum in memoriam catenarum Petri Cal. Aug. celebrandum instituisse, quòd eo die repertæ fuerint. In tanta igitur sententiarū diuersitate cui tutò credendum Lector putas? Nul-  
li nimirum.*

Festum hoc fo-  
lennius obser-  
uatum.

4.

*Circa annum 900. (Pet. de Nat. & Iacob. de Voragine habent annum 464.) quidam Comes Ottonis Imp. familiaris occupatus ab immundo spiritu, seq; d. nitibus dilanians, iussu Imperatoris ad Ioannem Pontificem ductus, vt catenam collo attigit, à dæmone liberatus dicitur in Breuiario nouo Rom. Ecclesiæ, ac deinceps Romæ vinculorum istorum religio propagata est, et tandem plus eis tributum fuit, quàm v. uisica S. Spiritus virtuti & merito Christi, vt patet ex illa oratione quæ extat apud Surium tom. 4. de Viris Sanctorum: ita enim habet: Has catenas reuerentes veneramur & colimus, & pro animarū emendatione habemus. His omnem sensum & membrū admouentes, illarum sanctitate implemur, & per mentis intelligentiam S. Spiritus gratiam in animos ipsos admittimus. Deceret certè, deceret non solùm catenas, quæ manus illas adstrinxerunt, magnoperè venerari: sed etiam indicia omnia, ad quæ Apostoli membra ac cesserunt, singulatim amplecti ac reuereri, & in illis singulis diem festum ac panegyrim celebrare. Oratio quidem, in qua hæc leguntur, Ioanni Chrysofomo à Simeone Metaphraste apud Surium ad-  
scribitur, sed falso.*

STEPHAN



STEPHANVS I. Episcopus Romanus sub Gallieno Imp. cum multos gentiliū ad Christum conuertisset, capite mulcatur anno 255. vel iuxta alios 260. 4. Non. Aug.

II.

## S. STEPHANI INVENTIO.

III.

Stephani Protomartyris Reuelatio facta dicitur cuidam Luciano Hierosolymitana ecclēsię presbytero anno Domini 417. quę etiam ab eo descripta Gręco sermone, & ab Auito presbytero Hispano in Latinum conuersa extat apud Surium tomo 4. de Viris Sanctorum, Iac. de Voragine Legendā 107. & Pet. de Nat. lib. 6. cap. 15. Inuentio autem eiusdem facta est eodem anno sub Honorio Imp. iuxta Nicophorum, Vincentium & alios, die illā, quā celebratur iam eius passio, videlicet Decemb. 26. & passus fuit die illā quā eius inuentio ab initio celebratur, nimirum 3. Augusti: sed hæc festa posterioribus temporibus sunt translata, hanc ob causam. Ad Stephani inuentionem quum maxima hominum multitudo conueniret, cum propter reuerentiam Natiuitatis Domini, tum propter miracula quę quā plurima in eius Inuentione edebantur, ideoq; maiori cultu annuatim illum diem celebrarent fideles, quā diem Passionis: quod Passio eius dignior esset quā Inuentio, statuerunt veteres, vt festum Passionis transferretur ad hunc diem Inuentionis, & contra festum Inuentionis ad festum Passionis. Referunt etiam Belet in suo Rat. cap. 143. & Durandus lib. 7. cap. 21.

DOMINICVS Prędicatorum Ordinis author fuit. Mater eius Ioanna quum adhuc eum vtero gestaret, in somnis sibi visa est catulum (alij lupum habent) ardentem facem ore gestantem portare, quā totus mundus accenderetur. Antoninus Ordinis Dominicanorum dicit, hoc significare voluisse Deum, nasciturū ex ea Prędicatorē eximium, qui facem ignis eloquii portaret, quo frigescentem in multorum cordibus charitatem vehementius inflammaret, & sedulę prędicationis latratibus lupos arceret a gregibus, dormientes quoq; in peccatis animas ad virtutum vigilantiam excitaret. Verū si de similibus idem sit iudicandum, dico, signum hoc fuisse & pręsagium cruentissimę illius lanienę & maximarum turbarum, quas non solum Dominicus in Gallia, sed & eius discipuli in toto orbe excitauerunt. Referunt enim Hecubam pregnantem facem ardentem sibi parere visam, tandemq; Paridem enixam esse, qui fax illa fuit Asia & Europę infausta, & Troię patrię suę exitialis. Sic Dominicus in Scholis institutus & Canonicus regularis factus, concionibus suis & inuectiuis in Albigenes adeo hominum animos concitauit, vt arma cęperint Principes, & plus quā centum millia ex Albigenibus miserę trucidati fuerint. Posthac asceticis duodecim socijs Prędicationis Ordinem, vt diximus, instituit; de quo vide plura in nostro lib. 6. de Origine et Progressu Monachatus, c. 4. et sequentibus. In agone mortis positus, conuocatis duodecim fratribus Bononiensis conuentūs, testamentū condidit, et ea quę possederat eis iure hereditario reliquit, charitatē, humilitatē & paupertatē commendans, ac prohibens omnino, ne quis in Ordine suo possessiones induceret temporales, maledictionem Dei & suam imprecans eī qui hunc ordinem terrenarum diuitiarum puluere maculare pręsumeret. Antoninus tit. 23. cap. 4. § 13. Iacobus de Voragine Legendā 108. Petrus de Natalibus libro septimo capite 22. Moritur autem anno Domini 1221. Non. Aug. & anno 1233. Gregorius 9. Pontifex Maximus inter Deos reculit, decreuitq; vt Nonis Aug. festum seu natalicia eius celebrarentur, concedens penitentibus & confessis, item visitantibus festiuitatem hanc singulis annis cum deuotione, vnum annum de iniuncta sibi pęnitentia. Antoninus tit. 23. ca. 4. § 17. Martini. Chronic. Sabellicus Enne. lib. 9. c. 6.

IIII.

NONAS Augusti Genuenses quoq; solenni honore colendas instituere, quod ijs anno 1434. Alfonso regem Aragonum nauali pręlio vicissent & cępissent; Bracellus libro 4. belli Hispanici.

OSVVALDVS Northumbrorum in Anglia rex, pietatis studiosissimus, & in pauperes liberalissimus fuit. Sed a gente Merciorum, & rege eius Ethnico, in Maserfeld, pro religione & patrię libertate fortiter dimicans, cęsus est: Beda lib. 3. cap. 6. & 9. anno Dom. 643. Non Aug.

S. MARIE AD NIVES festum Roma quoque hoc die huiusmodi illusionē institutum nugantur.

V.



DE ORIGINE FESTORVM

nugantur. Usq; ad tempora Liberij Papæ nulla intra vr̄bis Romæ ambitum in honorem virginis Mariæ fuit ecclesia. Quidam verò Ioannes patritius Rom. ob filium à Maria precibus impetratum, cupit quidem ei extruere in vr̄be templum, sed nescit locum. Nonis igitur Aug. in tempestâ nocte in Esquilio monte tantum spatium nunc miraculose oppletur, quantum templo magnifico extruendo sufficeret, quod Maria virgo in somnis Pontifici Liberio & Ioanni significat. Templum igitur edificatur eo loco, quod S. Maria maioris nominatur, dotatur, consecratur & in rei memoriam festum instituitur, si credere fas est. Pet. Natal. lib. 7. cap. 21. & Mantuanus lib. 8. Fast.

VI.

SIXTVS II. Episcopus Rom. natione Græcus, Atheniensis, ex philosopho Christianus factus, sub Deciana & Valeriana persecutione accusatus quòd Christianam religionem contra Imperatorum decreta prædicaret, capitur, quumq; Marti sacrificare nolleret, capitis pœnam subiit 8. Idus Aug. Platina, Pet. de Natal. lib. 7. cap. 30.

TRANSFIGVRATIONIS CHRISTI festum.

Festum Transfigurationis CHRISTI circa annum Domini 700. in vsu fuisse, ex Damasceni & Cosmæ hymnis intelligitur, quos in eo decantandos composuerunt. Ex Pothone tamen Prumiensium Presbytero colligitur, circa annos Christi 1100. à plurimis Ecclesijs nondum fuisse approbatum & receptum. Sic enim inquit in libro de Statu domus Dei: Miramur satis quid visum fuerit HOCTEMPORE quibusdam monasterijs, mutare colorem optimum, NOVAS quasdam inducendo celebritates. Num quid Patribus doctores aut deuotiores sumus? Superbâ mente præsumimus, quicquid ipsorum in talibus prudentia præteriiit. Neq; verò nos in huiusmodi aliquid inuenire possumus, quod ipsorum quærit diligentiam præterisse. Quæ igitur ratio hæc festi celebranda nobis induxit? Festum videlicet Trinitatis, & festum Transfigurationis Domini, &c. Floruit hic Potho circa annos Christi 1150. Calixtus 3. demum Papa anno 1457. festum hoc instituit celebrandum per vniuersum orbem sub officio duplici, 6. die Augusti: ipseq; Officium eius composuit, et iussit eo modo, atq; cum his Indulgentijs celebrari, quibus festum Corporis Christi in præcio habetur, vt Platina testatur. Fecit hoc propterea, quòd hoc die Machometus Turcarum Imperator Christianis armis fuerat superatus anno 1455. Sic enim Stella scribit: Voluit Calixtus, vt in meridie sonum campanis darent, sicut & serò, ad salutationem virginis Mariæ: vt eâ oratione eos adiuuarent, qui contra Turcas continuè dimicabant. Ea etiam de causa Transfigurationis Domini nostri Iesu Christi festum & officium ordinauit, iussitq; illud cum Indulgentijs ipsis celebrari, sicut in solennitate Corporis Christi. Misitq; ad Armenios & Persas, vt eadem cum eo aduersus Turcas faciant: & quosdam rusticos id facere nolentes, laqueis interemit. Tamen non id vnum in ceremonia illa facienda secutus videri potest: eodem enim die & ipse Pontifex creatus fuit. Sabellicus Enne. 10. lib. 6. Palmerius, Platina, Antoninus titulo 22. cap. 14. & Balaeus in vita Calixti. Celebratur autem hoc festum sextâ die Augusti, non quòd tunc sit facta Transfiguratio: constat enim factam fuisse circa principium Veris: sed quòd eâ die ab Apostolis, qui cum Christo fuerunt in monte Thabor, fuit manifestata, publicata & prædicata, vt Durandus indicat in Rat. lib. 7. cap. 22. Hæc etiam die vinum nouum, si inueniri potest, in sanguinem Christi in Papatu conficitur: vel saltem de matura vna in calice aliquantulum eliquatur. Racemi etiam benedicuntur, & populus communicat pluribus in locis, Petro de Nat. teste lib. 7. cap. 29 ex libro Mirali: vbi ritus huius hanc rationem affert: Dominus, inquit, discipulis in die Cœnæ dixit, Non bibam amodò de hoc genimine vitis, donec illud bibam in regno patris mei. Illa verò transfiguratio Domini, & quòd dixit Nouum vinum, representat gloriosam innouationem, quam Christus post resurrectionem habuit. Et ideo in hac die transfigurationis, quæ resurrectionem representat, nouum



um vinum inquiritur, in quo nouitas æternæ dulcedinis ostenditur, quæ sanctis post resurrectionem in patria propinabitur. In Ieiunio festi huius Legati Moschici Ducis Pragæ vsi sunt tantum cepis, allijs, mulso, vino adusto & vino canaria, anno 1595. manè & vespèri.

AFRA Cretensis meretrice per prædicationem Narcisci Hierosolymorum Episcopi ad Christum conuersa, quum idolis gentium sacrificare amplius nollet, in ignem coniecta spiritum emisit, sed Non. Aug. vt Pet. de Nat. refert lib. 7. cap. 28. non 7. Id. Aug. vt in vulgatis habetur Calendarijs. Cum autem veteres omnes testentur, fuisse eam meretricem, miror de qua causa Venantius Fortunatus eam appellet virginem lib. 4. in vita S. Martini Episcop. Turonen. his verbis: Pergis ad Augustam, quam Vindo Licusq; fluentant

Illic ossa sacra venerabere virginis Afræ.

CYRIACVS Diaconus Romæ sub Maximiano Imp. post multos & horrendos cruciatus propter Christum capitis tandem supplicium subiit 17. Cal. April. quo die & sepultus fuit: sed eius corpus inde translatum est à Marcello Papa & Lucina matrona, & in via Ostiensi sepultum 6. Id. Aug. Pet. de Nat. lib. 7. cap. 35.

ROMANVS miles Rom. sub Decio Imp. propter Christianam religionem capitis supplicio afficitur. Pet. de Nat. lib. 7. cap. 40. & Vincentius lib. 13. cap. 17.

LAURENTIUS Hispanus, à Sixto 2. Rom. Episcopo Leuita ordinatus Christum fideliter docuit. Post mortem autem Sixti, Laurentius propter non redditos thesauros Decio Imp. carnificibus est traditus & in craticulam ferream positus, vt succensis carbonibus lento igne assaretur. Cum autem in craticula omnem feruorem ignis alacri animo sustineret, En, inquit, conuersus ad astantem Imperatorem, vnum latus, iam satis est assatum: cape igitur & ede, assaturamq; verte. Quin palàm professus est se non torreri, sed refrigerari carbonibus. Tandem autem spiritum emisit. Ita quidem Vincentius lib. 11. cap. 93. Petrus de Natalibus lib. 7. cap. 43. Rursus autem non sub Decio passus est, cui errori occasionem dedisse videtur Eusebius, qui in Chron. Laurentium in persecutione sub Decio passum fuisse scribit: Licet verius sit, ea non ab Eusebio scripta, sed ab alio aliquo superaddita esse. Nam quâ ratione anno Domini 254. sub Decio potuit martyrium eius ponere, cum post annos quatuor demùm Sixti Papa ponat ingressum?

TIBVRTIVS filius Chromatij præfati Romæ sub Diocletiano & Maximiano capitis pœnam subiit propter Christum 3. Idus Aug. Vincent. lib. 12. cap. 17. & Pet. de Natal. lib. 7. cap. 46.

Hoc etiam die Parisijs susceptio spinæ coronæ ab infidelibus per S. Ludouicum Regem celebratur.

CLARA Assisij nata est superstitionis parentibus. In infantia vsa est cilicio, cumq; ad pubertatis annos venisset nuptias aliquoties auersata est. Audiens demùm de Francisco ciue suo, familiaritatem nimis magnam cum eo contraxit eiusq; iussu parentes suos sine causa deserens & ad S. Damiani templum commigrans, ibi pauperum Dominarum ordinem, qui & à fundatrice Clarissarum ordo dicitur, inchoauit sub Regula Francisci anno Christi 1225. In hoc Ordine per annos 42. arcto tuguriolo inclusa apud S. Damiani templum. seipsam inedia, vigilijs alijsq; carnificinis mirum in modum excruciauit, tandemq; moritur pridie Idus Aug. eodq; die festum Claræ Alexander 4. Papali autoritate præcepit coli in tota Ecclesia, anno Dominica incarnationis 1255. ab obitu verò Claræ 2. ipseq; primus apud Anagniam in Ecclesia maiori solennissimè celebrauit.

## DE HIPPOLITO.

HIPPOLITVS Romanus à S. Laurentio ad Christum conuersus, iussu Decij Imp. à Valeriano vrbis Præfeto pedibus ad colla indomitum equorum ligatus, per spinas & tribulos miserè trahitur, sicq; expirat. Sic Vincentius lib. 11. cap. 45. Pet. de Nat. lib. 7. cap. 56. & Iacobus de Voragine cap. 113. referunt. Talem autem, teste Reinoldo lib. 1. cap. 5. de Romanis

VII.

VIII.

IX.

X.

XI.

XII.

XIII.

2.



DE ORIGINE FESTORVM

*Ecclēsia idololatria, neminem extitisse Sanctum auctores digni tacendo indicant. Prudentius enim antiquus, atq; haud scio an primus author huius martyrij, videtur poetico more luisse, quod etiam Bellarminus in re maiori eum fecisse dixit lib. 2. c. 18. de Purgatorio: Videtur, inquam, figmentum Ouidij lib. 15. Metamorph. ex nominis etymologia ad Hippolytum martyrem accommodasse Peristeph. hym 11. sic canens:*

*Ille supinatâ residens ceruice, quis, inquit,*

*Dicitur? affirmant dicier Hippolytum.*

*Ergo sit Hippolytus, quatiat, turbetq; iugales:*

*Intereatq; feris dilaceratus equis.*

*Baronius certè in Notis ad Martyrol. Rom. Ianuar. 30. notat, vt etiam August. 13. Prudentium tres Hippolytos conflisse in vnum: atq; inter eos militem hunc fuisse, de quo agimus, qui ab indomitis equis raptatus & discerptus sit. Ex quo verò authore hoc probat Baronius? Ex Actis S. Laurentij, in quibus ipse asserit ibidem August. 10. multa esse apocrypha, multaq; veritati contraria. Nempe vt habentur apud Surium inquitens: At Metaphrastes eius Acta Græcè edidit, accepta ab antiquis Græcorum monumentis, vt Baronius subtextit. Vnde autem scit Baronius, ea ex antiquis Græcorum monumentis accepta à Metaphraste, quem toties, vt vt prædicit laudatum à Balsamone, pronunciat Tom. 1. Annal. Anno Christi 44. commenta multa admiscere, & tom. 3. anno 315. mendacia portentosa. & tom. 5. anno 402. varia plane delira. Imò qui ausus est laudare tanquam hausta è monumentis prisca, quæ suâ vanitate recentiorum auctorem prodere, & scit, & tradit ipse? Nam in istis Actis apud Metaphrastem die 10. Augusti, Decius Imp. pro tribunali sedens, Hippolyto istam pœnam irrogasse traditur post obitum Laurentij. Laurentium autem passum sub Valeriano, septem vel octo annis post exintum Decium, è Cypriano alijsq; testibus evincit Baronius in Not. ad Martyrolog. Rom. Aug. 10. die. Et verò de ijs ipsis Actis Laurentij apud Metaphrastem, vt intelligatur, quanto pere in Baronio & alijs cauendus sit antiquitatis funus, quem obtendunt, Baronius parum memor ex antiquis e. Græcorum monumentis accepta se dixisse, tomo 2. anno 261. sic scribit: Quæ Laurentij acta à Metaphraste sunt recitata, haud sanè pristina illa à Notarijs excerpta videntur, sed ab aliquo alio scripta, quibus & quæ ab Ambrosio & alijs de S. Laurentio scripta essent, vnâ texuerit, siquidem nonnulla habent, quibus historica veritas refragatur.*

XIII.

*EVS. B. VS Presbyter Romanus, quum fidem Catholicam constanter defenderet, & Constantium Imp. ac Liberium Episcopum Rom. tanquam hæreticos damnaret, quòd Arriana fidei consensissent, ab Imp. comprehensus rogatu Liberij, & in carcerem inclusus, post menses 7. obdormiuit 19. Cal. Sept. vt refert, Pet. de Nat. lib. 7. cap. 62.*

XV.

DE DORMITIONE ET ASSUMPTIONE

B. Mariæ Virginis.

Diversitas historiz de morte & assumptione B. Mariæ.

I. Collyridiani immortalem Mariam esse dixerunt.

II. Quidam de morte Mariæ dubitauerunt.

*BEATA Maria Virginis & Dei genetricis postremò sit mentio Actorum 1. cap. his verbis: Apostoli omnes perdurabant vnanimiter in Oratione & deprecatione, cum vxoribus, & Maria matre Iesu, & cum ipsius fratribus. Mox verò de Maria Virgine, eiusq; Dormitione & Assumptione diuersa valdè & contraria sparsa sunt opiniones & sententia, vt vix duos vel tres, qui consensiant reperias. Quidam putarunt Mariam prorsus non mortuam esse. Hi fuerunt Collyridiani hæretici, qui docuerunt, illam non similem nobis humanæ naturæ fuisse consortem, sed diuinæ, ideoq; vt Deum penitus fuisse mortis expertam & immortalem. Refutantur autem ab Epiphanio in suo Panario hæresi 79.*

*Alij dubitarunt, An fuerit mortua, necne. Epiphanius enim contra Antidicomarianitas disputat, An ex sacra Scriptura probari possit, Mariam virginem mortuam esse? Cumq; ex illa nec quòd mortua, nec quòd sine morte fuerit in Cælum assumpta, expressum habeatur, ipse rem integram relinquens, neutrum desinire præsumpsit, Baronio teste. Verba*

quæ



*vires hae sunt:* Et si videntur quidam errasse, quærant vestigia Scripturarum, & inuenient utiq; neq; mortem Mariæ, neq; an mortua, vel non mortua sit, neque an sepulta sit, aut non sepulta. *Et mox:* Non omninò definitio hoc, & non dico quòd immortalis mansit, neq; assumo quòd mortua sit: excessit enim Scriptura mentem humanam & in suspensio reliquit: &c.

*Sunt alij qui verè eam mortuam esse fatentur: in eo tamen & ipsi plurimùm dissentiunt. Quidam enim martyrio eam functam esse aiunt: Simeonis vaticinio adducti, qui ei dixerat: Tuam ipsius animam pertransibit gladius: vt esse videre apud Ambrosium cap. 2. in Lucam, & apud Isidorum de Vita & Obitu Sanctorum.*

*Alij non quidem martyrio, sed naturali morte eam obiisse volunt: de tempore tamen & anno B. Virginis mortis & assumptionis dissentiunt. Anno à Christo nato 48. Olympiade 206. anno secundo B. Mariam assumptam in cælum esse Eusebius in Chronico his verbis tradit: Maria virgo Christi mater ad Filium in cælum assumitur, vt quidam sibi fuisse reuelatum scribunt. Miratur Baronius tom. 1. pag. 367. vehementer, tantæ rei historiam, & saltem tempus migrationis B. Mariæ, sic à scriptoribus prætermisum, vt opus fuerit, non quod scriptorum monumentis testatum esset, sed horum penuriã, quid huic vel illi, de ea re fuerit reuelatum, inuestigare, & vt facit Eusebius, historicam veritatem incertorum hominum reuelationi committere. Tolerandum tamen esset, si omnes, quibus de ea re diuinitus facta dicitur demonstratio, æquè in eandem sententiam conspirarent, vel si vnus aut saltem alterius anni spatio inter se inuicem dissiderent: at monstrosa quædam inter eos discrepantia reperitur: cum aliq; licet incerti, quos citat Eusebius, id accidisse dixerint anno, vt indicatum est, Domini 48. post annos scilicet à Dominica passione quatuordecim: rursus verò cuiquam probatæ sanctitatis demonstratum cœlesti visione tradatur, post annum elapsum à passione Christi, & totidem dies quot intercurrunt ab eo tempore vsq; ad decimam quintam mensis Augusti, ex hac vita migrasse, ac demùm post alios quadraginta dies; videlicet Non. Calend. Octobris vnà cum corpore assumptam fuisse in cælum. Cui reuelationi qui fidem adhibuerunt, non tantum dictâ die 15. Augusti eiusdem celebrant assumptionem, sed & aliã, quam secundam dicunt assumptionem dictâ die 9. Calend. Octobris ad Bedæ Martyrologium addiderunt. Sed hæc ab Ecclesia minus recepta esse noscuntur, vt refert Antoninus par. 3.*

*Rursus alij isthæc de Reuelationibus prætermittentes, quorundã auctorum testimonio certum annũ Assumptionis B. Mariæ adstruere conati sunt. Sed quum quæ citant incognita & incerta sint, in imposturæ suspicionem adducuntur, cum præsertim non sit eorum vnà eademq; sententia, sed planè diuersa. Siquidem Nicephorus lib. 2. c. 3. & 21. ex Euodio eam vixisse tradit annos 59. Epiphanius presbyter in Serm. de Deipar. Hippolitum quendam Thebanum citat, qui dixit, eam vixisse annos nouem post Christi passionem, eamq; decessisse anno Domini 43. suæ verò ætatis 57. (secundum quod dicitur peperisse Dominum Redemptorem annũ agens 14.) Sed nec his assentiens Epiphanius, eam ex hac vita migrasse tradit annos natam 72. Verùm si quæ ab his authoribus dicta sunt, cognita & explorata in primitiua Ecclesia fuissent, non ex incertorum auctorum reuelatione, si certos quos sequeretur habuisset, eius obitũs annum Eusebius consignasset: nec quòd mortua fuisset, Epiphanius se affirmare non posse, testatus esset: vel non fuisse mortuam, aliqui temerè tradidissent. Ex iisdem, puto, auctoribus Cedrenus in Compend. in Tib. etiam affirmat, eam ex hac vita decessisse, cum ageret annum suæ ætatis 72. refert tamen, aliquorum fuisse sententiam, quòd clausisset humanæ vitæ diem anno ætatis suæ 58. sunt hæc enim verba ipsius: Tradit sanctam animam Domino ac filio Deo suo annos nata septuaginta duos; quidam tradunt quinquaginta octo; vixit ergo viginti quatuor annos post Christi in cœ-*

III

1.  
Alij mortuã eam affirmant, sed martyrio.

2.  
Alij naturali morte eam obiisse dicunt, sed de tempore & anno discrepant.



lum ascensum. Quamnam igitur ex his potissimum sequamur ambiguum est  
Hucusque Baronius.

3.  
Quidam de  
die assumpti-  
onis dissen-  
tiunt.

De die quoque quae assumpta est in caelum B. Virgo, dissentiunt. Quidam enim volunt eam mortuam & assumptam esse simul corpore & animâ 15. die mensis Augusti, eamque ob causam Romana Ecclesia eius festiuitatem hac die celebrat. Alij aiunt, eam quidem hac die mortuam esse, sed sepultam, ac demum post quadraginta dies nono videlicet Calend. Octobris, vnâ cum corpore assumptam fuisse. Alij triduo post mortem eius, Christum de caelis descendisse volunt, eiusque corpus in sepulchro resuscitasse & secum ad caelestia euexisse.

4.

Quarto, sunt qui volunt, eam animâ tantum assumptam fuisse, corpore autem in terris mansisse.

5.  
Nonnulli an-  
imâ tantum  
eam assump-  
tam volent.

Alij dubitant, utrum corpus eius alicubi locorum in terris manserit, vel ad superna euectum sit. Sic enim Vsuarius & Azo in Martyrologijs suis: XVIII. Calend. Septemb. est

6.  
De totali as-  
sumptionis  
Mariæ qui-  
dâ dubitant.

Dormitio sanctæ Dei genetricis Mariæ: cuius sacratissimum corpus etsi non inueniatur super terram, tamen pia mater Ecclesia eius venerabilem memoriâ sic festiuam agit, ut pro conditione carnis eam migrasse non dubitent: quo autem venerabile illud Spiritus sancti templum nutu & consilio diuino collocatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesie eum pietate nescire, quam quid frivolum & apocryphum inde tenenda docere. Ac putat Baronius hanc sententiam hanc suam non aliunde accepisse, quam ex illo apocrypho libello Hieronymi nomine edito: ibi enim hæc eadem ferè verba, vel quæ eandem prorsus sententiam reddant, habentur: videlicet, propter cautelâ, saluâ fide, pio magis desiderio opinari oportet, quam inconsultè definire, quod sine periculo nescitur, &c. Item, Quid horum verius censeatur, ambigimus, animâ ne tantum, vel iuncta corpori sit in caelum recepta. Auctor etiam Sermonis 35. de Sanctis, qui hætenus sub Augustini nomine latuit, nullum verbum habet de assumptione B. Virginis cum corpore. Sed Augustini non est, citat enim Isidorum, qui diu post Augustinum vixit: vnde Schoia quoque Louaniensis eum in Appendicem collocavit & in angulum reiecit.

Tom. 1. An-  
nal. pag. 372.

Alij contra contendunt, eam animâ & corpore sublatam simul. Est hæc communissima Papi-  
starum sententia. Sic enim Colleg. Anglo-Remense Comment. in Act. 1. c. & Bellarminus lib. 3. de  
Cultu Sanctorum cap. 16. Beatæ Mariæ corpus assumptum in caelum est ex traditione  
verissimum & antiquissimum. Baronius quoque Tom. 1. Annal. pag. 375. Ex Romanæ. in-  
quit, Ecclesie vsu recepto firmiter constanterque asserimus ac profiteamur, ipsam  
sanctissimam Dei genetricem Mariam vnâ cum sacratissimo illo corpore, quo  
impartita est Deo carnem, in caelum esse receptam. Et mox: Quid mirum, inquit,  
vt matri concessum sit, quod compluribus seruis tributum fuisse constat. Est au-  
tem hoc non demonstratio, sed mera coniectura, quæ neminem obligat. Certè, vt etiam Senensis  
Bibliotheca refert lib. 2. Tit. Mariæ transitus. ex Augustino, Sunt nonnulla apocrypha  
de Assumptione Mariæ conscripta. Non inuenitur apud Latinos Patres de eius  
morte quicquam aperte dictum. Nullus fidelior Ioanne id narrare potuit, si De-  
us id nobis manifestari voluisset. Rursus ibidem: Apocryphum dogma, (inquit Hie-  
ronymus) multi Latinorum pietatis amore charius complectuntur: Verum cor-  
pus eius à quibus è sepulchro ablatum, vbi transpositum, an resurrexerit, nesci-  
tur: quamuis nonnulli adstruere velint, eam ipsam resuscitatam & beatâ cum Christo immor-  
talitate vestiri. Quid autem horum verius, ambigimus: melius tamen Deo totum committimus,  
quam nostrâ auctoritate aliquid temerè deffinire quod non probamus. Suarez quoque Iesuita  
tomo 2. in Thomam parte 3. q. 37. art. 4. disput. 21 de totali assumptione B. Mariæ hæc scri-  
bit: Quæres quâ fide hæc veritas tenenda sit? Author enim libri de Assum-  
ptione, Hieronymi nomine, eam dubiam relinquere visus est: & ferè cum eâ-  
dem formidine hoc asseruit Augustinus (si eius est) libro de Assumptione: A-  
bulensis solum dicit esse probabilem sententiam. Caietanus vocat piam: idem  
ferè solus Canus addit, temerè tem esse hoc negare. Catharinus asserit,  
esse



esse de fide. Sed reuera, inquit Suarez, non est, quia neque est ab Ecclesia definita, nec est testimonium Scripturæ, nec Ecclesiæ traditio sufficiens, quæ infallibilem faciat fidem. *Hæc Iesuita.*

Si eadem mens superioribus seculis hominibus fuisset, à multis nugis & fabulis abstinuis-  
sent. Ociofi enim & supersticiosi quidam homines plurimas de Maria, & quidem vel maxime de  
eius Transitu & Assumptione in cælos fabulosas, & tantâ virgine indignas contexuerunt nar-  
rationes. Earum ferè summa hæc est: Cum sexagesimum ætatis annum ageret B. Maria, venit  
ad eam angelus Domini. Ex Epiphanio autem supra intelleximus, Mariam virginem vsq; ad  
72. ætatis annum peruenisse: dicit enim, quum Christum Dei filium concepisset, fuisse e-  
am annorū 14. & anno 15. peperisse: cum filio autem vixisse annis 33. post mortem  
verò Domini 24. annis superuixisse. Angelus hic B. Virgini indicat ex hac vita ei mi-  
grandum esse posse criduum. Conuocatur igitur ad eam, qui vel amoris necessitudine, vel generis  
propinquitate ei coniuncti essent. Apostoli omnes ex diuersis terrarum locis, in quibus cum Eu-  
angelium prædicabant, in nubibus per aërem Hierosolymam ad domum Mariæ deferuntur  
& quibus ipsa super humiliori lecto ponitur. Nocte abhinc tertia venit filius eius Iesus Chris-  
tus circa horam tertiam de cælo cum angelorum ordinibus, Patriarcharum cœtib; , mars-  
tyrum agminibus, Confessorum acie, virginum choris, & ante thorum Mariæ acies ordinan-  
tur & dulcia cantica audiuntur. Cumq; bis à filio ad se vocata esset, tandem in manus eius tra-  
didit animam suam. Apostolis autem mandat Dominus, vt corpus Virginis matris in vallem  
Iosaphat deferant, & in monumento nouo, quod ibi inuenturi sint id recondant, seq; triduo ibi  
expectent. Sublatâ in cælos à Filio animâ B. matris, Apostoli & alij funus efferunt in vallem  
Iosaphat, quæ est inter montes Sion & Oliueti posita, ibiq; id terræ mandant. Tertiâ die redit  
Christus ad monumentum, corpusq; matris resuscitat, & secum in cælos euehit, spectantibus A-  
postolis. Pugnans autem hæc cum verbis Christi veri, Adhuc paulisper vobiscum sum,  
Ioan. 13. pugnant etiam cum articulo Fidei, Ascendit in cælos: Inde venturus est iudi-  
care viuos & mortuos. Monet etiam nos Dominus, ne huiusmodi narrationibus fidem ad-  
hibeamus. Si quis, inquit, vobis dixerit, Ecce, hic est Christus, aut hic, ne creaitis, &c.  
Secundò, non probat etiam hæc Molanus, & ipse Pontificius, quæ diximus de præsentia Apo-  
stolorum in obitu Mariæ, dicit enim: Quòd B. Mariæ dum moritur & sepelitur, Apo-  
stoli omnes adesse pinguntur, referendum est inter eas picturas, quæ populari pte-  
rate vniuersaliter receptæ sunt magis, quàm ex solida sacra Scripturæ, aut solidi  
Doctoris autoritate. De Mariæ verò decubitu in lectulo ita scribit Clichtoueus cap. 6. de  
Assumptione Virginis. Crediderim eam non decubuisse lecto, more ægrotantium,  
& qui morbo pressi claudunt hanc vitam, cum neq; infirmitate vexata credi po-  
tius debeat, neque debilitate prostrata, sed flexis reuerenter genibus acceptissi-  
mum Deo spiritum commendasse.

Hæc autem & alia similia multa referuntur primò in illo libello, qui decreto Gelasij  
Pape dist. 15. c. Sancta Romana, inter Apocrypha numerantur de Transitu Mariæ virginis.  
Sed à quo ille scriptus fuerit, inquit Baronius tomo 1. pag. 371. cum non dicatur, sine  
authoris titulo illum editum fuisse existimamus, cui postea otiosus quispiam præ-  
fixit honestum titulum Melitonis Sardensis Episcopi: qui quidem commentario-  
lus Bedæ etiam iudicio in Retract. in Acta c. 8. refutatur. Numerat quidem eum Trit-  
hemius quoque inter Melitonis lucubrationes: Hieronymus autem Melitonis lucubrationes  
recensens, eius non meminit, ac insunt ei plurima tanto viro indignissima, quæq; Apostolorum  
Actis, vt notat Beda, repugnant. Et hoc videtur illud Apocryphum scriptum esse, in-  
quit Iacobus de Voragine, de quo Hieronymus in epistola ad Paulam & Eustochiū,  
de qua iam dicturi sumus. In ea enim, quæ titulum habet de Assumptione Mariæ, monet Pau-  
lam & Eustochium, vt sibi à libro hoc apocrypho de Transitu B. Mariæ caueant,  
ne fortè, si venerit in manus earum, dubia pro certis recipiant, &c.

Quod autem pertinet ad illam epistolam ad Paulam & Eustochium, quæ inter opera Hie-

Fabulose  
narrationes  
de totali B.  
Mariæ as-  
sumptione.

Vnde narra-  
tiones fa-  
bulose de  
Mariæ as-  
sumptione  
ortæ.  
Iudicium de  
libello apo-  
crypho de  
Assumpti-  
one Mariæ

Iudicium de  
Hieronymi  
epistola.



ronymi exstat, eam non esse Hieronymi, Erasmus testatur, in Censura huius epistolæ. Totus, inquit, huius epistolæ stilus sic abhorret ab Hieronymo, ut non dubitem negare Latinum fuisse qui scripsit, sed Græcum: resipit enim sermo totus Græcitate[m] quandam, &c. Baronius etiam tomo 1. *Annal.* pag. 371. & in *Notis ad Martyrol. Rom.* ne Sophronij quidem eam vult esse, ut Erasmo placuit, sed alicuius authoris qui vixerit circa vel post Concilij Ephesini & Chæcedonensis tempora: plurimum enim laborat in destruendis Nestorij & Eurychetis dogmatibus, quæ verò longe post tempora Hieronymi & Sophronij in Ecclesiam irruerunt.

Judicium de  
Athanasi  
Sermonem.

Exstat etiam Sermo Athanasij nomine, in quo multa & mirifica de B. Maria Assumptio[n]e ne[n]t narrantur. Ille verò Sermo non in die Assumptionis, sed Annuntiationis habitus videtur ex eius exordio: eumq[ue] alterius cuiusdã quàm Athanasij putat esse Baronius quoq[ue] in suis ad Martyrolog. Rom. *Notis*, quòd dogma Nestorij auctor infectetur, quum Nestorij hæresis diu post Athanasium orta sit.

Ex his tamen scriptis originem suam habent, Baronio quoque teste & Molano de *Picturis* cap. 67. quacung[ue] posterioribus seculis Nicophorus lib. 2. cap. 21. 22. & 23. item Simeon Metaphrastes, Damascenus, Michael Syncellus ex Græcis: Ex Latinis verò Gregorius Turonensis, de *Gloria Martyrum* cap. 4. Iacobus de Voragine *Legenda* 114. Petrus de Natalibus lib. 7. c. 65. Ioannes Clichrouzus & alij de Assumptione B. Mariae tam in corpore quàm in anima, narrarunt, & quorum nonnulla à nobis etiam paulò antè commemorata sunt.

Fabulosa  
narratio de  
transitu B.  
Mariæ con-  
firmatur vi-  
sionibus fi-  
ctis.

Cum verò de totali Mariae Assumptione in corpore & anima, quæ hodiè in Papatu passim obtinet, à pluribus non immeritò dubitaretur, visione quadam eam confirmatam aiunt, quam Antoninus tit. 19. cap. 11. Vincentius lib. 8. cap. 80. Iacobus de Voragine *Legenda* 114. et alij his ferè verbis referunt. S. Elizabeth, inquit, Regis Hungariæ filia, & vxor Landgrauij Thuringiæ per visionem vidit in loco remotissimo sepulchrum quoddam multo lumine circumfusum, & quasi speciem mulieris in eo, quam circumstabat multitudo maxima angelorum: sicq[ue] eam alacriter suscipientes cum magno concentu in cælum deduxerunt. Post modicum temporis Elizabeth angelum, cum quo loquebatur de hac visione, interrogauit, qui ei respondit: Ostensum est tibi in hac visione, quomodo Maria virgo assumpta sit in cælum animâ & corpore. Addit Iacobus de Voragine, Mariam huic Elizabethæ quoque apparuisse, dixisseq[ue] post ascensionem Domini anno integro, & tot diebus, quot sunt ab ascensionis die usq[ue] ad diem mæ Assumptionis superuixi. Et cum interrogasset Elizabeth, vtrum debeat hoc alijs quoq[ue] indicare, responsum fuit, nec carnalibus, nec infidelibus manifestandum; nec spiritualibus & deuotis occultandum. *Facta sunt hæc circa annos Domini 1230.*

Antonini iu-  
dicium de  
hac visione.

Antoninus autem narrationem de hac visione non admodum magni facere videtur. Sic enim scribit: Quòd assumpta sit Maria in anima & corpore, satis communiter creditur, & dicitur à Doctoribus. Quòd autem post annum & menses tres migrauerit, opinio communis est in contrarium, scilicet, quòd duodecim annis superuixerit post Ascensionem Domini, & tertiã die suæ mortis in corpore suscitata & glorificata cum Christo. An etiam 40. die corpus eius viuificatum fuerit & assumptum in cælum, vel ante, omninò est ignotum, & à Doctoribus non insinuatum. Durandus etiam indicat in *Rationali* libro 7. c. 23. S. Elizabetham de hac visione etatum composuisse, qui tamen non sit authenticus nec ab Ecclesia Romana comprobatus.

Antiquitas  
festi huius  
de Assum-  
ptione Ma-  
riæ.

De antiquitate autem huius festi, quando nimirum & à quo institutum fuerit, non idem quoque sentiunt auctores. Horolanus in *Calendario Ecclesiastico* refert, festum hoc circa annos Christi 364. per Damasum Papam institutum esse, et testem adducit Durandum, cum tamen lib. 7. c. 24. vbi de hoc festo agit, & alibi nusquam inueniatur. Coniectura autem multa sunt, ob quas vel à Damaso, vel alio Pontifice Rom. post Damasum institutum crediderim, sed non ab omnibus receptum; nondum enim tunc temporis Episcoporum Rom. tanta auctoritas & po-  
sentia



tentia fuit, ut omnibus Ecclesijs imperare & leges prescribere potuerint. Nicephorus igitur lib. 17. c. 28. solennitatem hanc Mauritiij Imp. decreto institutam esse dicit, inquit enim: Mauriti- us Imp. sacrosanctæ Dei genetricis Dormitionem seu Assumptionem 15. Augusti mensis celebrari præcepit.

Verum ne sic quidem Ecclesijs omnibus obrudi potuit, ut apparet ex Constitutione Caroli M. Imp. lib. 1. c. 158. ubi hæc leguntur: Hæ sunt festiuitates in anno, quæ per omnia venerari debent, Natalis Domini, S. Stephani, &c. & in fine: De Assumptione B. Mariæ interrogandum relinquimus. Vnde apparet per annos plus minus ducentos etiam post Mauritiij Imp. dubitatum fuisse, si tunc hoc festum celebrandum, annon? Mox autem Lu- douicus Caroli filius gratificari volens quibusdam idololatriæ & supersticiosi hominibus, in Synodo Aquisgran. anno 818. vel iuxta alios 819. habita, diem Assumptionis Mariæ festis ad- didit & celebrare mandauit, ut Auentinus indicat lib. 4. Annalium.

Post aliquot annos Leo 4. Papa decreuit, ut Octauæ Assumptionis Mariæ celebrarentur in Romana Ecclesia, quod prius non fiebat, Antonino testē cit. 16. c. 1. § 6. Factum hoc anno Domini 847. iuxta S. gerbertum, & quidem ob hanc causam, quod hic Papa eodem die precibus ignem stitisset, ut Catoniano & Gelliano verbo utar: Functius. Sed nec Octauæ ubiq; & ab omnibus Christianis receptæ & approbatæ fuerunt. Nam duodecimo demum à nato Christo se- culo Reinoldus Coloniensis Episcopus eas in suo Episcopatu instituit. Collectarum verò & Cantus festiuitatis huius au- thorem facit Gregorium M. Eccius parte 3. homil. de Assumptione Mariæ homil. 4.

Origo Octa-  
uæ Assum-  
ptionis Ma-  
riæ.

Collectarum  
origo.

Ex his omnibus intelligitur, festum hoc tandem, crescente idololatriâ, factum esse omnium maximum & celeberrimum. In Sermone illo Hieronymi, de quo supra, dicitur festiuitas, quæ incomparabilis sit omnibus Sanctorum festiuitatibus. Durandus in Rationali lib. 7. c. 24. Hoc festum, ait, est maius omnibus alijs quæ fiunt de Maria. Vnde etiam ha- bet Octauas & Ieiunium, quod non habet aliud festum de illa. Et Petrus Clunia- censis lib. 2. de Miraculis cap. 30. refert, Moris esse Romanorum festum Assumptionis Mariæ inter omnes anni festiuitates præcipuo honore colere, & speciali deuotio- ne venerari: indeq; fieri, ut inter alia cereos maximos faciant, quos in vigilia festi- uitatis huius accendant, &c. Bonfinius quoq; lib. 1. Decad. 2. indicat, Stephanum Hunga- ria Regem edictum promulgasse, ut omnibus Hungaris dies Assumptionis Mariæ in- primis esset solennis, eumq; Domini diem appellarent: cæteraq; eius festa ieiunijs & singulari deuotione transigerent. Factum hoc circa annum Domini 1030. refert etiam Carluicius in vita Stephani Regis, & porro addit, eum amplissimam basilicam in honorem eiusdem solennitatis erexisse.

Festum hoc  
tandem fa-  
ctum maxis-  
mum.

In hoc festo herba, planta, item radices & fructus arborei in Papatu colliguntur, & bene- dicuntur, quod Maria rosa & lilio comparatur. Vuitekindus in Computo suo Ecclesiastico hac de re ita scribit: Ferre solent hac die mulieres in templa fasciculos herbarum, in quas consecratione sacerdotis immitti vis fugandi cacodæmonas, spectra, ve- neficia, & prohibendi fulmina, aliaq; noxia, creditur, si suffitus ex ijs, fiat. Ob quam causam festum hoc vulgo Herbarium vocatur.

Ritus huius  
festi.

#### DE ROCHO EIVS QVE festo.

De origine solennitatis & venerationis ROCHI hæc tradit Cranzius lib. 9. cap. 25. Me- trop. Circa annos, inquit, 1320. Rochus Narbonensis prouinciæ nobilis iuuenis, cuius pater erat Dominus oppidi Agathopolis, in locuplete hæreditate, dimissus à pa- rentibus ad annum ætatis 12. patriam deserens. quam patruo commisit gubernan- dam, Italiam petijt, peregrinatus pro Christo (In breuiario autem Carmelitarum scri- bitur, Rochum bona, quæ à progenitoribus acceperit, deseruisse & ea pauperibus erogasse.) In Italia vidit plagam crebrescentem pestilentia, & misertus ægrotantium, crucis



imprefione multos liberauit Romæ, Aquapendente, &c. Cefenæ notior factus aufugit. Placentiam igitur adiit: ibi cum multos curasset orationis impendio, ipse quoque percussus est eodem morbo, velut ardente sagittâ in coxam eius emissâ. Illic eijcitur, vexatus blasphemîâ, En qui alios curare præsumit, ipse ægrotat. In nemore solitæ precis præsidio, integram recepit sanitatem. Tum in Gallias reuersus, patriam inuenit bellis tumultuantem. Eò quum concessisset à lictoribus capitur, tanquam explorator: in carcerem conijcitur, vbi quinquennium egit in summa patientia. Demùm laxatus, domum patruî, velut alter Alexius, mendicantis habitu excoluit: anno ætatis suæ 32. mortuus est. *Hæc Cranzius: quæ tamen aliter etiam in Breuiario Carmelitarum referuntur, vbi sic legitur: postremò humanæ laudis metuens Rochus, Galliam repetens, plurimis vbiq; curationibus mirus, febrî in via corripitur, & in eremi solitudinem sub arbore iacuit, hominibus quidem ignotus, sed cani nobilis cuiusdam cognitus, qui ei panem de Domini sui mensa quotidie afferebat. Ad extremum, quum in oppidũ suum in Gallia tum bellis anxia peruenisset, creditus explorator, in carcerem conijcitur, vbi peste mortuus est 17. Cal. Septemb. Inuenta est, addit Cranzius, tabula ad latus demortui his verbis scripta: Peste laborantes ad Rochi patrocinium fugientes, contagionem illam truculentissimam euasuros significo. Ea res ad patruum eius vrbis principem perlata, fecit attonitum. Vbi diligentius rem explorat, vidit ex fratre nepotem. Tum terrefactus, soluitur in lachrymas: facellum ei dedicat, vbi miraculis fulgescit. Venit deinde in obliuionem Rochi nomen: sed anno Christi post 1415. quum Concilium Constantiæ ageretur, ibiq; pestis desæuaret, ex Germanis cœpit Italis nomen eius insigne fieri. Ad annum autem 85. Venetias corpus eius deportatur, vbi summo in honore, dicato sacello, festum eius percolitur 17. Calend. Septemb. Baronius in suis Notat. ad Martyrol. Rom. ex Francisco Diedo, Patricio Veneto, qui Rochi vitam circa annos Christi 1483. descripsit, hæc de Constantiensi Concilio refert: Scribit Diedo Rochum obiisse diem anno Domini 1327. Anno autem 1414. innotuisse Patribus Concilij Constantiensis, quorum decreto ad propulsandam ingruentem luem eidem honores debiti Sanctis sunt impensi. Nam & solenni pompâ eius imaginem omni comitante populo, per vrbem detulerunt: quo facto, illa pestis mox euanuit. Inde verò exemplum sumptum est, vt vbi que locorum eius venerandæ imagines, altaria, sacella, ac denique templa erecta fuerint.*

XVII. MAMMES puer septennis apud Casaream Cappadocia sub Aureliano Imp. & Præside Antiocho passus est 16. Cal. Sept. P. de Nat. lib. 7. cap. 72.

XVIII. HELENA Cæli Britannici regis vnica filia, Constantini Magni Imperatoris mater fuit. Inter omnes ætatis suæ feminas, nulla inueniebatur eâ formâ corporis præstantior, in liberalibus artibus, instrumentis musicis & linguis doctior. Ob has corporis & animi dotes eximias Constantius Chlorus Cæsar illam uxorem duxit, atque ex ea filiam Constantinum Magnum in Britannia genuit. Marito defuncto Hierosolymam abiit ex voto. Romæ tandem a Erogenaria in Christo obdormiuit 15. Cal. Septemb. filio adhuc superstite, anno 337. Quæ à Petro de Natalibus lib. 7. cap. 73. de Helena hæc narrantur, à vero prorsus sunt aliena. Ei Constantinus filius post obitum ingentes tribuit honores: quales scilicet eam decebant, quæ eam piè sanctèq; vixisset. Extra vrbem Romam sepulta, in templo rotundo marmoreâ vrnâ deposita, atque biennio post vna cum vrna Constantinopolim deportata est, & in imperiali monumento adis S. Apostolorum illata, lætisq; diurnis & nocturnis memorijs celebrata. Hierosolymis imprimis, virgines illæ, quibus Helena veluti quadam ancilla in seruiet, præcipuè eam sunt memorijs solenniter prosequutæ, Nicephoro teste lib. 8. cap. 30.

XIX. SEBALDVS regis Dania filius, nocte primâ nuptiarum sponsam suam deserens, in eremum fugit, & ibi 15. annos mansit. Romam inde profectus à Gregorio II. in Germaniam prædicandæ causâ missus fuit, & propè Noribergam in solitudine vixit. Tandem Noriberga in Oratorio fractum



fratrum D. Martini mortuus est, & à Martino V. in numerum Deorum relatus, & 14. Sept. eius honoribus annuatim tributus. Curio libro secundo Chronologie.

LVDOVICVM Episcopum Tolosanum, Caroli regis Sicilia filium inter Sanctos Confessores reculit Ioannes. 22. Papa, qui ab alijs 23. vocatur anno Pontificatus sui primo, Domini verò 1317. Et festiuitatem hanc 19. Aug. annuatim celebrantibus, duos annos, & duas quadragenas: accedentibus verò ad sepulchrum eius annis singulis infra eiusdem festi octauam, vnum annum & 40. dies de iniunctis sibi pœnitentijs relaxauit, vt ex eius Diplomate apparet apud Surium tomo 4. de Vitis Sanctorum. Alij verò hanc canonizationem Bonifacio ascribunt: Platina.

BERNHARDVS ex Burgundia nobilibus parentibus oriundus, relicto seculo Cistercium se contulit cum socijs 30. anno 1113. ibiq; ita se gessit, vt mox Abbas Clareuallensis cœnobij constitueretur, cui per annos 36. præsuit, & monasteriorum sui Ordinis 160. author extitit. Tandem moritur ætatis suæ anno 64. 13. Cal. Septemb. Alexander tertius anno 1164. eum inter Deos reculit, festum eius mandans celebrari die obitus sui. Antoninus tit. 17. cap. 1. §. 10.

PRIVATVS Episcopus passus est in ditione Gualitanæ ciuitatis. Nam cum in persecutione Valeriani & Gallieni Christum prædicaret, & deos Paganorum adorare recusaret, iudicis sententiâ capitis supplicium subiit 12. Cal. Sept. vt Petrus de Natalibus lib. 7. cap. 89. ex Adone refert.

SYMPHORIANVS Augustoduni nobilibus parentibus Christianis genitus, quum adhuc esset adolescens, tantâ morum grauitate pollebat, vt senes multos antecelleret. Cum verò Paganis festum Veneris celebrarent, Symphorianus autem imaginem eius adorare nollet, primò caditur, deinde carceri includitur: inde verò eductus quum sacrificare nollet, capite truncatur 11. Calend. Septembr. circa annum Domini 270. vt refert Petrus de Natalibus libro septimo, capite nonagesimo tertio.

ZACHÆVS quartus fuit à Iacobo Apostolo Hierosolymorum Episcopus, vt Eusebius testatur lib. 4. cap. 5. Moritur in pace 10. Cal. Sept.

#### DE BARTHOLOMÆO APOSTOLO eiusq; festo.

BARTHOLOMÆVS Apostolus Galilæus fuit: apud nonnullos tamen ea inualuit opinio, Baronio teste, quod Syrus natione fuerit, atq; à Ptolemæo Rege originem duxerit, dictusq; Bartholomæus, quasi filius Ptolemæi. Sed error est. Nam Ptolemæi in Ægypto, non in Syria regnarunt. Præterea Apostolos omnes Galilæos fuisse docet S. Scriptura Act. 1. vbi angeli ad omnes Apostolos dicunt, Viri Galilæi &c. & c. 2. Ecce omnes, qui loquuntur, Galilæi sunt. Sin autem Bartholomæum Syrum dixeris genere, quòd Galilæa est in Palestina, & hæc in Syria: eadem quoq; ratione cæteros etiam Apostolos Syros fuisse, non solum Bartholomæum, dicendum est. Theodoretus in præfat. de Euangel. veritate, Bartholomæum, sicut reliquos, nullum excipiens, piscatorem fuisse affirmat, idq; etiam Metaphrastes testatur: quod quidem verius videtur: nam, vt Paulus docet 1. Cor. 1. Ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus. Adhæc, Bartholomæus non à Ptolemæo est dictus, sed sicut Iudæus erat genere, ita ab Hebraica quoq; voce denominatus fuit, Bar Tholmai, filius Tholmai. Est Tholmai nomen Hebraicum, & in sacris literis repetitum, vt Num. 15. Ios. 5. Iudic. 1. 2. Reg. 3. & Paralip. 3. c. Neque etiam illorum sententia probanda est, qui eundem esse putant Bartholomæum cum Natanaele, ex leuibus quibusdam coniecturis. In horum numero sunt Rupertus abbas, Cornelius Iansenius & alij hos secuti. Refragatur enim Augustini sententia, qui in Psal. 65. & in Ioan. tract. 17. c. 1. scribit, Nathanaelem idè à Christo non fuisse electum inter Apostolos quòd fuerit legis doctor. Consentit etiam Gregorius Magnus libro trigesimo tertio, Moral. capite vigesimo primo.

XXI

XXII

XXIII

XXIII

XXIII



DE ORIGINE FESTORVM

Sunt autem qui aliter sentiant. In Commentariolo Hippolyti de duodecim Apostolis legitur, Bartholomaeum, capite deorsum pendente, crucifixum esse. Testatur etiam Iosephus apud Metaphrasten, cruci eum affixum fuisse: & ad stipulatur Nicephorus lib. 2. c. 39. At verò excoriatum eum fuisse, alij tradunt; ut apud Isidorum (licet Isidori non videatur liber iste) de Vita & Obitu Sancti 177. Id etiam docet Praefatio Ambrosiana, & antiqua lectionaria. Hac diuersitas inde profecta videtur, quòd Gestorum eius quadam feruntur Abdia Babylonij nomine: quaedam incerto auctore, in libro qui inscribitur, Passiones Apostolorum: alia his similia extant in antiquis codicibus manuscriptis: alia quae scripta à Iosepho recitat Metaphrastes: adidit & alia Perionius, quae non consentiunt: ut intelligat Lector quid de illis omnibus sentiat dum.

Corpus eius Albani, vrbe maioris Armenia, ubi passus fuerat, sepultum est: quod postea ad Liparam seu Liparim insulam delatum est iuxta Gregorium Turonen. de glor. martyr. c. 34. Inde postea alia facta est translatio Beneuentum anno 832. ut auctor est Sigebertus in Chron. Leo autem Ostiensis lib. 1. c. 26. factam esse scribit anno 840. Rursus autem inde quoq; Romam ab Ottone II. Imp. sub Gregorio V. Pontifice, portatum, in Tiberis insula, in Ecclesia eius nomine dicata, collocatum fuit anno 983. Agitur autem Roma dies festus 8. Cal. Sept. & per octo consequentes dies illa basilica magnâ populi frequentia celebratur, ut in Nouo Breuiario Rom. legitur. Plurimis tamen in locis 9. Cal. Sept. festum eius celebratur, quòd tunc excoriatum tantum esset. De qua diuersitate sic Mantuanus canit:

Hinc varij mores varijs pro gentibus orti.  
Sunt quibus est celebris vigesima quarta,  
Qua nudata suo rubuerunt tergoe membra.  
Sunt quibus est lux festa sequens cum vita recessit.

Hoc ipso quoq; die reformata Ecclesia in Gallia magno cum luctu & mœrore in memoriam reuocant lanienam illam plusquam barbaricam et Turcicam, in qua Caspar Colliginus Admirallius Francia, cum magna parte nobilitatis, & tota ferè Ecclesia, periit. Historiae totius proluxa extat descriptio parte quarta Comment. de statu Religionis & Reipub. in Gallia.

XXV. LUDOVICVS filius Ludouici octauj regis Gallorum, quum multos annos regno suo magna cum laude praefuisset, alteram suscepit expeditionem in Syriam, quum certa ad eum allata esset fama de periculis Terra sanctae, anno Christi 1270. sed moritur in portu Carthagini 25. Aug. Bonifacius VIII. autem hunc diem ei festum agi praecepit: Bergomensis, Sabellicus verò Enne. 9. lib. 7. hoc Ioanni 22. tribuit.

XXVI. GENESIVS mirabiliter, accepto per iocum Baptismo, ad Christum conuersus, sub Diocletiano capite casus est Arelat. 7. Cal. Sept.

XXVII. GEBHARDVS Vithonis Comitris de Bregenz filius, ex aluo matris, partus doloribus extincta, exsectus, Constantiensis factus est Episcopus, quo in munere sedulus fuit Baalismi propagator: obiit anno 996. 6. Cal. Sept.

XXVIII. PELAGIVS I. Papa Gotthorum applausu Pontificatum Rom. adeptus est: Principis auctoritatem ac populi consensum in ordinandis Pontificibus necessariam esse decreuit. Constituuit etiam, ut Clerici quotidie Canonicas horas septies murmurarent: abbates regaliter eligerentur: haereticus per secularem magistratum punirentur: ut Quadragesimali tempore hora nona sacrificiis missare liceret. Primatum etiam Ecclesiae Rom. non à synodis aut ab hominibus sed ab ipso Christo institutum, primus asseruit. Memorias mortuorum primus approbavit & Missa addidit. Moritur anno 556. 5. Cal. Sept.

AVGVSTINVS Carthaginensis Philosophus & Rhetor primò eximius, Manichaeorum haeresi addictus fuit: sed ab ea ad orthodoxos defecit, & ab Ambrosio Mediolan. Episcopo baptizatus est. Claruit anno 380. non minus vitae sanctitate, quam excellenti doctrinâ inter splendissima nostrae fidei lumina meritò referendus. Annos 40. aut amplius eò, Hipponensis Episcopi munere functus est, obiitq; aetatis suae anno 76. Salutis circiter 430. 5. Cal. Sept. Anno 718 die 28. Martij è Sardinia Papiam iussu Aliprandi regis corpus Augustini translatum est, ibi que in Ecclesia Petri, quae dicitur caelum aureum, collocatum, annis ab eius obitu 280.



**D**ecollationis S. Ioannis Baptistæ festum quatuor de causis institutum esse Iacobus de Voragine in Lombardica historia, Pet. de Nat. lib. 7. cap. 132. alijq; referunt ex libro Mitrali de Officio. Primò, propter ipsam decollationem Baptistæ, cuius integra historia descripta extat apud Matthæum 14. & Marcum c. 6. ceteris posterioribus temporibus quosdam homines multa fabulosa assuerunt. Hac verò die Ioannes decollatus non est, sed circa dies azymorum anno mortem Christi precedente: oportuit autem Ioannem tanquam minorem cedere Christo maiori.

Secundò celebratur hoc festum propter ipsius ossium concremationem & collectionem, quæ 4. Calend. Sept. secundum aliquos facta est. Nam, ut Iosephus & Hieronymus indicant, atq; etiam libro 12. historiae Scholast. refertur, decollato Ioanne Baptistæ, discipuli eius corpus apud Sebasten urbem Palaestinae, quæ quondam Samaria appellata est, sepelierunt inter Helisæum & Abdiam prophetas. An verò discipulis tam procul, nempe Machærunte Samariam vsq; ubi & Iordanis fuit transeundus, & aliquot porrò miliaria, licuerit cadaver Ioannis deportare, præsertim Herodiade adhuc fremente, & Herode metuente populū ob recens interemptum tantum prophetam, Samaritanis quoq; Vatiniano odio Iudæos prosequentibus, pius Lector iudicet. Ad sepulchrum verò eius quotidie multa miracula fiebant, ut ingens hominum multitudo eò conflueret. Iulianus igitur Apostata iussit Ethnicos in ignominiam & dedecus Christianorum ossa Ioannis per agros spargere. Sed cum & illuc Christiani venirent, nec miracula cessarent, rursus gentiles ossa collegerunt & combusserunt. Dum autem ad cremandum colligerentur, multi Christiani mixti gentilibus ossa colligentibus, quot & quæ occultare poterant reseruarunt, & ad Philippum Hierosolymorum Episcopum tulerunt: ita quidem Belet in Ration. cap. 147. & Durandus in suo Ration. lib. 7. cap. 26. Vincentius autem lib. 18 cap. 60. Iacobus de Voragine & Petrus de Natalibus dicunt, quosdam monachos Hierosolymā venientes, se clam colligentibus Ethnicis immiscuisse, & magnam ossium illorum partem sustulisse. Liber verò Cypriani, qui tamen falso ei adscribitur, de Revelatione capitis Ioannis, habet, post concremationem ossium Ioannis, quosdam monachos Hierosolymis ad locum sepulturae Ioannis venisse, & quicquid reliquum de ossibus eius in monumento repererint, ad patrem suum Iosephum detulisse Hierosolymam. Ossa hæc Hierosolymam delata à Philippo Hierosolymit. Episcopo, vel iuxta alios à Iosepho monachorum patre, transmissa Athanasio (vel, iuxta Beletum & Durandum Anastasio) Alexandriae Episcopo per Iulianum diaconum, Alexandriae seruata sunt vsque ad Theophilum eius urbis Episcopum, qui ea in templo Serapis à sordibus purgato reposuit, & Basilicam illam in honorem Ioannis consecrauit. Falsus autem Cyprianus dicit, Theophilum, iubente Theodosio Principe, omnia idolorum fana in regione Alexandria destruxisse, & Ecclesiam miræ magnitudinis construxisse, & in honorem S. Ioannis Baptistæ consecrâsse, illiusque ossa quæ sibi direxerat Athanasius, in eadem Ecclesia congregatis vicinis Pontificibus ex omnibus regionibus cateruatim, omnibusque ordinibus clericorum & populorum, honorificè constituisse. Nunc autem ossa hæc Genuæ esse dicuntur, ex approbatione Alexandri 3. & Innocentij 4. ubi festo die deuotè coluntur. Placuit autem Gilberto festum hoc, in rei huius memoriam, Collectionis potius, quàm Decollationis nominare.

Tertio, celebratur hoc festum in memoriam Inventionis capitis Ioannis, quæ 4. Cal. Sept. facta dicitur. Sicut enim legitur lib. hist. Scholast. cum S. Ioannes Machærunte castello capite truncatus esset, caput eius Herodias Hierosolymis iuxta regiam Herodis clam sepeliri curauit, timens ne propheta resurgeret, si corpus cum capite sepultum esset. Id verò progressu temporis reuelatum fuit duobus Monachis Occidentalibus Macedoniana heresis, ut Sozomenus lib. 7. cap. 21. indicat qui, ut Iacobus de Voragine & Pet. de Nat. referunt, id iuxta Herodis regiam Hierosolymis saccis cilicinis inuolutum inueniunt 7. Cal. Martij. Domum autem redeuntes,

XXIX  
Fest. huius  
causæ.

24



DE ORIGINE FESTORVM

quidam Edessena ciuitatis figulus, paupertatem fugiens, se eis comitem adiunxit. Cum autem saccum in quo caput Ioannis erat depositum portaret ille, admonetur in somnis à S. Ioanne, ut monachos illos desereret clam, & caput Ioannis Edessam transferret. Paruis ille, atq; caput Baptistae in specu quodam ignobili recondidit, & asseruauit. Facta haec esse Lombardica historia & Pet. de Natalibus referunt sub Martiano Imp. Nam post aliquot annos caput hoc iisdem scribunt reuelatum cuidam Marcello, quem Belzib & Durand. presbyter, Jac. de Vorag. autem et Pet. de Nat. monachum nominant, et ab eo Edessenaq; urbis Episc. Iuliano inuentum esse 4. Cal. Septemb. ex qua die festum in rei memoriam ibi celebrari cepit. quod de Reuelatione esset appellandum Verum autem non est caput hoc sub Martiano Imp. demum inuentum esse, cum historiae referant, hoc sexaginta plus minus annis ante Martianum sub Valente Imp. factum. Cum enim Mardonius tempore Valenti Imp. τῆς βασιλευς οὐξίαρ υειζων, hoc est, imperialis domus Maior comperisset, quod caput Ioannis inuentum esset, indicauit Valenti, qui id Constantinopolim deferri praecipit. Qui vero ad eam rem perficiendam missi fuerant, cum splendido comitatu in imperiali curru id aduehebant. Cum autem ad Pansyebium, praedium Chalcedonense, peruenissent, ita ibi constitit, ut ulterius promoueri nullam vi aut arte potuerit: ideoq; in pago Cosilari deponunt, quod is Mardonij esset. Postea Theodosius Maior id inde Constantinopolim transferre volens, sola, ut fertur, matrona (quae sacra quidem virgo videri volebat, sed diaconum adhaerentem sibi & custodem habebat) totis viribus repugnabat. Nihilominus Imperator thecam in qua caput erat purpuram inuoluit, & secum auexit, atq; ante urbem Constantinopolim recondidit, in loco quem Hebdomon vocant, ibiq; templum DEO erexit maximum & venustissimum. Extant haec apud Sozomenum lib. 7. cap. 21. in Tripartita historia lib. 9. cap. 43. & Nicephor. lib. 12. cap. 49. ubi aliter ac Sozomenus templum hoc Baptistae extruxisse Imperatorem scribit. Rursus autem Romanum Martyrologium proficitur, caput S. Ioannis Baptistae Romae asseruari in Ecclesia S. Siluestri in campo Martio: partemque illam capituli, mentum dictam, quam illud caret, Augustae praetoria in finibus Subalpinorum haberi voluit, aliaeque ciuitates easdem reliquias sibi vendicant. Hinc apparet, dubium valde esse, ubinam verum caput S. Ioannis Baptistae habeatur & colatur à Papistis: & negare non possunt, alicubi falsas reliquias capituli religioso cultu venerari.

Quamuis autem magna sit diuersitas et discrepantia authorum in ijs quae hucusq; ex illorum relatione narrauimus, tamen ab ijs omnibus dissentit author libelli de Reuelatione capituli Ioannis apud Cyprianum. Dicit enim, caput quidem Ioannis à duobus monachis inuentum esse iuxta palatium Herodis, sed ubi palatium id fuerit non indicat, & inde clam Hierosolymam fuisse delatum. Non multo vero post ibi à latronibus raptum esse, & in quodam specu absconditum, sed à Marcello inuentum, & Iuranno Alexandrino Episcopo Theophili successori allatum 4. Cal. Sept. in solemnitate Collectionis reliquiarum illius. Annis inde non multis elapsis, Felicem quendam monachum iussu diuinitus Alexandriae hoc caput clam surripere, & in Galliam transferre: Paruisse monachum & apud Pipinum tunc Aquitaniae Ducem deluisse, qui basilicam adificauit non longe à Vultonna littore, in qua cum aromatibus collocauit caput hoc: conuocatisq; à Pipino & Felice Pontificis sacerdotibus, omniq; nobilitate, consecratam illam Ecclesiam & liberalissimè dotatam, nec non monachorum collegium ibi institutum fuisse.

Narratio autem ista, quae exstat inter Cypriani Opera, nihil prorsus habet quod Cypriano dignum sit. Phrasis abest ac dissidet à Cypriani stilo sine spectes elegantiam orationis, siue eruditionem. Meminit Pipini Regis seu Ducis Aquitanorum; quis autem ille fuerit, aut quo tempore vixerit, à nemine hucusq; exquiri potuit. Intelligit fortasse author Pipinum Regem: sed quia floruit ille aliquot post Cyprianum seculis, puduit eum proculdubio vanitatis, & ne fraus deprehenderetur, pro Rege Galliae, Aquitaniae Ducem posuit.

Baronius Tom. 11. pag. 84. aliam rursus sub anno 1025. eiusdem capituli Ioan. Baptistae reuelationem ex fragmentis historiae Aquitanicae commemorat. Temporibus his, inquit, dum reuersus esset à Roma post Paschales dies gloriosus dux Vuilhelm. inuentum est caput S. Ioannis,

annis,



annis, in ipsius basilica in tugurio s. xeo cœnobij Angeriæcensis: quod sanctum caput dicunt esse proprium caput S. Ioannis Baptistæ. Tunc Vuilhelmus Dux repletus magno gaudio, sanctum Caput populorū visibus ostendendū decreuit & non solum Aquitania, verum etiā Francia & Burgundia, Hispania & Britannia atq; Longobardia & cætera gentiū diuersitas, certatim, velut amnis, deuotè ibi occurrere. Meminisse autē debuit Baronius eorum quæ scripsit in Notat. ad Martyrol. Rom. pag. 555. vltima editionis, vbi hæc ex præcedentibus inferi: Si quod itaq; caput S. Ioannis (vt legitur in tractatu de reuelatione, seu inuentione Capitis Ioannis Baptistæ) Alexandria translatum est in Gallias, non quidē Baptistæ fuit, sed alterius Ioannis martyris, qui olim cum Cyro illic passus, illustrissimus habebatur, quorū Acta ex antiquis monumentis Metaphrastes descripsit die 31. Ianu. quæ recitat Lipoman. tom. 5. & Surius tom. 1. Erat ille Ioannes patriæ Edessenus, sepultusq; vnā cum Cyro, cuius domus mutata est in Ecclesiam, homine Trium puerorum erectam, vt eadem Acta testantur. &c. Ex quibus Baronij verbis intelligimus, falsum pro vero capite Ioannis Baptistæ, adeoq; testam pro nucleo, tantā veneratione coluisse Gallos.

Eccius tomo 3. homilia quarta de Assumptione Mariae asserit, Brianf. & Franciscum Moro affirmare, Ioannem Baptistam corpore simul & animā in cælo esse. Sed quomodo hæc conueniunt cum ijs quæ hucusq; de asseruatione reliquiarum Ioannis in terris narrauimus? Errare igitur videntur illi in nomine: hoc enim de Ioanne Euangelista & Apostolo refert Hieronymus & Nicephorus lib. 2. cap. 42.

Quartò celebratur etiam hoc festum propter digiti Ioannis, quo Christum ostendit, dicens, *Ecce ille agnus Dei*, &c. translationem, & Ecclesiæ in eius honorem dedicationem hoc die factam. Digtus enim ille, qui comburi non potuit, à monachis illis, de quibus supra, inuentus est, quem B. Thecla ex oris transmarinis detulit in Mauritaniam, vt Durandus habet: Beletus dicit, delatum fuisse in Romaniam: Lombardica historia verò in Normanniam, ibiq; in honorem S. Ioannis Ecclesiam adificatam, quæ hoc die, quo festum eius hodiè celebratur, fuerit dedicata: Scaturum enim fuisse à Pontifice, vt hic dies per vniuersum orbem Christianum S. Ioanni sacer haberetur. Iuxta hos verò dies hic Dedicationis esset nominandus. Sed quæro, quæ nam Thecla illa, quam illi sanctam vocant, fuerit? Mentio quidem fit in historia Ecclesiastica duarum Theclarum, quarum altera Iconio, altera verò Aquileiā oriunda fuit, sed amba sub Nerone pisse sunt. Historiam etiam de Inuentione digiti Ioannis Metaphrastes apud Surium aliter recitat: non enim meminit digiti, sed totius manus, nec à Thecla, sed à Luca Euangelista repertā asserit, quam Antiochiam allatam in magno pretio & honore ciues eius vrbs habuerint: Iuliani verò tempore reconditam fuisse, ne reperiretur à tyranno, sed sub sequentibus Imperatoribus Christianis repertam, & sub Iustiniano Imp. cum capite eius & tunica Christi Constantinopolim perlatam. Refertur ibidem, draconem quendam Antiochia in spelunca latitantem, & damna multa Antiochenis inferentem, interemptum fuisse iniecto digito Ioannis in gulam eius: In cuius rei memoriam Antiocheni magnificum templum in sancti honorem extruxerint, in quo quum digitum hunc reposuissent (sed quis eum rursus ex Draconis gula aut ventre exemit?) Sanctum exinde festis anniuersarijs honorare cœpisse: Inde verò ablatum & Ebalcedonem transportatum in veneratione ibi haberi, & diem festum Depositionis huius celebrari. Baronius autem in Martyrol. Rom. die 29. August. testatur, se percepisse, digitum indicem S. Ioannis Hierosolymis delatum esse in insulam Melitam à Fratibus Hospitalis S. Ioannis, ibiq; magnā veneratione haberi. Hæc si vera sunt, præcedentia de translatione digiti huius falsa erunt. Hæc igitur diuersas & inuicē repugnantes sententias si quis conciliare poterit, ne ille erit mihi magnus Apollo. Propterea autē pluribus eas commemoravi, vt intelligat Lector, quàm nulla fides huic narrationi sit adhibenda, quum quiuis animaduertat, ad confirmandum mortuorum cultum & venerationem excogitata & ficta hæc esse à superstitiosis hominibus. Relinquamus igitur ea nimium credulis, præsertim quum Euangelistæ, Spiritu sancto procul dubio gubernati, ne locum quidem indicare voluerunt, vbi Baptista terra manda-



DE ORIGINE FESTORVM

*est: quasi obuiam iuri superstitioni, qua postea in Ecclesiam Christi irrepse.*

*Baptista Mansuanus de hoc festo & discrepantibus de eo sententijs ita canit libro 8. Fas-*

*torum:*

Tempus erat quo Pascha vetus proferre solebat  
 Azyma per mensas: tunc est grassata libido.  
 Tunc caput ablatum: tunc aduenere nepotes  
 Heliae viuentis adhuc: raptumq; cadauer  
 Adiungere suis patribus, tumuloq; dedere:  
 Atq; duos inter vates posuisse feruntur  
 Scilicet Abdiam, Carmelicolamq; Hæliseum.  
 Tunc Sol vernus erat: sed in hunc translata fuere  
 Festa diem, quæ Sextilis vigesima nona est:  
 Quòd tunc dum Romæ regnabat apostata Cæsar  
 Dicitur exustum seruato vertice corpus.  
 Nam quum quotidie fierent miracula ad eius  
 Busta, sacerdotes larium, populiq; deorum  
 Cultores prius ossa viri sparsere sepulchro  
 Eruta; mox versa in cineres misere per auras.  
 At caput, vt linguâ sese satis vltima maligna est  
 Fœmina, proiectum ignota tellure recondi  
 Iussit apud Solymos: vbi iam cum secula quinq;  
 Volueret astrorum cursus, se vate repertum  
 Ostendente fuit: tandem, si annalibus ulla est  
 Danda fides, venit longinqua per æquora Romam  
 Sed tamen vt quidam perhibent cum puluere terræ  
 Pars cinerum collecta fuit, Gennamq; per vndas  
 Ionias, per Tyrrhemi vada cœrula ponti  
 Vecta facit, quotiens nautis irascitur æquor  
 Si maris ad littus pompâ comitante feratur  
 Perdere vim ventos æstumq; silere furentem.

XXX.

FELIX Presbyter passus est Romæ sub Diocletiano & Maximiano Imp. Cùm enim  
 idolis sacrificare nollet, iussit eum Præfectus vrbis capite truncari. Dum autem ad supplicium  
 duceretur, quidam ex improvise obuiam ei factus, dixit, Et ego sum Christianus. Dixerunt ei  
 carnifices, ergo & tu idem supplicium subibis. Cùm autem nomen eius ignoraretur, vocatus  
 est AVDACTVS, quasi Felici audacter associatus, iuxta Durandum in Rat. lib. 7. cap. 27.  
 vel iuxta Pet. de Nat. ADACTVS, quòd Felici auctus sic ad coronam, ipsiq; pro confessio-  
 ne fidei corona sit aucta. Passi sunt autem 3. Calend. Sept.

XXXI.

PAVLINVS Episcopus Treuirensis & martyr à Constantio Imp. Arriano in exilium  
 ob Catholicam fidem actus, hinc inde errans, tandem fatigatus in Phrygia defunctus est prid.  
 Cal. Sept. Adon in suo Martyrologio.

SEPTEMBER.

FESTA ET MEMORIÆ SANCTORVM, quæ mense  
 SEPTEMBRI à Christianis celebrantur.



VALERIANA virgo fuit Thebaidis, passa est anno Domini 288. sub Diocletiano &  
 Maxim. Imp.

AEGIDIUS



**AEGIDIUS** Athenis in Grecia natus, parentibus mortuis patrimonium in pauperes erogavit, & in Galliam ipse profectus est anno Domini 715. ad Casarium Arelatensem Episcopum: ac biennium apud ipsum commoratus in eremum secessit, ibique in antro quodam horrido latuit: ad quod Carolus Marcellus in venatione venit canum ducta, qui ceruam sectabantur, quae homini illi lac praeuise dicitur. Carolus miratus hominis sanctitatem, cenobium de consilio eius extruxit ad Nemausensem urbem iuxta Rhodanum, cui illum praefecit. Ranulphus lib. 5. cap. 28. Carolus Martellus petijt ab eo, pro se oraret Dominum, ut sibi condonaret delictum, quod nemini auderet indicare. Orante autem Aegidio, charta in altari reperitur, continens delictum Caroli, idque precibus Aegidij dimissum esse indicans: ac erat adscriptum, Quod omnia peccata poenitenti, & iuxta Aegidij verba concepta oranti condonentur. Quae superstitionem confirmant, conceptis verbis precum inesse vim quandam diuinam. Tandem moritur Calend. Septemb. Arnulphus etiam Imperator superatis caesisque 100000. hostibus ipsis Cal. Sept. circa annos Christi 895. decreto publico edixit, ut is dies in perpetuam rei memoriam deinceps sacer esset. Auentinus lib. 4. Annal.

**EMERICVS**, regius quidam iuuenis, Vestriuij. cum Amanuensi adem D. Georgij adijt: & inter precandum percontatus est, quid numini omnium gratissimum praestaret? Tum cum fulgore vox insonuit: Nihil, Emerice, Deo virginitate antiquius, gratiusque putes, atque inde iuuenis perpetuam virginitatem probauit. Bonfinius.

**MAMERTVS** Episcopus Viennensis ob terramotus & horrendas tempestates atque luporum rabiem Letanias tribus diebus ante ascensionem Domini instituit. In vulgatis Calendarijs dies obitus refertur ad 3. Non. Sept. à Pet. autem de Nat. ad 5. Idus Maij lib. 4. ca. 152.

**THEODOSIA** virgo Caesarea Palaestina, martyrium passa est sub Diocletiano circa annos Christi 284. Nicephorus.

**HERCVLANVS** ab Alexandro Episcopo Rom. ad Christum conuersus & baptizatus, martyrium subiit sub Aureliano Imp. 7. Cal. Octob. iuxta Pet. de Nat. lib. 8. cap. 102. in vulgatis autem Calendarijs ponitur ad Non. Sept.

**MAGNVS** fuit quidam Confessor in Sueuia iuxta Horolanum.  
**REGINA** fuit Clementis cuiusdam gentilis de vrbe Alisia filia formosissima. Olibrius autem praefectus quum Christianam eam comperisset, iussit in equuleo leuari, et virgis eadem vnguulisque lacerari illam, ut astantes crudelissimum supplicium valde horrerent. Tandem post cruciatu multos ac varios gladio caeditur 7. Id. Sept. Pet. de Nat.

#### NATIVITATIS B. Mariae festum.

**D**urandus in Ration. lib. 7. cap. 28. testatur, festum Natiuitatis B. Mariae, quando nimirum in hunc mundum nata fuit, olim non celebratum esse. Sunt quidem nonnulli, qui opinati sunt, iam ab Augustini temporibus hanc in Ecclesia solennitatem celebratam, eam persuasi ratione, quod in Ecclesiasticis Officijs huius diei legatur Sermo 5. Augustini de hac solennitate. Sed etsi Sermo ille germanum esset opus Augustini, nequaquam tamen, ipso quoque Baronio teste in Not. ad Marjol. Rom. die 8. Sept. in Natali B. Virginis habitum fuisse, sed per paucis mutatis eidem celebrati accommodatum, qui est Sermo secundus de Annunciatione: ubi verba illa; Gaudeat terra nostra tantae virginis illustrata solenni die, ita mutata leguntur in Breuiario: Gaudeat terra nostra tantae virginis illustrata Natali. Ut autem intelligatur, festum hoc Augustini aetate nondum celebratum fuisse, adscribam eiusdem Augustini clarissimum testimonium. Nam Serm. 21. & 22. de Sanct. testatur, nullius alterius ortum, quam solius Christi D. N. & S. Ioannis Baptista in Ecclesia celebrari consueuisse.

Circa annum vero 695. per illusionem Iathanicam (si vera sunt quae referuntur) à Sergio Papa institutum fuit hac occasione: Vir quidam pluribus annis audiuit angelos hac nocte solenniter in caelis: cui causam quaerenti, reuelatum est, angelos gaudere quod B. virgo nata fuerit illa ipsa nocte. Hoc Papa Sergius comprobauit, & festum Natiuitatis eius 8. die Sept. celebrari praecipit. Durandus ut supra: Beletch in suo Rat. Sigebertus in Chron. sub Sergio. Isidorus lib. de Officijs. Vincentius in Spec. lib. 8. cap. 119. Pet. de Nat. lib. 8. cap. 51. & Baptista Mantuanus lib. 9. Fast. ubi sic canit:

Z

II.

III.

III.

V.

VI.

VII.

VIII.

Origo huius festi.



DE ORIGINE FESTORVM

Hunc antiqua diem fastis non intulit ætas.  
 Posteritas verò postquam peccata qui erunt  
 Tempora, prostratâ iam religione Deorum  
 In Mariæ laudes magis est accensa: diemq̃  
 Censuit adiungi festis maioribus istum.  
 Causa piæ quæ mouit opus repetenda videtur  
 Altius: à superis hæc obseruantia venit. *Et mox:*  
 Ex his vnus erat super alto vertice montis,  
 Idalijs solus degens qui traxerat istud  
 Viuendi genus à patribus Carmelidis oræ  
 Hic solitus dulces cantus audire quotannis  
 Sexto Idus mensis faciunt cui nomina septem,  
 Id tam dulce melos contemplabatur: & aures  
 Ignea dum tacitam voluebant sidera noctem,  
 Altius arrectas pendentiaq̃ ora tenebat  
 Postquam sæpè illos symphonicos modulatos  
 Audijt, & summo resonantia carmina cœlo  
 Grandius incepit meditari & quærere causam.  
 Dumq̃ stat admirans, vox est audita per auras  
 Talia verba ferens: Diui annua festa frequentant:  
 Et modò quando rubens terris aurora propinqua  
 Incipiunt celebrare diem, quo maxima mater  
 Ædita venturo fecit primordia seculo.  
 Fac igitur, fac ista palam solennia mundo  
 Carmelita, tuum est vulgando incumbere festo:  
 Namq̃ tuum genus illa fouet, titulumq̃ tenetis  
 Illius, & patres viuens inuisere vestros  
 Heliæq̃ domos prisca fontemq̃ solebat.  
 Nuncia & inuulga lucem hanc: imitemini Olympum  
 Vestraq̃ sit posthac conxor ecclesia nostra.  
 Sic ait: Hic autem Cyprius descendit ad vrbes  
 Arsinoen, Salamina, Paphum, Temesem, Amathuntâ;  
 Per Rhodon in Cretam veniens Gortinia tecta  
 Gnosiaq̃ intrauit, celeriq̃ Cydonia gressu.  
 Talia famigerans iuit per Cycladas vsq̃ ad  
 Bosphoricos Thraces rumor, peruenit Athenas:  
 Appulit & Spartam, Pelopeiadesq̃ Mycenas.  
 Per Siculos tandem Romam perlata senatum  
 Mouit fama: dies sic est ea nacta fauorem.

*Baronius quidem supra citato loco hoc festum ad altiore originem referre conatur, sed omnino destitutus auctore & testimonio antiquitatis, hæc scribit: Quoniam autem potissimum tempore fuerit eiusmodi solennitas instituta, nusquam expressum reperi, nec quid certi affirmare ausim. Quantum autem ex historijs Ecclesiasticis compertum habeo, à Concilio Ephesini temporibus in quo execranda illa Nestorij hæresis damnata atq̃ proscrip̃ta est, qua sanctissimæ Mariæ virginis titulus ille supremus Dei genetricis impie auferebatur, animaduertimus magis magisque indies toto orbe Christiano beatissimæ virginis cultum auctum amplificatumq̃ fuisse. Non tamen dicere præsumimus, eo tempore institutam esse præsentem solennitatem; cum constat, Gallicanâ Ecclesiâ etiam temporibus Caroli M. & Ludouici pij eam ignorasse, vt apparet ex Concilio Moguntino sub eodem Imp. celebrato anno Dom. 813. Can. 36. & ex Capitularibus eiusdem Imp. & Ludouici pij lib. 1. c. 164. lib. 2. c. 35. & lib. 6. c. 186.*

*Factum*



Factum hoc est prorsus ad Ethnicorum imitationem, apud quos Natalem Telluris solenni ceremoniâ obseruatum fuisse, ex Arnobij lib. 7. contra Gentes intelligitur.

Habuit etiam hoc festum olim non Octauam, sed Innocentius IV. Papa eam instituit circa annos Christi 1244. Vacante enim Romanâ Ecclesiâ per obitum Gregorij 9. Romani omnes Cardinales in quodam conclauis incluserunt, ut citius prouideretur Ecclesiæ. Sed quum per plures dies concordare non potuissent, & ipsi à Romanis multas molestias sustinuissent, Cardinales Mariæ vouerunt, si eius meritis concordarent, & abire liberè possent, Octauas suæ Natiuitatis celebrandas instituere velle. Sicq; Cælestinum Papam elegerunt, & liberati sunt, votumq; adimpleuit Innocentius quartus, quod Cælestinus solum 18. dies superuixisset. Durandus Ration. lib. 7. cap. 28. Vincentij Continuator. Antoninus cit. 19. cap. 4. § 6. Platina. Iacobus de Voragine in Lombardica historia. Gregorius XI. Natiuitatis Mariæ festo Vigiliam addidit: Balæus in eius vita.

Octaua huius festi instituta

Vigilia huius festi.

GORGONIVS passus est apud Nicomediam sub Diocletiano Imperatore. Cum enim in maxima apud Imperatorem esset gratia & autoritate, Christianam religionem amplexus est. Id verò Imperator molestissime tulit, cumque nec minis nec blanditijs ab instituto auocari posset Gorgonius, tandem in equuleo leuatur, & flagris unguisq; toto corpore laniatur, & deinde aceto & sale, nudatis ferè eius visceribus, perfunditur, atque in craticula assatur. Vltimo laqueo suspendi iubetur, & corpus eius canibus exponi, sed à Christianis honorificè sepelitur 5. Idus Septemb. circa annum Domini 270. Anno autem 764. Episcopus Metensis nepos Pipini regis ipsum in Gallias transtulit, & in Gorgonienfi monasterio collocauit. Per. de Nat. lib. 8. cap. 55.

IX.

HILARIVS Papa, natione Sardinus, Leoni primo in Pontificatu Romano successit. Hic constituit, ut nullus Pontifex successorem sibi ordinaret, & basilicas auro argentoq; insigniter exornauit. Quieuit in pace 4. Idus Sept.

X.

FELIX & REGVLA ex Thebæa legione martyrium passi sunt Tiguri ob fidem in Christum sub Dioclet. & Maxim. Anno verò demùm 880. memoria eorum celebrari cœpit festo die. Cum enim Gebhardus Constantiensis Episcopus in honorem istorum martyrum dedicasset Tiguri duo templa Maius nimirum & Sanctimonialium das Groß münster vñnd Frouwenmünster, decreuit simul Bertæ Ludouici Germaniæ Regis sororis rogatu, & Caroli Crassi Imp. iussu, eorum Natalem non solum Tiguri, sed etiam in vniuerso Episcopatu Constantiensi celebrare quotannis 11. Sept. quo die passi fuerant anno Dom. 281. Stumpfius in Chron. lib. 6. cap. 14. ex Raperto monacho S. Galli qui eo tempore vixit. Aiunt, cum capitis supplicium subiissent, martyres capita sua manibus gestasse multos passus ad eum vsq; locum vbi hodie maius templum Tiguri cernitur.

XI.

GVIDO Brabantensis ex adituo mercator fit, & ex mercatore rursus adituuus. Mox Romam & inde Hierosolymam peregrinatus est. In reditu molestias multas perpeffus est fame, siti, frigore, & inedia, donec tandem labore & sanguinis fluxu confectus est prid. Id. Sept. anno 1112. Surius.

XII.

AMATVS Presbyter & Abbas monasterij Romerici fuit: migravit ex hoc seculo Idibus Sept. P. de Nat. lib. 8. cap. 74.

XIII.

#### EXALTATIONIS CRVCIS festum.

Nicephorus lib. 8. cap. 29. solus & sine omni authore refert, Hierosolymis cœpisse iussu Helenæ festum Exaltationis Crucis circa annos 325. Quia verò ibi de inuenta ab Helena Cruce loquitur, per Exaltationem, nihil aliud quàm Inuentionem & Leuationem seu Elevationem Crucis de loco illo subterraneo, vbi multos annos latuit, intelligit. Vnum igitur idemq; festum intelligit Nicephorus hoc sensu per Crucis Inuentionem, & eius Leuationem seu Exaltationem.

Festi huius origo.

Celebratum autem fuisse hoc festum 14. Sept. sub Constant. M. Imp. ut vult Grescherus, falsum est. Nam lib. 1. de S. Cruce cap. 56. pag. 167. Licet, inquit, festum hoc Inuentæ seu exaltatæ ab Helena Crucis, statim magnâ pietate cœptum sit celebrari, celebrius tamen, & maximè festiuum & solenne factum est anno tricesimo Constantini M:

XIIII.



Euseb. lib. 4. de  
vita Constanti-  
ni c. 40. 42. &  
45.  
Lib. 8. c. 50.

mortuâ iam matre Helenâ, hoc est, nono ab inuentâ Crucis anno, si Crux reperta est anno 21. imperij Constantini: cum variorum locorum Episcopi, ex conuentu Tyrio, Hierosolymam, Imperatoris iussu, profecti sunt ad Eneantia seu dedicationem Martyrij: ita enim appellabatur templum Resurrectioni Dominicæ testificandæ à Constantino ædificatum. Testatur autem Nicephorus dedicationem hanc peractam 14. die Sept. hoc est, ipso exaltatæ Crucis festo: Ex quo tempore, inquit Sozomenus lib. 2. c. 26. Hierosolymitana Ecclesia diem festum splendide admodum celebrat adeo, vt in eo initiationes sacrorum peragantur, & dies octo deinceps conuentus fiant: quibus diebus, ait Nicephorus, ex omni terrarum orbe homines eò conueniunt, & ad festos conuentus concurrunt, arcana sacra peracturi, & loca sancta cognituri: *sequentia sunt figmenta Iesuita*: propter exaltationem & ostensionem videlicet sanctæ Crucis, quæ illis diebus ab Episcopo publice populo adoranda proponebatur, primùm quidem iussu Helenæ deinde etiam Constantini & omnium illorum Episcoporum, & communi totius populi consensu. *Hæc quidem omnia Iesuita. Sed festum Inventionis seu Exaltationis Crucis Hierosolymis tempore Constantini M. celebratum, non probat. Neq. hoc docet Sozomenus: sed aperte dicit: Ex eo tempore, quo videlicet templum illud magnificentissimum à Constantino Hierosolymis extructum, ab Episcopis eò Tyro conuocatis, dedicatum fuit, Hierosolymitana Ecclesia quotannis diem illum festum splendide celebrat. Non dicit, splendidius hoc factum quàm hætenus: sed distinctè loquitur, ex eo tempore diem illum splendide festum celebratum; & quidem Hierosolymis, non etiam in alijs orbis Christiani partibus, vt vult Iesuita. Nam quæ hic & alibi ex Surio profert, nihil moramur, quum inter omnes constet, Monachum istum plurimorum mendaciorum, & Legendarum vanissimarum compilatorem esse. Neq. etiam aduersatur nobis, quòd Nicephorus scribit lib. 13. c. 37. Ioannis Chrysoptomi mortem in eam diem incidisse, quâ vltimæ Crucis exaltationem celebremus, Septembris mensis decimam quartam. Sic enim vult dicere Nicephorus, Die decimâ quartâ Sept. quo nos hodie celebramus Exaltationis Crucis festum, obiit. Deniq. nec Eusebius, nec Sozomenus et Nicephorus mentionem faciunt ostensionis & adorationis Crucis, sed aliarum causarum, ob quas ex omnibus terræ partibus homines Hierosolymam ad hunc festum diem confluxerint. Iesuita igitur Sozomeni verba & Nicephori in alienum sensum torquet, tum illis ex suo pituitoso ac malè sano cerebro multa assuit. Alioquin apud nullum auctorem huius festi fit mentio ante annum Christi 690.*

Osco Frisingensis autem lib. 5. cap. 9. Sigebertus, Horolanus, Iacobus de Voragine, Petrus de Nat. lib. 8. cap. 76. Antoninus tit. 13. c. 4. § 3. Durandus in Rat. lib. 7. c. 29. Cedrenus in Compend. hist. alijsq. festi huius institutionem Heraclio Imp. circa annos 631. adscribunt vnanimiter. Vnde & festum Inventionis Crucis maius esse Durandus dicit, quàm Exaltationis, propter auctoritatem instituentis, quòd illud à Papa Eusebio, hoc verò ab Imperatore institutum sit: quum tamen certissimum sit, non ab Eusebio Papa, sed potius ab Helena Imperatrice institutum fuisse.

Historiam autem originis festi huius sic narrat Iac. de Voragine in Lombardica historia, sicut & P. de Nat. lib. 8. c. 76. Anno Dom. 615. Cosroe rex Persarum omnia regna Orientis suo imperio subiugauit: Hierosolymâ autem veniens anno 5. Heraclij Imp. à sepulchro Domini territus fugit, partem tamen Dominicæ Crucis, quam Helena ibi reliquerat, asportauit. Volens autem ab omnibus coli vt Deus, turrim ex auro & argento, interlucentibus gemmis, fecit: & ibidem Solis & Lunæ & stellarum imagines collocauit. Per subtiles etiam & occultos ductus quasi Deus aquam de super infundebat: & in subterraneo specu equi quadrigas trahentes in circuitu ibant, vt quasi turrim mouerent & tonitrua simularent. Filio igitur suo regno tradito, ipse in turri residebat, & iuxta se crucem Domini collocans appellari ab omnibus se Deum iubet. Et, sicut legitur in lib. Mitrali de Officio, Cosroe in throno residens, tanquam pater lignum crucis sibi à dextris collocans loco filij, galli à sinistris loco Spiritus sancti posuit, se verò iussit patrem nominari.

Tunc



Tunc Heraclius Imper. exercitum copiosum collegit, & contra filium Cosroe iuxta Danubium (*atque Danubius in Germania est*) fluuium dimicaturus aduenit. Tandem vtriusq; principibus placuit, vt super pontem soli confligerent, & qui victor existeret, sine damno vtriusq; exercitus imperium vsurparet. At Heraclius totum se Deo obtulit, & sanctæ cruci deuotione quâ potuit commendauit: Ei igitur victoriam Dominus obtulit, & hostilem exercitum imperio suo subiugauit. Cosroe autem ignorabat exitum belli. Heraclius igitur ad eum ueniens, & in throno aureo eum sedere reperiens, quum Christianam religionem recipere nollet, gladio eum interemit: turrim verò illam destruens, argentum in prædam exercitui dedit, aurum verò & gemmas ad reparandum Ecclesias, quas tyrannus destruxerat, reseruauit, & sacram Crucem Hierosolymam detulit. *Grescherus autem Iesuita quæ sic de turri & morte Chosroe Regis referuntur, fabulis & ipse annumerat: nam quomodo perierit Chosroe, & vbi, & quando, & à quo, aliunde satis comperit habemus, vt hæc deliramenta minime queant imponere.*

*Cedrenus etiam hæc longè aliter narrat.* Undecimo, inquit, sui Imperij anno, Heraclius Christianos defendendi ardore incensus, exercitum ex Europa in Asiam transfudit. Sequentibus annis, signis cum hoste collatis, tres duces Chosroes, cum tribus exercitibus superant, ipsumq; Chosroem in fugam vertit; quem non longo post tempore filius interfecit, regnumq; ab Heraclio obtinuit, hæc, inter alias, conditione, vt crucem Domini restitueret. Ergo crux quatuordecim annis post, quam venerat in Persarum potestatem, recepta est. Anno autem 19. Heraclius Hierosolymam Constantinopoli proficiscitur ineunte vere, & auehit venerabilia crucis ligna, &c. *Suidas verò sic refert hæc:* Heraclius confecto bello Persico, venit Hierosolymam, acceptis secum viuificis lignis (hoc est Cruce) obsignatis adhuc eo modo, quo erant cum in Persarum potestatem uenerunt, illaq; ostendit Archiepiscopo, eiusq; Clero, qui signum illæsum & intactum agnouerunt, simulq; clauem, qui illic erat, protulerunt, & apertâ thecâ in qua thesaurus latebat, crucem adorârunt & exaltarunt, & ab Imperatore Bizantiu deinceps missa in Blachernis condita est à Sergio Archiepiscopo. *Sed pergamus in Legenda Iacobi de Voragine.*

Cum, inquit, de monte Oliueti descendens per portam, quam Dominus passurus intrauerat, in equo regio & apparatu imperiali ingredi vellet, repente lapides portæ descenderunt, & inuicem quasi paries se clauserunt. Super quo cunctis stupentibus, angelus Domini signum crucis in manibus tenens, super portam apparuit, dicens: Cum rex cœlorum ad passionem per hanc portam intraret, non cultu regio, sed humili asello ingrediens, humilitatis exemplum suis cultoribus reliquit. Et his dictis angelus disparuit. Tunc Imperator lachrymis infusus seipsum discalciavit, & vestimenta usq; ad camisiâ exuit, crucemq; Domini accipiens ad portam humiliter baiulauit, statimq; porta aperta est, & ipse cum magna pompa ex altari crucem fecit. *Hæc ibi.*

*Sed & hæc aliter in Breuiario Romano nouo referuntur.* Heraclius, inquit, Dei monitu exercitu comparato, signa cum hoste contulit, ac tres duces Cosroe, qui Crucem Domini Hierosolymis abreptam in Persidem secum abstulit, cum tribus exercitibus superauit. Quibus eladibus fractus Cosroe, in fuga; quum transire Tigrim pararet, Medarsen filium socium regni designat. Sed eam contumeliam quum Sinochius Cosroe maior natu filius ægrè ferret, patri simul & fratri necem machinabatur, quam paulò post vtrique ex fuga retracto attulit: atq; ita regnum ab Heraclio impetrauit, eâ conditione, vt crucem Christi Domini restitueret. Ergo Crux quatuordecim annis postquam venerat in potestatem Persarum, recepta est. Eam rediens Hierosolymam, Heraclius solenni celebritate suis humeris retulit in eum montem, quo eam Saluator tulerat. Heraclius verò, vt erat



DE ORIGINE FESTORVM

auro & gemmis ornatus, insistere coactus est in porta quæ ad Caluarie montem ducebat: quo enim magis progredi conabatur, eò magis retineri videbatur cumq; ea re & ipse Heraclius, & reliqui omnes obstupescerent, Zacharias Hierosolymorum antistes, Vide, inquit, Imperator, ne isto triumphali ornatu in cruce ferenda, parum Iesu Christi paupertatem & humilitatem imitère. Tum Heraclius, abiecto amplissimo vestitu, detractisq; calceis, ac plebeio amictu indutus, reliquum viæ facile confecit, & in eodem Caluarie loco Crucem statuit, vnde fuerat à Persis asportata. Itaq; decretum est, vt quotannis Exaltationis Crucis memoria celebraretur quòd ibidem fuerat reposita ab Heraclio, vbi Saluatori primùm fuerat constituta. Hæc vtiq; narratio in plurimis à priori dissentit, vt Lætor facile intelligit. Nam quod posteriorem eius tantum partem attinet, Heraclius crucem inferre in urbem Hierosol. voluit, secundum Lombardicam historiam & alios: iuxta Breuiarium autem Rom. ex urbe in montem Caluarie efferre voluit. Deinde porta, quâ egredi voluit diuinitus clausa est, vt Sigebertus scribit, & lapides concurrentes clauserunt transitum, vt Lombardica historia & Vincentius referunt: vel Imperator in ea immobilis substitit, non valens, licet conaretur, progredi, vt Breuiarium Rom. & Blondus habent. Id autem cur fieret, cum miraretur. Angelus (vt Lombardica historia, Sigebertus & Vincentius rugantur) seu Zacharias Episcopus, vt alij habent, eicam indicauit. Hæc vero omnia à Cedreno & Zonarâ, fortè vt fabulosa, prætermissa sunt.

Genebrardus in suo Chronico dicit, Honorium 1. circa annos 630. hoc festum inuexisse in Occidentem.

Festihuius ritus.

Hæc die Exaltationis singulis annis Crux à populo adoratur Romæ, quam ex ligni eius ineffabili portione compositam Sergius 1. Papa circa annos Christi 690. in sacratio Petri inuenit Romæ in capsâ argentea lapidibus preciosis ornata, eamq; in basilica Saluatoris, quæ Constantiniana dicitur, reposuit, vt Naucletus indicat Generat. 24. & Durand. in Rat. lib. 7. cap. 29. Antoninus etiam tit. 13. cap. 1 § 6.

Vnde Crux Romam peruenit.

Mirum autem videri alicui posset, vnde tam ineffabilis portio, vt Antoninus loquitur, Dominica crucis Romam peruenit, vbi usq; ad Sergij tempora abscondita fuerit? Platina dicit, Constantinum M. basilicam edificasse in atrio Sessoriano, sub titulo S. Crucis in Hierusalem, ibiq; partem Crucis ab Helena matre inuentæ reposuisse. At supra audiimus, Sergium ineffabilem portionem Crucis non in basilica S. Crucis in Hierusalem, sed in Constantiniana, quam hodie Lateranensem vocant, inuenisse. Ad hæc falsum est quod Platina dicit, Constantinum partem S. Crucis in hoc templo Romæ reposuisse. Intelligitur hoc ex Socrate, qui cum libro 1. cap. 17. suæ historiæ Ecclesiasticæ inuentionem Crucis descripsisset, tandem hæc subiungit: Crucis portionem, inquit, vnam thecâ argenteâ inclusam, ad memoriam illic (Hierosolymis) visere volentibus reliquit Helena; alteram autem Imperatori misit, quam ille acceptam, credens eam ciuitatem fore saluam, vbi portio Crucis asseruaretur, in sua ipsius statua condidit, quæ Constantinopoli (non Romæ) in foro, quod Constantini dicitur, in purpurea ac magna columna consistit. Petrus de Natalibus etiam lib. 8. cap. 76. indicat, Helenam inuentam Hierosolymis crucem per medium dissecuisse, vt vnam partem secum Constantinopolim transferret, alteram verò Hierosolymis in thecis argenteis reseruaret: tertiæ partis Romam translata nullam facit mentionem.

XV.

NICOMEDES, pro quo in vulgariis Calendarijs NICODEMVS ponitur, Petri Apostoli discipulus, eiusq; in prædicatione adiutor fuit. Compræhensus est enim à Flacco Comite, quòd Feliculam martyrem sepelisset, & tandiu plumbatis casus, donec expiraret: quod factum est 17. Cal. Oct. sub Domitiano Imp. vt refert Pet. de Nat. lib. 8. cap. 82.

XVI.

EVPHEMIA virgo, filia senatoris Chalcedonensis, post multos & horribiles cruciatus, quos propter Christum sustinuit, tandem vrsi morsu expirauit: Pet. de Nat. lib. 8. cap. 84. Factum 16. Cal. Oct. sub Dioclet. Imp.

XVII.

LAMPERTVS Traiectensium Episcopus, quum Pipini, primi nepotis, amores illicitos aliæque aulæ scelera liberius repræhenderet, pellice Principis procurante interficitur 15. Octob. anno



anno 698. Anno vero 1240. Robertus Leodiensium Episcopus à generali capitulo Ordinis Cisterciensis obtinuit, ut per vniuersum illum Ordinem singulis annis Lamberti martyris festum solenniter celebraretur, de quo antea simplex tantum fiebat commemoratio. Catalogus Tunzrensiū Episcoporum.

**FERREOLVS** in Auernia natus, quum dijs sacrificare nollet, confestim Vienna in Christi confessione capite confusus est. Cal. Oct. Pet. de Nat. lib. 8. cap. 91. XVIIII

**IANVARIVS** Episcopus Beneuenti, sub Diocletiano & Maxim. Imp. ad Timotheum Campanum Praefectum ob Christianae fidei professionem Nolam perducitur: ibi quum eius constantia vniuersa fuisset, sed frustra, tandem Praeses veritus Imperatorum decreta, lege procius agere libere iubet, atq; ita Ianuarius gladio percussus martyrii coronam adeptus est. Cal. Oct. Eius corpus primo Beneuentum, inde ad monasterium Montis Virginis delatum, & in cathedrali ecclesia conditum est tandem Neapoli Alex. VI. Pont. XX

**FAVSTA** virgo apud Cyclicum annorum 14. passa est martyrium propter Christum. Cal. Oct. Pet. de Nat. lib. 8. cap. 97. XXI

**MATTHAEVS** Apostolus quis fuerit ex Euangelica historia notum est. In Iulio Africano, qui nuper sub Abdia nomine prodijt, narratur, Matthaeum Naddauer Ethiopia urbem maximam venisse, ibiq; duos magos, Zaroen & Arphaxat, confuisse: laesos ab ipsis homines sanasse: duos ipsorum dracones, quibus stipati in urbem venerint, sopisse: & rursus excitatos, iussisse manum esse urbe excedere: regis Aeglippi filium excitasse, eoq; miraculo regem totumque regnum conuertisse, ibiq; Eunuchum reginae Candaces, de quo in Actis legitur, inuenisse. Deniq; ab Hyrtaco rege, qui Aeglippo successerat, capite truncatum, quod diceret, Ephigeniam Aeglippi filiam Christo dicatam, nec licere eam ducere uxorem. Multa alia ibidem de S. Mattheo leguntur, quae totam narrationem suspectam faciunt, & arguunt posteriori tempore ab aliquo confictam esse. Nam talia ei tribuuntur, quae ab historia eius Euangelica prorsus discrepant. Nisiph. lib. 2. cap. 41. Matthaei historiam aliter recitat: quod apud Anthropophagos, in ciuitate Myzema docuerit, ac clavis deniq; in terram defixus sit. Verum & hic plurima superstitiosa, quae cum priori narratione ex diametro pugnant, referuntur: nec putamus Lectorem ijs legendis defatigandum esse. XXII

**MAVRITIVS** dux fuit eius legionis quae Thebaea dicebatur: venit cum legione sua ex Syria in Italiam euocatus à Maximino, occasione ducenda expeditionis contra Bagandas rebelles: seu insidijs potius tyranni, qui in istis partibus sequiri facilius posse in Christianos, quam in Oriente putabat. Exercitum deinde Imperatoris per Alpes in Galliam sequuti sunt. Cumq; castra non procul ab oppido Octodoro haberet Imperator, dijs suis sacrum instituit, conuocauitq; ad id totum exercitum: serio mandans, per deorum aras iurarent, pugnare velle se & contra Bagandas rebelles, & Christianos dijs Imperatorum inimicos persequi. Nunciatur mandatum Imperatoris Thebano quoq; exercitui, qui ad Rhodanum, in loco quem Agaunum dixerunt conuenerat, sed Octodorum accedere non vult: singuli enim certo secum constituerunt, malle se eo loci extingui, quam aut dijs sacrificare, aut contra Christianos arma sumere. Quod etiā animo intrepido Maximino accersenti eos, sacramenti militaris nomine & religione respondent. Ibi tum irā percitus tyrannus, decimum quemq; eius legionis gladio cadi iussit: cui illi certatim ingenti cum laetitia ceruices obiecere suas. Rursus autem accersiti, Imperatori iusserunt responderi, suscepisse se arma pro Reip. defensione, non aduersus Christianos. Iubet igitur ad supplicium postulari tyrannus iterum decimum quemq;. Cum vero nec tum de sententia sua cederent Christianissimi milites, immisit in legionem exercitum suum omnem Maximinus, ac cinctam vndiq; quaq; iugulauit. Cal. Octob. Pet. de Natal. lib. 8. cap. 103. Vincent. lib. 12. cap. 2. XXIII

**TECLA** colitur 23. Sept. quod B. Mantuanus his verbis testatur lib. 8. Fast. XXIIII

**Mauritio** vicina dies natalia Teclae — Festa colit.

Iconij nata & ab Apostolo Paulo ad Christum conuersa est, propter quem cum multis & horribiles cruciatus sustinisset, tandem à Proconsule libera dimittitur, & apud Seleuciam, ubi progressu temporis extructū ei fuit templum, in pace moritur 9. Cal. Oct.



**XXIII.** **ROPERTVS** in vulgatis Calendarijs ponitur ad diem 24. Septemb. cum mortuus sit 27. Martij. Fuit in regio Francorum genere natus, & doctrina Christiana preco. Ad Theodonem Boiorum regem Ebnicum venit, ut eum ad Christum conuerteret. Aulici vero eius suadebant, auitas ceremonias nequaquam esse deserendas, quae ipsis tot victorias peperissent: Christianam religionem esse nouam, &c. Ropertus videns se frustra sumere laborem, domum redit. Postea quum Theodoretus Franciae Rex Reginodrudam filiam suam Theodoni 3. Boiorum Duci e-locasset, iussit Ropertum denuò ad Boios iter facere, quos etiam cum Duce ad fidem Christianam conuertit. Auentinus lib. 3. Annalium.

**XXV.** **CLEOPHAS**, ut Pet. de Natal. statutur lib. 8. cap. 118. ex Adonis martyrologio, sumpto ex Hieronymi scriptis & Chronicis antiquis, fuit vnus ex 72. discipulis Christi, & alter illorum quibus Dominus Emauntem euntibus in die resurrectionis suae apparuit: qui etiam in illa ipsa domo Castelli huius, in qua mensam Domino parauerunt, post discipulorum dispersionem, propter Christum occisus est 7. Cal. Oct. Vnde sic Baptista Mantuanus lib. 8. Fastor. canit,

Septimus Octobris cum Lucifer ante Calendas  
Nascitur, ardentem Cleopham veneramus ad aras.

**XXVI.** **CYPRIANVS** ad Episcopatum Carthaginensem à Schola Rhetorum & communi vita vocatus sanctimoniâ & eloquentiâ clarissimus fuit. Sub Decio & deinde sub Volusiano Impp. propter Christianismum in exilium actus, deinde reuocatus, cum sub Valeriano & Galieno Impp. edictum, quo capite cadendus decernebatur, audisset, Deo gratias egit, nihil praese ferens tristitia. Deinde suis mandauit, ut carnifici, à quo percutiendus erat, 25. aureos mercari darent. quasi beneficium ab eo, non interitum accepturus. Itaque oculos ipse sudario tegens, extensam ceruicem gladio subiecit, & martyrij coronam accepit anno 249. Dies obitus eius in vulgatis Calendarijs ponitur ad 26. diem Sept. quum passus sit iuxta Pet. de Nat. & alios 18. Cal. Oct. Baptista Mantuanus quoque de eo sic canit lib. 8. Fast.

Lux tua Septembris lux est bis septima, quando  
Dicitur illustri Crux exaltata triumpho.

De festo autem Cypriani in Africis ecclesijs circa annos Christi 430. obseruato, extat Augustini testimonium in lib. de Gratia noui Testamenti cap. 5. Memorat etiam Euagrius lib. 4. hist. Ecclesiast. cap. 16. ex lib. 3. Procopij de bello Vandalico, vniuersos Carthaginenses Cyprianum tanquam virum sanctum coluisse, et apud eos ante muros urbis duo templa fuisse Cypriani: vnum, eo in loco vbi interfectus sit, alterum vbi corpus eius sepultum. Addit Euagrius loco citato, Carthaginenses hoc festum Cyprianicum appellasse, quod anniuersarijs laetis, praeter cultus alios quos ei exhibuerunt, summâ religione peregerint. Nautas autem Hyemem festum illud cognominare consueuisse, eo quòd in id tempus, quo Lybies festum illum diem perpetuâ lege celebrare statuerunt, hyems inciderit. Baronius autem affirmat in suis ad Martyrol. Rom. Notat non hoc die celebrari festum Cypriani Carthaginensis Episcopi, sed alterius, qui patriâ Antiochenus, ex mago Christianus, inde Diaconus, & vnâ cum Iustina sub Eutholmio praeside temporibus Diocletiani in sartagine positus, Nicomediae martyrium consummavit, a deoq. cum priore illo nihil praeter nomen & martyrium commune habuerit.

**XXVII.** **COSMAS & DAMIANVS** fratres Arabes, in Aegae urbe nati, nobiles medici fuerunt sub Diocletiano & Maximiano Impp. Eorum religionem cum Lysias Praefectus cognouisset, adduci eos ad se iubet, ac deos venerari eis imperat, id si recusent, cruciatus & necem minatur. Vt vero constantes eos in suo proposito manere videt, Colligate, inquit, manus & pedes istorum eosq. exquisitis torquete supplicijs. Quibus iussa exsequentibus, nihilominus Cosmas & Damianus in sententia persistebant. Quare securi eos percuti iubet, & sic martyrij coronam acceperunt 5. Cal. Octob. ut legitur in Breuiario Rom. nouo. & Bapt. Mantuano lib. 8. Fast.

**XXVIII.** **VVENCESLAVS** Dux fuit Bohemiae, & Christiana religionis amantiſſimus, ob quam etiam interfectus est. In commemorando autem eius martyrio Pet. de Nat. lib. 8. cap. 127. turpissimè fœdissimeq. lapsus est. Necem enim Venceslai in Henricum Imp. quem dicit genitorem

Falsa narratio  
de Venceslao.

lena



lem fuisse transfert, sic inquit: Vuenceslaus Dux Bohemiae tempore Henrici Imp. martyrium passus est. Cum enim vocatis Principibus & Baronibus cunctis ad Curiam Imperatoris fratris sui germani ipse postremus omnium aduenisset, & alij Principes indignati locum ei ad sedendum dare nullatenus decreuissent, statim ut aulam intrauit Imperator assurgens, ipsum praeter caeteris honorauit: ab eo etiam ad huc gentile ad conuiuium in dolo inuitatus est: & licet Caesar eum honorasset, ipsum tamen ut Christianissimum oderat: unde cum Vuenceslaus post prandium ex more ad ecclesiam pergeret, cum Imperator cum turba gentilium insequutus est, ipsumque ante ecclesiae fores procumbentem occidi fecit. Huic narrationi tria insunt falsissima. Primum est, quod Imperatorem Henricum Echnicum & gentilem vocat. Quis enim Henricus ex Imperatoribus unquam gentilis fuit? Alterum, quod Vuenceslaum fratrem Imperatoris nominat: quum verae historiae narrent, Vuenceslai patrem fuisse Vratislaum, a quo nullus Henricorum genitus est, & habuisse fratrem Boleslaum. Tertium est, quod ea Imp. Henrico tribuit soli, quae partim Ottoni Imp. partim vero Boleslao adscribenda sunt. Sic enim Ioan. Dubrauius Episcopus Olomuncensis lib. 4. & 5. historiae Bohemicae scribit: Otto tunc regnabat, qui Germanorum primus coronam Caesaream legitime sibi traditam in Germaniam intulit. Is Otto aliquando diem deliberandi causa ad conueniendum Principibus Vuormatiam edixerat: quo vbi Vuenceslaus quoque euocatus fuisset, postridie cum solenne sacrificium cunctantius sacerdos facit, venit ipse quoque cunctantius in Curiam. Quam moram quasi ex ambitione natam, Principes adeo aegre tulerunt, ut conspirarent, ne quis ipsorum venienti assurgeret, aut supra se locum confidendi daret, persuasumque est etiam Caesari. Sed Caesar venienti assurgit, & assidere sibi eum iubet, &c. Domum reuersus Vuenceslaus, inuitatur a fratre Boleslao. Proficiscitur in Boleslauiam ad fratrem, quumque forte in templo precibus intentus esset, ecce in vadit Boleslaus fratrem inermem, patienterque plagam excipientem interficit 4. Cal. Oct.

S. MICHAELIS ET OMNIUM ANGELORVM  
festum quod Germani die Engelweyhe vocant.

XXIX.

**M**ichaelis archangeli Solennitatem vocant Dedicationem. Dicitur autem sic, quod hac die templum eius in monte Gargano sibi dedicatum fuisse Michaeli reuelasse narrantur. Cum enim, ut diximus 8. Id. Maij, archangelus Michael in monte Gargano Sipontinis contra Neapolitanos victoriam miraculose contulisset, Sipontini quoque ante os speluncae, vbi archangelus apparuerat, quotidie orationibus vacarent, & adhuc dubitarent, an praedictum locum ingredi vel dedicare auderent: Tunc Episcopus censuit super his Romanum Pontificem consulendum, qui super hoc requirendam decreuit archangeli voluntatem. Instantibus ergo cum his triduo ieiunio, apparuit hac die Michael angelus Episcopo, dixitque non esse opus ecclesiam, quam ipse adificauit, dedicari, se enim, qui condiderit, etiam consecrasset: praecipitque, ut die sequenti ingrediens diuina celebraret mysteria. Mane igitur facto, Episcopus cum omni populo ingressus in antrum, inuenit in eo excisam amplitudinem magnam, & in ea altaria tria, fontem quoque cum stillante a petra aqua dulcissima, & vas vitreum pensile ex catena argentea: quo ascendentes iam homines bibunt inde. Episcopus quod reliquum erat adiunxit & fabricari iussit, ministros etiam instituit ad cultum diuinum. Nemo tamen ante lucem audeat ingredi templum. His omnibus auditis, Papa diem illum, nimirum 3. Cal. Octob. quo haec facta fuerunt sanctum instituit, & religiose per totum orbem terrarum obseruari praecipit in honorem S. Michaelis & omnium angelorum. Narrant superiora etiam Lombardica historia, Pet. de Nat. lib. 8. cap. 130. Eccius tomo 3. homiliarum, & Surius tomo 5. de Vitis Sanctorum.

Michaelis festum  
cur Dedicatione  
dicatur.

Pro verissimo quoque narrat Pontanus, & ab antiquis authoribus traditum asseuerat, Michaeli nescio cui Pontifici dixisse, aboliturum se mortalium peccata, quicumque ad hanc suam basilicam in Gargano confugissent. Michael ego sum, inquit, qui hoc excavato fa-



xo. hoc antro, hoc habitaculo, his assidue manantibus stillis abluturus sum ac delecturus meam ad aram confugientium mortalium peccata, &c. *Hinc sic Papista cum in periculis constituti inuocant: Summi Regis archangele Michael, intende quæsumus nostris precibus. Te namque proficemur esse supernorum Principem ciuium. Tu Deum obsecra pro nobis, ut mittat auxilium miseris. Principatus est potestas à Domino tibi data, peccantes saluificare animas. Idem tenes perpetui potentiam paradisi, omnes ciues te adorent superi. Audi nos Michael angele summe. Tu palam descende de poli sede, nobis ferendi opem Domini, atque leuamen indulgentiæ. Nusquam autem in sacris literis proditum est, ab angelis quoque peccata remitti posse: id enim solius Dei esse ne scribae & pharisai quidem ignorarunt.*

*Lombardica historia facta hæc vult sub Pelagio, qui Pontificiam sellam obtinuit circa annos Christi 560. non anno 390. ut illa asserit. Matth. Dresserus autem facta dicit sub Felice Pontifice Rom. circa annum Domini 480. Horolanus vero in Calendario Ecclesiastico sub Anastasio Imp. & Anastasio Rom. Pontifice circa annum 500.*

*Et quoniam Michael angelus in Gargano monte apparuit, & locum sibi in alto elegit, idcirco ei ubique, ferè terrarum in editis locis Basilicae & templa constituuntur: Sanctis verò, quasi hominibus in imo templa dedicantur. Belet in Rationali capite 154. Hinc Ado etiam refert, non diu post ea quæ Siponti facta sunt, Romæ Bonifacium Pontificem Ecclesiam S. Michaelis nomine constructam, dedicasse in summitate Circi, cryptatim miro opere altissimè porrectam: unde & idem locus in summitate sua continens Ecclesiã, Inter nubes situs vocatur. Quam autem Basilicam Ado intelligat, facile, inquit Baronius, quis poterit assequi, si cuncta ab eo descripta diligenter consideret. Certè hæc Basilicæ Michaelis in Ianiculo propè Vaticanum positæ aptari minus posse videntur, quandoquidem illa non à Bonifacio Papa, sed à Leone I V. erecta fuit, ut ex veteri quadam inscriptione colligitur: nec (ut habet Ado) proximis temporibus, Gelasij Papæ videlicet (si credimus Sigeberto, qui manifestationem in Gargano sub Gelasio Papa contigisse testatur) sed post multa secula: nec in eam est altitudinem porrecta, ut Inter nubes locus sit dictus, quandoquidem vnius scalæ, vel breuis eliu spatij ascensum trobeat. Nec etiam est, ut ait, cryptatim porrecta. At cum nec alius sit locus Romæ Michaelis Archangeli memoriã celebris, cui prædicta conueniant, in eam adducitur sententiam Baronius, ut opinetur, dictam memoriã Michaelis, cuius Ado meminit, olim sitam fuisse in summitate molis Hadriani, super ingens saxum velut eminentem scopulum positam: ac reuerã, ut ait, cryptatim miro opere altissimè porrectam: ut meritò locus ille dictus fuerit, Inter nubes: qui quidem & alio nomine à veteribus appellatus inuenitur, S. Angeli mons: sic enim appellat Petrus Damianus in rebus gestis S. Romæ. Id: eo autem nomine ab Ecclesia in summitate erecta esse dictum, euidentis est coniectura. Quæ etiam redduntur clariora ex his quæ scribit Rodolphus Glaber, quem citat Papir. Massonius in vita Gregorij V. agens .n. de Othone III. Imp hæc de eo ait: Quod cum cognouisset Crescentius, illū scilicet Vrbi propinquare, conscendens cum suis turrim, quæ sita est extra ciuitatem trans Tiberim (ob altitudinem sui, Inter cælos vocant) vallauit eam defensurus pro vita, &c. Cum autem cõstet Crescentij turrim nõ aliã fuisse quàm Hadriani molem, turri redditam sublimiorem, eundemque locum dictum esse munitionem S. Michaelis Archangeli, iam satis perspicuum redditur, eundem locum dictum esse Inter nubes ab Adone, qui à Rodolpho dicitur Inter cælos. Hæc omnia Baronius*

XXX.

*VRVSVS & VICTOR ex Thebæa fuerunt legione: capitū supplicium passi sunt Saldorini nunc vrbe Heluetiæ, prid. Cal. Oct. ut Adon refert in Martyrologio.*

*HIERONYMVS Stridonensis & Dalmata fuit: parentes habuit tenuis fortune, à quibus tamen in pietatis & literarum rudimentis institutus est. Inde Romam profectus ibi baptizatus et liberalibus disciplinæ excultus fuit. Romã relicta peregrinationes varias suscepit cum Bonosea*



Bonoso: ac perlustratâ Gallia in Syriam abiit: inde verò per Epiphanium Cypri & Paulinum Antiochia Episcopos Romam, ob ecclesie necessitates retractus est: cumq; presbyteridignitate ibi accepit, quod nomen ipse multis in locis agnoscit. Cardinalem eum Romae factum, ve Cyrillus quidam nugatur, falsissimum est, cum eo tempore ne nomen quidem Cardinalis notum fuerit. Cum verò calumnijs & inuidiâ multorum Romae premeretur, Syriam repetijt, nobilibus Romanis matronis nonnullis eum insequentibus, & Bethleem tandem sedem senectuti suae elegit, ibiq; mortuus est annos natus 91. prid. Cal. Octob. Christi anno 422. iuxta Prosperi Chronicon. Post tempus aliquod corpus eius cum Saluatoris Praesepio Romam translatum est 7. Id. Ma. Reiectus deinde est dies hic in vigiliam Ascensionis à Pio 2. vt festiuus ac frequentius ageretur, plenariâ sepulchrum eius illo die aduentibus criminum indulgentiâ condonatâ: vt habetur in eius vita apud Surium.

OTTO II. Bambergensis Episcopus in Deorum numerum adscriptus est per Clementem 3. Papam anno Domini 1189. & mandauit, vt pridie Cal. Octob. festum eius celebraretur. Chron. Bambergense.

## OCTOBER.

FESTA ET MEMORIE SANCTORVM quæ mense OCTOBRI à Christianis celebrantur.

**R**EMIGIVS natus fuit Landuni in Gallia, vbi studijs diligenter in quodam museo vacauit: vnde factum, vt superstitioni scriptores eum solitariam seu monasticam vitam amplexum esse finxerint. Mortuo Remensium Episcopo Bennadio, totius populi suffragio in eius locum eligitur anno aetatis suae 22. quod ipsius pietas & doctrina in illa iam aetate famam ipsi peperisset. In hoc munere Francorum gentem vniuersam, cum Rege Clodoueo ad fidem Christi adduxit: quam ob causam Francorum Apostolus & Patronus ab Hincmaro nominatur. Cum annos 74. & amplius Remensem rexisset ecclesiam, mortuus est anno aetatis 96. Idibus Ianuarij, vt Hincmarus annotat, & sepultus in ecclesiola S. Christophori: Vbi, ampliata postea ecclesiâ, in nouam cryptam corpus eius translatum fuit Cal. Oct. vnde etiam memoria eius hoc die celebratur.

LEODEGARIVS parentibus nobilibus ortus, ab ineunte aetate Didonis Pictauiensis Episcopi discipulus fuit, à quo etiam archidiaconus est ordinatus. Propter pietatem autem & prudentiam insignem Clotarius Francorum Rex eum ad se in regiam vocauit, nec multo post Augustodunensi Episcopatu praeficitur. Mortuo Clotario, efficit vt Childericus ei in regno succederet: quae res Ebroinum, aulae magistrum, & hominem sceleratissimum, tam male habuit, vt, defuncto Childerico, Leodegarium post diurnam famem, & carceris squalorem, & oculorum euulsionem, plantarum concisionem, & linguae ac labiorum amputationem, gladio tandem ferrive iusserit, Factum circa annos Christi 680 6. Non. Octob. Adon Viennen. aetate 6. Vincentius lib. 23. cap. 124. & 125. Sigeb. Pet. de Nat. lib. 9. cap. 13.

CRISPVS Pauli fuit discipulus: eius mentio fit Act. 18. cap. obdormiuit in pace Corinthi. Adon: Pet. à Nat. lib. 9. cap. 17.

FRANCISCVS Assisij, vallis Spoletanae ciuitate natus, Minoritarum sectae fundator & auctor fuit. In patria literis operam dedit: cumq; in ijs mediocriter profecisset, animum mercaturae adiecit, tanquam vita generi quaestioso. Affluentibus verò opibus insolentior factus, profanam, luxuriosam & sceleratam prorsus vitam egit. Cumq; ad annum vsq; aetatis 25. in omni vitiorum ac scelerum genere vixisset, tandem ad monachismum animum adiecit, regulamq; pro Minoritis conscripsit, quam Innocentius 3. approbavit: quod tamen alij Honorio 3. tribuunt. Mortuus est anno Christi 1226. 4. Non. Octob. Referunt eum ante mortem in ecstasi cum Christo commissum atq; compositum totidem plagis & stigmatibus, iisdemq; in locis à Christo compunctum fuisse, quot & in quibus Christus in cruce pendens affectus fuerit, ob eamq; causam per

Aa

I.

II.

III.

IV.



DE ORIGINE FESTORVM

summam blasphemiam Iesum typicum eum appellant. In numerum Sanctorum Pontificiorum relatus est à Gregorio 9. anno Domini 1228. 17. Cal. Aug. & festum eius celebrari mandatum die quo obiit. Gerardus Odonis Minoritarum generalis circa annos Christi 1330. scripsit Officium stigmatum Francisci, quorum memoria olim celebrabatur in eius festo. At Benedictus 12. festum peculiare stigmatum Francisci toti suo ordini celebrandum concessit: Balae auctore Cent. 5. cap. 42. in Appendice ex libro Conformitatum Barthol. Pisani. Idem refert Cent. 7. cap. 22. in Appendice, Alexandrum 5. Franciscanum de sui Francisci stigmatibus bullas fecisse, ut inter Christianae fidei articulos haberentur: ac solenne eorum festum, quo venerarentur à fidelibus ordinasse. Baronius in Notat. ad Martyrolog. Rom. die 17. Sept. de Francisci stigmatibus eorumq. festo sic scribit: Rem adeò admirabilem Benedictus Papa 11. anniuersariâ solennitate, duplici officio Ecclesiastico voluit celebrari: quam nescio quomodo lapsam, in Martyrologio Rom. hac die (17. Sept.) recenseri hoc loco poni Sixtus 5. Papa mandauit tanti patris alumnus.

PETRONIVS Episcop. fuit Bononiensis, sub Theodosio Iunioris Imp. mortuus est 4. Non. Oct. Eius corpus ciuitati ignotum, Innocentio 2. Pontifice inuentum est, dum reliquias Henricus Episc. recenseret, quas in ea ecclesia extare à maioribus traditum erat. Inuento autem eius corpore, sanctum est, ut quo die illius obitus, eodem etiam coleretur inuentio, biennij indulgentiâ in octo sequentes dies concessâ. Quam ob causam canonicarum horarum officium, iam inde ab eo tempore in eius honorem institutum, illis octo diebus perpetuò celebrat Bononiensis ecclesia. Carolus Sgonius in Vita Petronij apud Surium tomo 5. de Vitis Sanctorum. Baronius in suis Notat. ad Martyrolog. Rom. testatur, multa à Vincentio, Antonino & Petro de Natal. in catalogo scripta esse de Petronio, quæ censurâ & expurgatione non leui indigeant.

V. CONSTANS Monachus Thebaidis martyrium passus est sub Diocletiano & Maximiano Imp. circa annos Christi 286.

VI. FIDES virgo Agenensis ciuitatis, quod nollet ad imperium Daciani Præsidis Dijs Ethnicis sacrificare, super cratem aream diuicatis membris extensa, & substratis carbonibus, flammisq. ad pe inuncto, illaesa euasit. Post multos tandem & diros alios cruciatus quos pro Christo sustinuit capite tandem cæsa est prid. Non. Oct. Pet. de Nat. lib. 9. cap. 26.

BRUNOEM Carthusianorum Patriarcham canonizauit Leo 10. decreuitq. ut in singulis monasterijs totius ordinis Carthusiensis, & eorum ecclesijs siue sacellis festum eius singulis annis die 6. Oct. quo decessit à vita, colatur: conueniens etiam officium in honore eius agatur & decantetur, nec non quotidie in Missa commemoratio eius fiat.

VII. SERGIUS Primicerius fuit Maximiani Imp. miles præclarus & Imperatori dilectus. Cum autem idolis sacrificare recusaret, capite cæsus est Non. Octob. Petrus de Natalibus lib. 8. cap. 29.

Eodem die celebratur etiam Commemoratio S. Mariae de Victoria, quam Pius 5. Papa quotannis fieri instituit, ob insignem victoriam à Christianis bello nauali anno Salutis 1571. ad Echinadas insulas eiusdem Dei genitricis auxilio, ut habet Martyrologium Rom. 7. die Octob. de Turcis reportatam. Et Gregorius 13. primâ huius mensis Dominicâ die annuam solennitatem Rosarij B. Virginis celebrandam instituit. De hac solennitate Rosarij Baronius in Notat. suis ad Martyrologium Rom. die 7. Octob. hæc annotat. Extant literæ Gregorij Papæ 13. datæ sub annulo Piscatoris, anno 1573. Calend. Aprilis, ubi singulis annis primâ Dominica Octob. ad memoriam dictæ victoriæ diuinitus obtentæ perpetuò conseruandum, & ad gratias Deo ac Deiparæ virgini agendas, huiusmodi solennitatem Rosarij perpetuò celebrandam decernit, atq. in ea Officium duplex Beatiss. virginis recitari, in ijs videlicet ecclesijs, ubi eiusdem Rosarij altare aliquod fuerit. Cuius quidem Sodalitatis pias preces, & processiones vbiq. terrarum eâ ipsâ die, quâ victoria parta est (quæ tunc fuit prima Dominica Octob.) de more factas, plurimum profuisse ad opem Dei genitricis pro Christianorum classe obtinendam, piè credendum esse profiteretur.



**PELAGIA** Antiochena fœmina ditissima, sed animo & corpore vana primò fuit. Pœnitens autem Hierosolymam abiit virili habitu, vbi vsq; ad mortem perseuerauit pro viro à cunctis habitata: quum autem eam sepelire vellente, fœminam fuisse deprehenderunt. Mortua est 8. Idus Oct. circa annos Domini 280. Pet. de Nat. lib. 9. cap. 36.

VIII.

**DIONYSIVS** Atheniensis, vnus ex Areopagi iudicibus à Paulo ad Christi fidem conuersus fuit. Veniens Romam à Clemente Episcopo missus dicitur in Galliam vt ibi Euangelium predicaret. Eum Lutetiam Parisiorum vsq; Rusticus presbyter & Eleutherius Diaconus persecuti sunt: vbi à Feschennio Præfeto, quòd multos ad Christum conuertisset, ipse cum socijs virgis casus est: deinde, quòd Christum predicare pergeret, in craticulam subiecto igne iniicitur, varijsq; supplicijs cum socijs cruciatur: tandem annum ætatis agens 90. cum reliquis securi percutitur 7. Id. Oct. Referunt eum abscissum suum caput sustulisse, & progressum ad duo miliaria passuum in manibus gestasse: à loco nimirum qui mons martyrum vocatur vsq; ad eum locum vbi nunc quiescere dicitur. Pet. de Nat. lib. 9. cap. 41.

IX.

Minoritarum Ordo impetrauit à Leone X. Pontifice M. vt Franciscanis vii. illis, qui à Sarracenis occisi fuerant anno Domini 1221. liceret sibi quotannis intra Octauas Francisci, solennes ferias agere. Retulitq; Pontifex eos in numerum martyrum, eorumq; festum celebrandum instituit ipsis ferijs S. Dionysij, quòd cum lectiones supersint, quæ ex Francisci vita recitantur. Publicatum est hoc Rotomagi in Capitulo generali fratrum de Obseruantia. Surius tom. 5. de Vitis Sanctorum.

**CLEMENTI II.** Pontifici Max. Leo 9. Papa diem etiam hunc per totum Episcopatum Bambergensem dicatum esse iussit, quòd ante Pontificatum Episcopus ibi fuisset. Historia Bambergensis ex epistola Leonis ad Harduicum Episcopum.

**GEREON** martyr cum socijs 318. militibus in campis apud Coloniam Agrippinam ad vnum omnes propter Christum misere trucidati sunt sub Maximiliano Imp. 6. Id. Octob. Pet. de Nat. lib. 9. cap. 47.

X.

**BURCKHARDVS** Anglus à Bonifacio consanguineo suo in Germaniam vocatur, vbi Thuringos & Hassos ad Papisimum conuertit: tandem à consanguineo Episcopus Herbipolensis ordinatur anno Domini 748. eiq; muneri annos 43. præfuit. Author fuit, quòd Zacharias Papa Pipinum regem Francorum pronuntiauit: cuius beneficij memor Pipinus ducatus Ostrofrancorum administrationem Burckhardo & omnibus eius successoribus donauit anno Domini 752. vt Trithemius indicat in Epitome Francorū, Annales Francorum & Valentinus Munzer in Chronographia, ætate 6. Obijt anno 791. 5. Id. Oct. In vigilia S. Burckhardi passim per Germaniam anseres vescuntur, qui ob id Burckhardinus appellatur: fortè quòd hoc tempore pinguedi anseres maturi videantur, vel vt memoria Burckhardi hoc ritu seruetur.

XI.

**VVILFRIDVS** Ripponensis, in Anglia Papisimum strenuè propagauit, & ob id Eboracensis Episcopus creatus est. Mortuus verò anno Christi 710. 4. Id. Oct.

XII.

**COLMANNVS** Lindisfarnensis in Anglia Episcopus fuit, ea tamen sede cessit spontè, quòd ritum celebrandi Pascha Romano more, consuram Clericorum, & alias superstitiones Papisticas recipere nollet. Mortuus est 3. Id. Oct. Beda.

XIII.

**CALIXTVS I.** Papa, constituit ieiunium die Sabbathi ter in anno fieri: frumenti, vini, & olei, iuxta quatuor etiam anni tempora, quatuor indixit ecclesia ieiunia, & in ijs præcepit ordinationes fieri, quòd hæctenus mense tantum Decembri factum fuerat. Prohibuit, ne in accusatione presbyterorum infames & suspecti admitterentur: & hereticos eos declarauit, qui dicunt, sacerdotes post lapsum, si dignam egerint pœnitentiam, non posse redire ad pristinos honores. Demum Alexandri Seueri Imp. iussu, anno Domini 226. capitur, fustibus caditur, in carcerem recluditur, è fenestra præcipitatur, corpusq; eius in puteum profundum demergitur, sed inde extractum sepelitur prid. Id. Oct. Pet. de Nat. lib. 9. cap. 62. Platina & alij.

XIV.

**PLACIDIA** filia fuit Valentini Imp. & Eudoxie filie Theodosij M. Hierosolyma, quo sacrorum locorum lustrandorum causa profecta fuerat, rediens, in itinere Verona obiit Idib. Oct. Pet. de Nat. lib. 9. cap. 70.

XV.



DE ORIGINE FESTORVM

HEDVIGAE etiam Poloniae Ducissa hoc die festum celebratur mandato Clementis 4<sup>ti</sup> Pontificis Max. qui eam canonizavit anno Dom. 1268. Vincentij Continuator. Cranzius lib. 8. cap. 39. Metrop. & Trithemius.

XVI.

GALLVS Scotus, anno Christi 566. iuxta Sigebertum, relicta patria, & cenobio Bannochbrensi, in quo à Congello in vera pietate institutus fuerat, in Burgundiam venit, & Luxouiese cenobium in Vosago monte extruxit, ac in illis circiter 48. annos Euangelium fideliter praedicavit. Inde verò pulsus, per Helvetiorum & Alemannorum fines ad Brigantium lacum peruenit anno Christi 614. ubi idola destruxit, & ecclesiam collegit. Tandem ad Episcopatum Constantiensem vocatur, sed alium ei functioni praeficit, ipse verò apud Heluetios in Eremito cellula extruxit circa annum Domini 630. qua progressu temporis in celeberrimum monasterium commutata est. Ipse verò ibidem reliquum vitae suae transegit, & mortuus est 17. Cal. Nou. anno aetatis 95. Circa annos demum 1483. eluatus & in Catalogum relatus est Deorum Papisticorum. Stumpsius Annal. Heluet. lib. 5. cap. 4.

XVII.

LVCINA nobilis matrona Romae, tempore Diocletiani Imp. & Maximiani multorum martyrum corpora in praedio suo sepeliuit, & pauperibus Christianis multa de suis opibus dedit. Audientes haec Imperatores ipsam proscriptione damnarunt: mortua est in exilio. Petrus de Nat. lib. 6. cap. 28.

XVIII.

LVCAS Euangelista fuit vnus ex 70. Christi discipulis, vel iuxta alios Apostolorum discipulus, Antiochenus, Graeci sermonis peritissimus, sectator Apostoli Pauli, & omnis peregrinationis eius comes. Medicum cum ante conuersionem fuisse ex Paulo ad Coloss. 4. intelligitur. Quod pictorem eum nonnulli faciunt, ut qui imagines Christi & Mariae pinxerit, quae adhuc Romae monstrantur, fabulosum est. Nam Christum & eius matrem orationis & eloquentiae suae, quae ceteris omnibus praestare visus est, coloribus depinxit: alio autem modo eos depingere certè illi non fuit otium. Vixit 84. annos, uxorem non habens. In Bithynia postremo docuit:

Atq; ibi post decimam cum lux octaua pruinis  
Spargeret Octobrem, gelidoq; ascenderet ortu  
In placidam lapsus migravit ad aethera mortem,

ut Mantuanus canit. Sepultus est Constantinopoli, ad quam urbem Constantij Imp. 20. anno ossa eius cum reliquijs Andreae Apostoli translata sunt de Achaia 5. Non. Mar. atq; ibi magna cum solennitate collocata in magno sanctorum Apostolorum templo. Theodorus Lector libro 2. Collect. Platina in vita Cleti, Eusebius libro 3. cap. 4. eadem ferè habet. Nicephorus lib. 2. cap. 43. dicit, eum in Graecia de olea suspensum fuisse. Patavini hodiè gloriantur se eius ossa habere in Cathedrali templo S. Iustinae.

XIX.

PTOLEMAEVS sub Antonino Pio Imp. Alexandria passus est ob Christum 14. Cal. Non. Pet. de Nat. lib. 9. cap. 83.

XX.

CAPRASIVS cum fratribus Primo & Feliciano in Gallijs ciuitate Agenensi à Daciano Praefide comprehensi propter Christum, ungulis primò lamiantur, deinde capite plectuntur 13. Cal. Nou. Pet. de Nat. lib. 9. cap. 86.

DE S. VRSVLA eiusq; comitibus.

XXI.

VRSVLA filia fuit vnica Noii nobilissima Britannorum Principis: ea, quum nondum nubilis à filio cuiusdam tyranni ad nuptias expeteretur, pater autem Deum offendere nolens filiam gentili homini elocando, & simul iram tyranni metuens, nutanti patri iussit ut & tyranno assentiretur, eam tamen proposita conditione, ut ipse & tyrannus decem virgines genere, formâ & aetate electas sibi traderent, & tam sibi quàm singulis illarum mille virgines subscriberent, & comparatis ad numerum ipsarum undecim triremibus, inducias triennij sibi darent, difficultate propositae conditionis animum eius à se auertere tentans. Morem gerit & pater & tyrannus: omnia festinanter parantur, naues & ad iter necessaria subministrantur, virgines de diuersis mundi partibus congregantur, multi etiam ad hoc spectaculum ex diuersis

diuersis



diversis urbibus conveniunt. Tandem naues solvunt: & iuxta propositum per mare triennio discurrunt, & omni ludorum genere se exercentes, modò belli praeludia inchoant, modo fugam simulant, modò aliud fingunt, donec Ursula ad fidem omnes virgines convertisset. Quodam die ad portum Gallie, qui Tila dicitur, & inde Coloniam appulsa sunt: nauibus porò Basileam ascendentes Romam pedibus profecta, & inde rursus Coloniam reuersa ad vnam omnes ab Hunnis qui urbem obsederant, trucidata sunt, cum comitum magno numero, ex quibus etiam Cyriacus Romanus Pontifex fuit. Petrus de Natal. lib. 9. cap. 87. Lombardica historia. S:gebertus & Bonfinius Vngaricarum rerum Decadis 1. lib. 5.

Verùm hæc narratio non modò fabulosa, sed aperte falsa est: quo factum est, ut illi ipsi qui eam descripserunt, minimè consentiant: patrem enim Ursulae, quem alij Notum nominant & Britannia principem, Petrus de Nat. Maurum appellat & regem Scotia fuisse dicit. Deinde aiunt, hunc virginum exercitum Colonia triribus per Rhenum Basileam ascendisse. Sed quis unquam vel in Rheno triribus vidit, vel Colonia Basileam vsq; aduerso rapidissimo flumine naues maximas ascendisse audiuit? Tertio, addunt Ursulae comitem Cyriacum Romanum Episcopum. Verum hic Pontifex apud nullos probatos auctores in Catalogo Romanorum Pontificum legitur. Respondent, nomen eius à Clero fuisse ex Catalogo erasum, quòd ob mulierculas quasdam fatuas summum Pontificatum reliquisset. Esto: at tempora non conueniunt. Petrus de Natalibus alijq; dicunt, hæc accidisse circa annos Domini 450. Iacobus autem de Voragine in Lombardica historia asserit, Cyriacum hunc decimum nonum à Petro rexisse ecclesiam Rom. Pontiano igitur successisset circa annos Domini 238. Alia quoque circumstantia cum harmonia verae historiae non congruunt. Præterea nullus qui his temporibus vixit, & scripsit, aut paulò post, eius in hunc modum meminit.

Balaus Centuriâ 1. cap. 39. ex Scriptoribus Britannicis sic de Ursula recenset historiam, quòd genere Britanna fuerit, Dionoti Cornubiensium Ducis filia, ingenio & eruditione clara. Cum autem post subactas à Maximo Britannorum rege, Romanoq; Casare, Armoricas terras, quas Minorem Britanniam hodie vocant, Gallicarum mulierum aspernati connubia Britannii, uxores ex sua petebant gente, factum est, ut frequens mulierum numerus illuc ex insula nauigare statuerit, & illas inter Ursula Conani Ducis eorum charissima designata coniunx. Sed ea cum undecies vtriusque sexus milibus vi temporis perijt, cæteris ad littus à contrariarum factionum tyrannis interemptis. Vnde igitur gaudet Agrippina Colonia Ursulae ossibus, ex Ponti, seu furentis Oceani fundo eò transportatis? Aut qui gloriantur Bergomates cum Coloniensibus eius capite ad se translato? ut testatur Bergomensis & Supplementum Chronicæ Iacobi Philippi, quòd factum hoc dicit sub Martiano Imp. circa annos Christi 453.

De hac diuersitate Baronius in Notat. ad Martyrolog. Rom. die 21. Octob. sic scribit: Harum, inquit, sanctarum virginum historiam diuersimodè à diuersis auctoribus scriptam reperimus, siue Rogerio Cisterciensi, siue à Richardo Præmonstratensi, aut ab incertis auctoribus, ut quæ descripsit Mombrit. tom. 2. Petrus in Catalogo lib. 9. c. 87. Claudius Rota c. 154. Bonfinius de rebus Hungaricis decad. 1. lib. 5. aut quæ vberius recitat Surius to. 5. Et mox: Accidit in his ut deperditâ verâ germanicâ earum virginum historiâ, quisquis (ut libuit) siue quæ in suo ingenio commentatus fuerit, siue quæ ab alijs leui quodam vulgi rumore accepit, scripturæ monumentis commendârit, non sine magno veritatis detrimento, cum grauissimam historiam commentitiâ penè reddiderint. Ipse deinde hæc aliter etiam narrat ex quodam codice Vaticano, auctore Ganfrido Episcopo Asaphensi. Licet autem non omnia quoque, quæ ab eo scripta sunt auctore, Baronio probentur, tamen, inquit, nobis longè magis probantur, quàm alia prædictorum figmenta, ab omni etiam verisimili ratione remota: Obserua hic Lector, quid iudicet ac sentiat Baronius ipse de omnibus qui de Ursula ac socijs eius scripserunt.

CORDVLA una fuit de virginibus undecies millibus, quæ Ursulam sequuta sunt. Ea, quum sociæ trucidarentur, timore perterrita, in navi nocte illâ se abscondit, sed crastinâ matè

Fallitas narratio de S. Ursula.

Balaus narratio de S. Ursula.



DE ORIGINE FESTORVM

- zyrij coronam quoq̄ accepit. Cum autem diu festum eius non fieret, quòd cum alijs pass̄ non affe-  
 longo post tempore cuidam reclusa apparuit, præcipiens, vt sequenti die à festo virginum eius  
 quoq̄ solennitas celebraretur, vt Iacobus de Voragine in Lombardica historia n̄gatur cap. 153.
- XXIII.** SEVERINVS Coloniensis fuit Episcopus sub Theodosio Imp. coætaneus D. Ambrosio &  
 Hieronymo: obiit 10. Cal. Nouemb.
- XXIII.** SALOME discipula Christi fuit: ea tempore passionis Christi cum alijs sanctis feminis cru-  
 ei assistit, & de sepultura eius sollicita fuit. De qua Theophilus & Chrysostomus dicunt, quòd  
 fuerit mater filiorum Zebedæi, quibus etiam ad stipulatur Origenes. Secundum hos quum dici-  
 tur in Euangelio Marci: Maria Iacobi minoris Ioseph mater & Salome: & iterum,  
 Maria Magdalenæ & Maria Iacobi, subaudi minoris, & Salome: tunc illud nomen est  
 Nominatiui casus, & est nomen mulieris. Alij volunt esse Genitiui casus, & nomen viri, quòd  
 scilicet fuerit alia quædam Maria vxor Salome. Hieronymus tamen in suo Martyrologio tra-  
 dit, eam mulierem fuisse, & in pace Hierosolymis obdormiuisse 11. Cal. Nouemb.
- XXV.** CRISPINVS cum fratre Crispiniano Româ discedentes, Sueffionum venerunt, vbi artem  
 sutoriam addiscentes, de labore manuum sibi victum querebant. Cum autem Rictionarius præ-  
 ses cognouisset eos Christianos esse, post crudelissimos cruciatus gladio tandem eos cædi iussit 8.  
 Cal. Nou. Pet. de Nat. lib. 9. c. 106. Sutorum hodie in Papatu patroni sunt.
- XXVI.** AMANDVS Episcopus fuit Burdegalensis coætaneus S. Severino: obiit in pace 7. Calend.  
 Nouemb.
- XXVII.** COLVMBANVS discipulus Congelli in Bannochorensi cœnobio, cum Gallo in Galliam &  
 Alemaniam venit Euangelij prædicandi causa, quem tandem in Sueuia reliquit, & in Italiam  
 profectus in Coccij alpibus Bobiense cœnobium condidit, Agilulphi regis opibus adiutus: ab-  
 soluto opere post annum obdormiuit 11. Cal. Dec. quum dies obitus eius in vulgatis Calenda-  
 rijs ad 6. Cal. Nouemb. ponatur.
- XXVIII.** SIMON natus fuit in Cana oppido Galileæ, Matth. 10. filius fuit Mariae & Cleophae, iux-  
 ta Euseb. lib. 3. cap. 11. IVDAS frater fuit Iacobi minoris & Simonis: Apostoli fuerunt ambo: &  
 Simon quidem Euangelio illustrauit Egyptum & Persiam, postea successit Iacobo in Episcopa-  
 tu Hierosolymitano. Iudas vero Euangelium docuit in Mesopotamia & Ponto, itemq̄ in Per-  
 sia cum Simone. Tandem ambo in crucem sunt acti sub Traiano Imp. Euseb. lib. 3. cap. 32. Ni-  
 ceph. lib. 2. cap. 40. Et ob hanc causam festum eorum in vnum eundemq̄ diem incidit.
- XXIX.** NARCISSVS Hierosolymitanus Episcopus 30. fuit, qui, sine pudore, sine impatienciâ mo-  
 tus, eò quòd à maleuolis falso de impudica vita accusaretur, desertâ suâ ecclesiâ, in solitudinem  
 secessit, ibiq̄ plurimos annos vixit. Cunctis autem ignorantibus vbinam locorum ageret, qua-  
 si rediuius iterum apparet, & rogatus à fratribus episcopatum rursus subiit, vt Eusebius  
 indicat libro sexto, capite nono & decimo & quarto Calend. Nouembr. ex his terris mi-  
 grauit.
- XXX.** THEONESTVS Episcopus Altini capite cæsus est 10. Cal. Dec. vt habet Pet. de Nat. lib.  
 10. cap. 97. in vulgatis autem Calendarijs ad 3. Cal. Nou. ponitur.
- XXXI.** VVOLFANGVS natione Sueuus, ex Comitum de Pfulingen prosapia ortus, teste Nass-  
 clero, Ratisponensium episcopus 12. fuit, vir suo seculo doctissimus. Comes fuit Pilgrini, quem  
 Vngarorum Rex Geizo Bathania auocauit, vt suam gentem in Christiana religione erudiret:  
 quæ res eis feliciter successit: Auentinus lib. 4. Annalium. In Bohemia quoq̄, quæ à gentilismo  
 ad Christum conuersa fuerat, Episcopatum instituit de voluntate Ottonis 2. Imperrat. Chro-  
 nicon de Ducibus Bauariæ. Anno 994. mortuus est pridie Calend. Nouembr. Eum Leo 9.  
 Diuorum Catalogo ascripsit circa annos Christi 1050. Cranzius in Metrop. & Auentinus lib.  
 5. Caspar Bruschius in Chron. de Monasterijs folio 44. tale ludit schediasma de S. Vuolfgangi  
 imagine.

Vuolfgangum quoties Diuum veneranda vetustas  
 Pinxit, ita hunc pinxit: gestaret vt ipse securim  
 Dextrâ: sed læuâ templum, cum turre decorum.

Hæc



Hæc picturâ equidem voluit nihil ipsa vetustas  
 Significare aliud, quàm quòd pastoris honesti  
 Pontificisq; pîj summum est super omnia munus.  
 Is semper templum debet gestare; sibiq;  
 Commissum populum doctrinâ pascere sanâ:  
 Nec curas alias animo gestare priores.  
 Deinde securi etiã sordes resecare pudendas,  
 Quicquid & arboribus teneris, plantisq; nocere  
 In vita posset, studio debebit eodem.

## NOVEMBER.

FESTA ET MEMORIÆ SANCTORVM quæ mense  
 NOVEMBRI à Christianis celebrantur.

OMNIVM SANCTORVM festum.



Um singula idola Romæ templa habere non possent, Romani templum extruxerunt, quod PANTHEON vocârunt, inde quòd, ut Dion Historicus lib. 53. refert, in Martis Venerisq; imaginibus, in eo templo constitutus, omnium Deorum imagines efficta essent. Vel, quòd templum ipsum rotundum fuit, ideoq; cælo persimile, & sic quoque omnium Deorum habitatio censeari potuit, quæ sententia Dioni probabilior videtur.

Pantheon Ro.  
mo.

Quod autem ad Pantheon hoc attinet, in Martyrologio Bedæ legitur, ipsum à Domitiano Imp. erectum fuisse: idem etiam scribit in lib. de 6. atat. in Traiano. Sed falsum & à veritate alienum hoc est. Constat enim Augusti tempore à M. Agrippa tertium Consule excitatum, anno ab Vrbe condita 727. ante Christi natiuitatem anno 25. Sic enim Dio dicto loco, Pantheon, inquit, quod perfecit Agrippa, &c. Idem etiam testatur vetus inscriptio in frontispicio Panthei adhuc hodiè posita, M. AGRIPPA L. F. CONSVL TERTIVM, FECIT.

Quod vero Petrus de Natalibus in suo Catalogo lib. 10. c. 1. dicit, vocatum fuisse Pantheon, quod extructum & dicatum fuerit in honorem Cybeles omnium Deorum matri, aliud testari Plinius videtur, qui hæc propius spectauit, atq; lib. 36. Natural. hist. c. 15. Ioui Victori dicatū fuisse affirmat: compresso videlicet bello ciuili, M. Antonio et Cleopatrá ad Actiacum superatis; M. Agrippa iam secundum, indeq; & tertium Consulid muneris obtulit Ioui Vindici, cui ob hostes deuictos, aras erigi, ac templa, sacrificiaq; offerri, fuisse vsitatum, Romanarum rerum antiqui scriptores, inter quos Tacitus lib. 3. & 15. scriptum reliquerunt.

Circa annum vñrò Domini 610. Bonifacius 4. vel iuxta alios 3. Papa à Phoca Imperatore petijt & impetrauit, vt templum hoc sibi concederetur, sicut Platina & Iacobus de Voragine in Lombardica historia narrant. Vnde obiter cernere licet quid hoc tempore iuris habuerint Romæ Pontifices. Eiectis igitur inde idolis & repurgato templo, dedicauit illud 4. Idus Maij in honorem B. Mariæ virginis & omnium Martyrum: nondum enim fiebant festa hoc adhuc tempore de Confessoribus, sed solùm de Martyribus: statuitq; idem Papa, vt singulis annis 4. Idus Maij celebraretur festū de Martyribus omnibus, sicut in Calendis eiusdem mensis celebrabatur festum Omnium Apostolorū. Templum verò sanctæ Mariæ ad martyres appellauit, quod hodiè sancta Maria Rotunda dicitur à populo. Durandi Ration. lib. 7. cap. 34. Pet. de Natalibus lib. 4. cap. 159. & lib. 10. cap. 1. Polydorus libro 6. cap. 8. Beda libro 2. cap. 4. Anglica histor. & de Ratione temporum libro 2. Regino libro 1. Balæus & Platina in Vita Bonifacij. Cùm autem Romã ad hoc festum quorannis maxima hominū multitudo conflueret, et propter defectum victualium huic celebrati commode vacare non possent, ideo Gregorius 4. sa.

Festi Omnium  
Sanctorum  
origo.

S. Maria ro-  
tunda.

Translationis  
festi huius caus.



DE ORIGINE FESTORVM

Papa circa annos Christi 834. festum hoc ad Calendas Nouembres transtulit, vt tunc collectis terra frugibus in otio & rerum omnium abundantia, magno suo Deo, scilicet Venti, & nouis suis Dijs, hoc est, sanctis mortuis opimiora sacrificia possent offerre. Mantuanus lib. 11. Fast. causa translationis istius his versibus meminit:

Ac Maij celebranda die solennia nono  
 Instituit: sed in has patres traxere Calendas:  
 Nam modo collectæ fruges & in horrea missæ  
 Otia parturiunt, iam transiuere labores  
 Cessauere operæ, tempus geniale propinquat,  
 Bruma venit, glacialis hyems apparet in altis  
 Montibus: &c. *Et mox:*

Apta celebrandis & idonea tempora festis  
 Hæc prisca videre patres: sed tempora Maij  
 Etsi fronde virent multâ, tamen aspera fiunt  
 Sæpius absumptis iam frugibus, atque laborum  
 Et Solis crescente æstu spatioq; dierum.

Festi huius  
 propagatio.

Non autem voluit Gregorius vt festum hoc in honorem solum Apostolorum & Martyrum celebraretur, sed generaliter omnium Sanctorum, Sanctarum & Electorum, Trinitatis & Angelorum, idq; per vniuersum mundum. Durandi Ration. lib. 7. cap. 34. Petrus de Natal. & Polydorus vt supra. Cranzius in Metrop. libro 2. cap. 1. Ita factum est vt solennitas hæc in ipsam quoq; Galliam & Germaniam, hætenus ibi incognita, ac Romæ tantum celebrata, inuecta fuerit. Martinus in vita Gregorij. Vincentius lib. 25. cap. 26. Antoninus tit. 16. cap. 1. § 4. Balæus Cent. 2. cap. 20. Ab his tamē omnibus, dissentire videtur Baronius in Not. ad Martyrol. Rom. die 1. Nou. vbi sic scribit: vt omnium simul martyrum vna eademq; die celebritas ageretur ex Bonifacij 4. Romæ constitutione est sumptum exordium, cum antea eâ die Calend. Nouemb. vniuersale esset ieiunium, de quo Isidorus agit de Ecclesiast. Offic. lib. 1. c. 39. Postmodum verò, quod Romæ tantum peculiari riter agebatur, Gregorius 4. Papa cæteris Occidentalis Orbis ecclesijs faciendum præcepit.

Sunt qui scribant, rogatu Ludouici Imp. Gregorium 4. hanc solennitatem instituisse, vt indicat Platina in Vita eius. Habet id absq; dubio ex Sigeberto, qui in Chron. anno Domini 835. sic scribit: Tunc monente Gregorio Papâ, & omnibus Episcopis assentientibus, Ludouicus Imp. statuit, vt in Gallia & Germania festiuitas & omnium Sanctorum in Calend. Nou. celebraretur, quam Romani ex instituto Bonifacij Papæ celebrant. Sed Vincentius lib. 25. cap. 34. refert, quod Gregorius Ludouicum Imp. pro confirmatione huius festi rogârit. Vnde simul intelligitur, Pontifices Romanos his adhuc temporibus auctoritate propriâ non potuisse festa instituire, quod postmodum sibi solis vendicârunt.

Quod autem ante Ludouicum Pium Imp. in Gallijs eiusmodi solennitas celebrata non fuerit, ex eo intelligitur, quod in Concilio Moguntino tempore Caroli M. Imp. habito, cum in can. 36. festi dies in ijs ecclesijs agi consueti recensentur, nulla prorsus mentio fit de eiusmodi celebritate, vt nec etiam in Capitular. Regum lib. 1. c. 164. lib. 2. c. 36. & lib. 6. c. 186.

Quod autem feruntur Sermones aliqui S. Augustini nomine in eadem solennitate habiti, sciendum, illum ipsum primum ordine eo titulo prænotatum secundum Censuram Louanensium Iesuitarum, non Augustino, sed Alcuino tribuendum esse. At verò, vt Baronius indicat, in antiquo codice manu scripto ecclesiæ S. Mariæ ad Martyres Romæ, vbi hæc celebritas primum agi cœpta est, inuenitur idem Sermo sub titulo Odonis abbatis Cluniacensis. Rursus autē Sermo 14. cum additione Parisiensi, qui eodem titulo consignatur, habitus est non in hac solennitate, sed in natali alicuius virginis & martyris, vt ex eius exordio patet.

Festi huius  
 causa.

Causas autem instituta huius solennitatis tres assignant potissimum. Prima est, omissorum festorum suppletio: nam propter Sanctorum multitudinem specialiter de omnibus feriari non possunt.



possunt homines. Altera est negligentiarum expiatio. Licet enim, inquiunt, paucorum Sanctorum festa agamus, tamen illa negligenter saepe agimus, & multa in ijs per ignorantiam vel negligentiam omittimus, ea verò in hac generali festiuitate supplere possumus & de negligentia nos purgare. Vnde in Sermone qui hoc die per ecclesias recitatur, sic dicitur: Decretum est vt hac die Sanctorum omnium memoria habeatur, vt quicquid humana fragilitas per ignorantiam, vel per negligentiam, seu per occupationem rei familiaris in solennitatibus Sanctorum minus bene peregerit, in hac sancta obseruatione soluat. Tertia ratio est, vt preces à Deo intercessionis Sanctorum, qui hoc die omnes coluntur, facilius exaudiantur. Quòd enim hoc die omnes Sancti ad intercedendum vniuersaliter pro hominibus conueniant, fabulosam narrationem, seu diabolicam visionem & illusionem confirmare conantur. Cum enim sequenti anno ab huius solennitatis institutione Custos ecclesie S. Petri Romae hoc die omnia altaria circuisset, & omnium Sanctorum suffragia implorasset, ad altare S. Petri rediens, in Spiritu rapitur. Et vidit regem regum in sublimi solio sedentem, & omnes angelos circumstantes: deinde regina, cum diademate fulgente, cum dominarum multitudine aduenit, cui rex assurgens iuxta se eam sedere iussit. Post hæc venit quidam vestitus pilis camelorum, quem sequebatur multitudo venerabilium seniorum. Deinde aduenit alius in Papali habitu, quem plurimi in Pontificalibus sequebantur. Postea processit innumerabilis militia multitudo. Post quos venit turba diuersarum gentium infinita. Hi omnes regem flexis genibus adorauerunt. Angelus autem qui Custodem ducebat, eidem visionem exposuit, dicens: Reginam matrem Dei esse: Dominas verò virgines continentes: pilis camelorum vestitum Ioannem Baptistam: Seniores, Patriarchas & Prophetas: Papali habitu ornatum, Petrum Apostolum: Pontifices, Apostolos omnes: milites, martyres: turbam reliquam, Confessores. Hos omnes ideò ad regem regum Christum venisse, vt pro honore ipsis hac die in terris à fidelibus exhibito gratias agerent, et pro orbe vniuerso intercederent: sicuti nugatur Petrus de Natalibus lib. 10. cap. 1. Iacobus de Voragine in Lombardica historia Legenda 157.

Ergo propter cultum Sanctorum mortuorum hoc festum institutum est maxime, contra manifestum Dei verbum, & primitiue ecclesie doctrinam. Estq; hic cultus horribilis idolomania, praesertim si illa persuasio accedat, hoc opere nos mereri Sanctorum patrocinium & intercessionem, vt vanissimam illam visionem docere conantur, quam modò adserpsimus: & disertè factetur Rosarium, inquiens: Sancti magis patrocinantur & opitulantur ijs, qui festa ipsorum celebrant. Item: Sancti merita sua communicant illis, qui ipsos festiuitatibus honorant. Non mirum igitur, daemones, vt Praemonstratensis narrat, à quibus antea in Pantheo saepius Christiani percussi & laesi fuerant, posteaquam Sanctis dedicatum fuit, cessasse: nam hæc res eos superstitiosis Christianis reconciliauit: & hostis armatus, atrio suo occupato, quieti se dedit. Neq; etiam mirandum, hoc ipso anno, quo festum hoc primò institutum est à Bonifacio, Mahometem, Turcica tyrannidis authorem & virgam idololatriæ, coronatum esse regem Aegypti, Africae & Syriae Damasci: & postea Sarracenos eo tempore, quo Gregorius hoc festum transtulit ad Calendas Nouembrii totiq; orbi Christiano celebrandum obrutus, in Italiam nauigantes sacra & profana omnia diripuisse. Idololatria enim Ethnica, mutatis tantum nominibus, in ecclesiam Dei hoc modo inuecta, in eaq; reparata & instituta est: accedere praesertim temporis progressu Indulgentiarum questu, quæ in hoc tantum festo plurimis in locis publicè in templis venales sunt expositæ.

OMNIUM ANIMARVM FESTVM, SEV COMMEMORATIO  
omnium defunctorum fidelium

II.

**A** Pud Romanos mense Februario per dies duodecim continuos Februa celebrabantur pro defunctorum manibus: huiusq; diebus pro impetranda mortuorum animabus quiete, omnis populus piaculis, sacrificijsq; circa sepulchra accensis facibus certisq; intentus erat. Vnde Plutarchus in vita Romuli Februariū mensem καθάρσιον, id est, expiatoriū nominat. Et Iuba Ma

Februa. Rom.

Festi Omnium  
Animarum  
origo.



DE ORIGINE FESTORVM

nusius nomen ei esse à tollendis atq; abolendis spectrorum terriculamentis, maniumq; quibus parentabant phantasmatibus scribit, Athenæo teste. Ab his Romanorum Februus ortus videtur esse illa Christianis vsitata Omnium Animarum solennia & anniuersaria iusta, qua postfridie Calend. Nouemb. fiunt. Fateri hoc etiam cogitur Polydorus Vergilius lib. 6. cap. 9. de Inuentione rerum. Iam pridem, inquit, inerebuerat mos hic apud veteres parentandi apud sepulchrum, quod indicat M. Tullius in Philippica 1. dicens: Vt cuius sepulchrum nusquam extet, vbi parentetur, ei publicè supplicetur. Et in Oratione pro Flaeco, Litemus igitur, inquit, Lentulo, parentemus Cethego. Sic fiebant annua parentalia, id est, sacrificium quotannis ad honorem mortuorum: id quod etiam Macrobius & Cato tradunt, ita scribentes: Laurentiam annuæ parentationis honore dignatam. Erant enim parentalia iusta & conuiuia, quæ in funere & ad sepulchrum parentum cognatorumq; concelebrabantur à filiis ac consanguineis, quorum auctor fertur Æneas fuisse, qui eo pacto Anchisem parentem primus omnium honorauit, supplicationibus coluit, atq; eius memoriam nominis consecrauit, veluti Vergilius lib. 5. Æneid. describit. Sic nos illud ipsum institutum pro salute mortuorum obseruamus. Vnde omninò factum videtur, vt Odiloni in mentem venerit huius religionis celebrandi anniuersarias demortuorum exequias. Hucusq; Polydorus. Astipulatur Polydoro etiam Mantuanus, qui lib. 11. Fastorum ita canit:

His præsens deuota dies: suffragia dantur  
His hodiè: bis crebris lucent altaria flammis,  
Et partibus studijs vrbes & rura parentant:  
Februusq; exereent, sicut Romana secundo  
Mense superstitiò Ioue tunc regnante solebat.

De prima autem origine huius solennitatis apud Christianos, due discrepantes sunt sententia. Martinus Polonus in Chronico suo refert, Bonifacium 4. instituisse, vt proximè sequenti die post festum Omnium Sanctorum, defuncti habeant per ecclesias totius mundi sacrificium pro redemptione animarum. Occasionem dedit diabolica quadam illusio. Nam anno sequente institutionem festi Omnium Sanctorum, Custos ille in ecclesia S. Petri Rome, post visionem illam de qua in priore festo diximus, ad alium locum & vtriusq; sexus homines ductus ab angelo, alios in stratis aureis, alios in mensis gaudentes diuersis delitijs, alios nudos & inopes auxilium mendicantes ei ostendit. Dixit autem hunc locum Purgatorium esse: abundantes verò animas illas esse, quibus ab amicis per multa suffragia subueniretur, egentes verò esse quorum cura in terris nulla haberetur. Tandem mandauit ei angelus, vt ista omnia summo Pontifici intimaret, qui tunc erat Bonifacius 4. circa annos Christi 611. vt post festum Omnium Sanctorum diem statueret Omnium Animarum, vt saltem generalia suffragia pro illis die illa fierent, qui specialia habere nequirent: vt refert Iac. de Voragine in Lombardica historia Legendâ 157. Petrus de Natalibus lib. 10. cap. 1. Antoninus tit. 13. cap. 1. § 1.

Ceterum Odilonem, quartum abbatem Cluniacensium monachorum circa annos Christi 1010. omnes ferè vnanimiter tradunt primò instituisse hanc solennitatem per omnia sui Ordinis monasteria. Volateranus lib. 2. Antoninus tit. 15. cap. 15. Petrus de Natalibus lib. 10. cap. 8. Lombardica historia Legendâ 8. Polydorus lib. 6. de Inuentione cap. 9. Sigebertus. Petrus Damianus. Trithemius in Chronico Hirsaug. Balais in vita Ioannis XIX. Surius de Vitis Sanctorum tom. 3.

Occasionem talem annotat Antoninus tit. 15. cap. 16. § 5. Quidam, inquit, religiosus reuertens Hierosolymis, dum mare transiret, eumq; cum multis alijs ventorum horror impelleret, applicuerunt ad insulam quandam vel rupem, vbi quidam sanctus manebat inclusus. Illic ergò aliquandiu tranquillitatem maris cum alijs expectans, dum cum illo incluso frequenter colloqueretur, de patria requisitus, Aquitanum se esse respondit: interrogatus insuper, vtrum cœnobium, quod Cluniacum

niacum



excepto quòd nomen Natiuitatis mutabitur in nomen Conceptionis. His dictis ille disparuit: & citius dictu sedatâ tempestate, abbas cum suis incolumis concito flatu applicuit Anglicis littoribus: & quæ viderat & audierat quibus potuit notificauit. Statim autem illud festum in Ramienfi cœnobio solenniter celebrari: & ipse quoad vixit deuotis obsequijs solenniter celebrauit. *Facta sunt hæc, si vera dicuntur, anno Christi 1068. Nam, vt Polydorus Vergilius in fine libri octauæ Anglica historia restatur, casus est Haraldus Angliæ rex à Gulielmo Normanno anno Domini 1067. pridie Idus Octobris, & ipse Angliæ regno positus est.*

Sed insunt huic narrationi multa, quæ non immeritò fidem huius epistolæ eleuant, vt vix credatur ab Anselmo scripta. Primo, rei huius gestæ ne verbulo quidem meminisse Polydorus, diligentissimus Anglicarum rerum scriptor. Deinde, quæ de Halardo referuntur, quòd fuerit impius, tyrannus, cleri persecutor & honoris ecclesiastici subuersor, falsissima sunt, si Polydoro credere voluerimus: nam lib. 8. dicit, Haraldum, ad promerendam suorum beneuolentiam, neq; liberalitate, neq; clementiâ, nec comitate vtendi vllam occasionem omisisse: vectigalia aut aboluisse, aut minuisse: militibus stipendia, ministris mercedem adauxisse. De Gulielmo autem Normanno, quem fictus ille Anselmus tantum non ad cælum extollit, scribit libro nono, quòd durè cœperit in Anglos dominari, arbitrans posse se facilius ita eos in officio continere, ideoque plurimis optimatibus ac priuatis ciuibus bona cum honoribus adempta Normannis distribuisse, noua quotidie vectigalia imposuisse, nobilitatem nullo numero habuisse, ita vt vniuersis perniciem per hoc machinari visus fuerit. His alijsq; de causis Baronius etiam in Notat. ad Martyrolg. Rom. pag. 772. sic scribit: Anselmus de Conceptione Virginis Commentarium scripsisse fertur: sed an eius sit à multis meritò ducitur in controuersiam, cum habeat multa quæ eidem authori repugnent, teste Ioan. de Turro Cren. de conceptione Virginis p. 6. c. 3. par. 12. c. 9. & 10.

Falsitas huius  
narrationis.

Ignorauit etiam hoc scriptum Anselmi Petrus de Natalibus, qui lib. primo Catalogi Sanctorum capite decimo tertio, primam institutionem huius festi ipsi Anselmo adscribit. eum etiam, quæ fictus Anselmus Helino in mari accidisse refert, ea omnia Anselmo euenisse scribit. Scriptura autem diuersa, & fidem sibi inuicem derogantes, nihil firmitatis habent: & duæ orationes pugnantiæ continent, veræ simul esse non possunt. l. scriptura, c. de fid. instrum. Huius, inquit, P. de Nat. celebrationis festi principiū fuit B. Anselmus Prior monasterij Beccensis, postmodum Cantuariensis Episcopus, propter tale miraculum, quod ei apparuit. Dum ipse monasterij Prior, pro quibusdam vrgentibus ad partes Britannia nauigasset, dispositisq; agendis repatriaret, contigit tempestate nimia exortâ, & intumescente procella nauem periclitari. Et dum cuncti in discrimine nimio positi, omniq; spe humanâ deserti diuinum adiutorium, & B. Virginis flagitarent, potissimè autem Prior Anselmus, qui beatæ Dei genetricis fuerat singularis deuotus, subito conspiciunt quendam mirabili claritate fulgentem, Pontificali habitu decoratū super vndas maris versus nauē ambulando venire. Qui proximus naui Anselmum vocat, eumq; alloquitur, vt si periculum maris euadere cupiat, & in patriam saluus redire, eidem promittat coram Deo, quòd festum Conceptionis Mariæ, annis singulis solenniter celebraret, & celebrandū quibuscunq; poterit suaderet. Et quum ille de die festi & officio fiendo interrogasset? Respondit, quòd 6. Id. Decemb. festum illud celebrari debeat, quo die beata virgo concepta sit, & quòd idem officium, quo ecclesia vtitur in eius Natiuitate, in hoc festo dicendum sit, mutato solo nomine Natiuitatis in nomen Conceptionis. Et quum Prior de nomine nuncij interrogasset, respondit, se esse Nicolaum Episcopum à beata Dei genetrice pro tali reuelatione & eorum liberatione transmissum. Mox Anselmus iussa promisit, & voto interposito confirmauit, statimq; sedata est tempestatas, & flante vento prospero ad propria redierunt. Et sic ab eodem Anselmo prius in monasterio suo, & deinde in ecclesia Cantuariensi, cui præfuit, dictum festum celebrari cœpit. *Prior autē fuit monasterij Beccen. ante annū Dom. 1080. quos abbas factus*



DE ORIGINE FESTORVM

Festi huius confirmatio.

Progressu temporis quibusdam diabolicis illusionibus, si non fabula otiosorum monachorum sunt, hoc festum confirmatum fuit. Benedictus 10. Papa enim apparuit Ioanni Portuensi Episcopo, dicens: Aeternae poenae damnatus essem, nisi Odilonis merita & preces obtulissent. Quae quum Ioannes Episcopus abbati indicasset, Odilo pro Papa orauit, & cunctis fratribus sui Ordinis idem imposuit. Post paucos dies Edelberto monacho Papa Benedictus apparuit, nimium fulgens, asserens, se ipsius & eius Ordinis suffragijs a poenis purgatorij liberatum: & Odilonis manasterium ingressus cunctis gratias egit. Petrus de Natalibus lib. 2. cap. 26. Similem fabulam narrat etiam Sigebertus, Ioanni, inquit, Romanorum Pontifici Stephanus frater apparuit, quise inferni poenis torqueri querebatur: sed tamen precibus abbatis Odilonis Cluniacensis se liberari posse. Itaque Odilo a Pontifice monitus, tamen orando institit, donec per reuelationem se exauditum cognosceret. His igitur similibusq; miraculis, ad stabiliendam idololatriam confectis, Ioannes, quem alij XVI. alij XVII. nonnulli XVIII. Platina autem, Stella & Balaeus XIX. vocant, motus, festum Omnium Animarum, ab Odilone institutum, approbauit, & ab vniuerso deinceps orbe Christiano postridie Omnium Sanctorum obseruandum statuit. Stella, Ioannes de Oppido. Polydorus. Robertus Barns & Balaeus in vita Ioannis.

III.

THEOPHILVS martyrio coronatus est apud Caesarem Cappadociae, vt Vincentius indicat lib. 11. cap. 52.

III.

HIERIVS Alexandriae presbyter, vir in omni genere scientiarum praestantissimus, in pace quieuit tempore Philippi Imp. prid. Non. Nouemb. Hieronymus de Viris illustribus, & Pet. de Nat. lib. 10. cap. 23.

V.

MALACHIAS in Hibernia natus fuit, parentibus genere & potentia claris, anno Domini 1094. in patria aliquandiu solitarius vixit, sed inde ad sacerdotale munus vocatur. Postea electus est Episcopus in Connereth, anno aetatis suae 30. Deniq; a Celso Archiepiscopo totius Hiberniae successor declaratur. Srenuus fuit Pontificiarum superstitionum promotor. Profectus est Romam pro impetrando archiepiscopali pallio, vbi omnes penè angulos ex superstitione perreptaui. Impetrauit etiam a Papa, vt nouam in Hibernia metropolim confirmaret. Auctor fuit impuri caelibatus sacerdotum in Hibernia, quo adhuc vsque tempora caruit: nam sacerdotes cum legitimis viuant vxoribus in coniugio: Balaeus Cent. 14. cap. 85. Monachatum etiam, quantum potuit, promouit. Mortuis viuorum preces subuenire putauit: & in monachis gentes benedici censuit. Moritur Nonis Nouemb. secundum Petrum de Nat. lib. 10. cap. 27.

VI.

LEONARDVS patria Cenomanensis, discipulus Remigij fuit, & tandem factus Episcopus Lemouicensis. Henricus de Erdfordia cap. 49. Impetrauit a rege Francorum Clodoueo, nuper ad Christum conuerso, vt quicumq; in carceribus detinerentur, si eos ipse visitare vellet, continuo soluerentur. Et vbiq; captiuos esse audiebat, ad eorum liberationem festinus properabat: Petrus de Natalibus lib. 10. cap. 29. Surius autem in eius vita dicit, Deum sic ornasse & illustrasse Leonardum, vt si quis in carcerem coniectus eius nomen inuocasset, ruptis catenis, nullo impediante, liber discesserit: indeq; accidisse, vt multi etiam ex longinquis regionibus a vinculis & carceribus per eum liberati ad eum venirent, & compedes atq; catenas secum ferrent. Vnde apud Pontificios a captiuis, tanquam Deus inuocari solet. Mortuus est 8. Id. Nou. circa annos Domini 500. Petrus de Nat. vt supra.

VII.

FLORENTIVS Scotus nobili familia natus, oratorium sibi apud Haselium fluvium condidit. Dagoberti regis filiam caecam & mutam oratione sanasse dicitur, ob eamq; causam Dagobertum ei caenobium Haselachium extruxisse. Rotario mortuo Argentineus Episcopus ordinatur, anno Christi 663. cui praesuit annis 12. obiit anno 675. 7. Idus Nou. Irenicus lib. 3. cap. 49. Balaeus Cent. 14. cap. 22.

VIII.

SEVERVS, Seuerianus, Carpophorus & Victorinus fratres in persecutione Diocletiani, deorum cultum liberè desistentes, plumbatis caesi in verberibus vitam pro Christi omni re profudero



profuderunt, 6. Idus Nouemb. Quorum corpora canibus obiecta, quum ab ijs intacta mansissent, tandem à Meliade Papa & Beato Sebastiano sepulta fuerunt. Eorum nomina quum diu non potuissent inueniri, Quatuor coronati vocati sunt, quemadmodum etiamnum hodie. Pet. de Nat. lib. 10. cap. 37.

THEODORVS natione Græcus, quum propter Christum horrendos cruciatus sustinisset, tandem in medijs flammis animam Deo reddidit, flammis tamen corpus non absumentibus 5. Idus Nou. Pet. de Nat. lib. 10. cap. 39.

Celebratur eodem die quoq; Romæ, alijsq; in locis Italiae Dedicatio basilicæ Saluatoris: quæ varijs nominibus appellata fuit. Nam in Registro Gregorij lib. 11. c. 1. appellatur basilica Iulij. Non tamen videtur à Iulio Papa sic dicta. Sed vetus vrbis monumentum erat basilica Iulij, cuius etiam meminit Plinius lib. 5. epistola 11. Dicta est etiam basilica Lateranensis, seu Laterani: ita enim appellauit eam Hieronymus epistola 30. in Epitaphio Fabiola, et Prudentius cōtra Symmachum: sic dicta ab ædibus Laterani, quæ (vt Publius Victor scribit, in regione secunda erant Cœlimumtana nuncupata. Fuisse eas magnificentissimas, Iulius Capitolinus testatur in M. Aurelio Imp. & Victor in Severo: quæ postea temporibus Constantiniani Faustæ Augustæ cesserunt, ibiq; sub Meliade Synodus habita est in causa Cæciliani, vt scribit Opreatus Mileuitanus lib. 1. cōtra Parmen. Dicta etiam reperitur basilica Constantiana, quod dictas ædificiorum moles in ecclesiam mutauit, auxerit, ornauitq;. Appellata est etiam basilica Saluatoris eò quod Saluatori omnium Iesu Christo Deo vero dicata esset. Deniq; adiacentia Oratoria S. Ioannis Baptistæ & S. Ioannis Euangelistæ ab Hilario Papa contracta in Baptisterio Constantini, effecerunt, vt eadem basilica S. Ioannis nomine diceretur etiam.

Dedicatio Rōmæ basilicæ Saluatoris.

## FESTVM PASSIONIS DOMINICÆ

## IMAGINIS.

Si geberthus narrat, anno Christi 765. in Berytto vrbe Christi imaginem à Iudæis contumeliose tractatam, aperto latere sanguinem effudisse: quo miraculo territos Iudæos & ad penitentiam conuersos, Adeodatum Episcopum Berytti baptizasse, & sanguinem ab eis acceptum in ampullas distribuisse, ac ad plurimos Episcopos in diuersa loca Asia, Europæ & Africa misisse, obtestatumq; omnes, vt singulis annis 5. Idus Nouembris in huius rei memoriam festum agant. Patres verò in Nicæna synodo 2. vt commento maiore cum authoritate possent rei, finxerunt, id accidisse tempore Athanasij Alexandrini: quo tempore nimirum imago Christi, quam Nicodemus manibus suis fecerit, & moriturus Gamalieli tradiderit, qui eam Iacobo reliquerit, à quo Simeoni & Zachæo commendata & tandem Beryttum abducta fuerit, à Iudæis quibusdam crucifixa sit, constitutumq; à metropolitano Berytensi, vt illa dies quæ hoc factum, 5. Idus Nouemb. videlicet, non minore reuerentiâ, quàm Natalis Domini vel Paschalis præcipuâ obseruatione coleretur.

Libellum autem, in quo historia hæc continetur, & qui inter Athanasij opera numeratur, supposititium esse, ne ipse quidem Nannius Louaniensis, qui Athanasij opera in tomos digessit, negare audeat. Fateretur hoc ipsum quoq; Baronius in Not. ad Martyrolog. pag. 713. Planè, inquit, constat, auctorem illius historię non esse Athanasium Alexandrinum Episcopum, vt habet recens inscriptio; nec à S. Synodo tanquam Athanasij illius cognitam. Cùm etenim alicuius magni Theologi illic de sacris imaginibus citatur sententia, eundem per honorificè ac præclaris elogijs nominare consueuerunt. At verò Baroni, Petrus Nicomediæ Episcopus hunc Athanasium in hac Synodo Diuum appellauit: Adfero, inquit, diui Athanasij in hanc sacram Synodum librum, &c. Pergit Baronius: Ioannes etiam Damascenus, qui tres selectissimas de sacris imaginibus scripsit Orationes, in quibus cùm à S. Athanasij, tum à cæterorum scriptis testimonia mutuatur, nihil prorsus habet de eiusmodi historia imaginis crucifixæ. Vnde satis esse argumento videtur, post illas Ioannis Damasceni

Libellus de hac passione supposititius.



DE ORIGINE FESTORVM

scriptiones id contigisse. Nomen itaq; Athanasij Alexandrini aliunde irrepsisse videtur. Nam in codice peruetusto hæc caractere Longobardico scripta leguntur: Sermo sanctæ memoriæ Patris nostri Athanasij de imagine Iesu Christi veri Dei æterni, quod factum est miraculum magnum in ciuitate Berytho, tempore Constantini Iunioris & Irenes vxoris eius. Vnde alicuius alterius potius Athanasij in Syria Episcopi, quàm Alexandrini, tractatus ille esse conspicitur. *Hæc Baron.*

*Et qui hunc libellum paulò diligentius inspexerit, nisi vehementer hebes fuerit, istius fabula futilitatem mox perspexerit. Homo quidam Christianus Beritto cum familia sua aliò concesserat: is cum domi suæ Christi imaginem haberet, ipsi Christo & longitudine, & latitudine, & ceterâ magnitudine æqualem, eam in loco quodam occulto obliuione reliquit. Iudæus postea eam domum longo tempore inhabitauit, nec tamen imaginem vnquam vidit: alius quidam peregrinus Iudæus discumbens in prandio, eam statim aspexit apertam, & ad parietem inclinatam, & c. Hæc isto modo refert fictus ille Athanasius. Ita verò & stat aperta, & tamen occulta iacet: & occulta cum sit, tamen aperta & ad parietem inclinata est: nec eam vnquam vidit, qui longo tempore domum illam, in qua latuit, inhabitauit, alius quidam peregrinus mensa accumbens, mox illam conspexit. Scilicet ista conueniunt. Deinde Sacerdotes, magistratusq; Iudæorum eò conueniunt, & imaginem indignissimis contumeliosissimisque modis tractant. spinâ coronant, myrrham & fel ad bibendum porrigunt: deniq; cor lanceâ perfodiunt: sanguis abundè effluxit: potestates cæli commouentur: Sol obscuratur: Luna amittit suum lumen: plura & maiora miracula fiunt in passione imaginis muta, surda, & cæca et omni sensu carentis, quâ cum verus ille Iesus crucifigeretur. Atq; inde fluxit etiam omnis ille per totû terrarum sanguis. Mirum est autem alios multos, doctos & præstantes viros, qui eo tempore & paulò post vixerunt, & quorum scripta ad nostram vsq; ætatem peruenerunt, mentionem huius fabulæ ne verbo quidem facere: qui certè si tanta res tunc accidisset, eam in suis libris & historijs nequaquam silentio præzerissent. Credendum igitur, hunc libellum, quendam nomine Athanasium, conscripsisse & superstitiosos quosdam idololatrias Magno illi Athanasio postea tribuisse, vt sic specie & auctoritate aliquâ eum simplicioribus obruderent.*

X.

MARTINVS primus Papa, pro sancto à Pontificijs habetur. In Romana synodo leges quasdam de festis diebus ac templis ornandis constituit: & vt sacrificuli comas raderent arde præcepit. Episcopis mandauit, vt chrisma sacrum singulis annis conficerent, & ad omnes suarum diocesium Ecclesias mitterent. Votum cælibatus clericis imposuit: & post initum matrimonium, ante carnalem copulam sponsum ac sponsam benedici iussit. Paulum Constantinopolitanum Patriarchum deposuit, propterea cæcis vinctus, & Constantinopolim perductus, in exiliû à Casare Constantio pellitur, in quo anno Christi 653. Pridie Idus Nouemb. mortuus est, vt Petrus de Natalibus lib. 10. cap. 52. indicat: quum tamen in vulgatis Calendarijs ad 4. Id, Nouemb. ponatur.

DE S. MARTINO EPISCOPO.

XI.

MARTINVS Episcopus in Pannonia non obscuris parentibus natus, sed intra Italiã am Ticini enutritus fuit. Anno 15. ætatis sub Constantino & Iuliano, quod tamen cum veritate historiæ non congruit, ad militiam à parente Ebnico adactus dicitur. Post aliquot annos eâ molestiã liberatus, ad Hilarium Pictauiensem Episcopum se confert: mox ad gubernationem Ecclesiæ Turonensis vocatur, in quo munere diligens fuit.

Pictura S. Martini.

Cum pingitur, partem suæ clamydis gladio abscissam pauperi tradit, ealem ob causam: Cum adhuc militem ageret, occurrebat ei in porta Ambiensis pauper nudus, stipem petens. Verum quum præter arma, vestemq; militarem, eamq; simplicem, ei suppeteret nihil: arrepto gladio, quem gestabat, chlamydem mediam diuidit, partemq; pauperi dedit. In agone mortis constitutus, & diabolum propè astare videns, ei dixit: Quia tu hîc astas cruenta bestia: nihil in me funesti reperies: Abrahæ me sinus recipiet: atq; hoc dicto spiritum simul reddidit, cum per dies aliquot febre orationibus & vigilijs luctatus esset: anno ætatis 81. Episcop. 36. anno vero De-

10 De-



rò Domini 404. vt ex Sulpitij Dialogo 2. & 3. in quibus vitam eius descripsit, colligitur: vel anno 410. iuxta Bergomensem, 3. Idus Nouemb. Nam quòd Petrus de Natalibus lib. 10. cap. 47. annos Domini numerat 480. falsum est.

Instituit autem eius festum Martinus Papa circa annos Christi 650. vt Martini Chroni-  
con testatur. Cùm verò negligentius celebraretur, synodali auctoritate decretum est circa an-  
nos Domini 883. ab Adalardo Archiepiscopo Turonensi, & prouincialibus suis Raymone A-  
relianensi fratre Adalardi, Mainoldo Cenomanensi, Lupo Andegauensi, & suffraganeis totius  
prouinciæ Episcopis, vt deuotè obseruetur. Vincentius lib. 25. cap. 54.

In profesto autem Martini mos est apud Christianos anserè & musto liberaliter per sin-  
gulas ferè ædes fruendi. Vnde & Martinianus anser ille appellatur: & mustum creditur  
mox sequenti die in vinum verti. De hoc ritu ita canit Thomas Naogeorgus lib. 4. Papi-  
ci regni:

S. Martini fe-  
stum quis in-  
stituerit.

Ritus huius  
festi.  
S. Martini  
Sans.

Altera Martinus dein Bacchanalia præbet,  
Quem colit anseribus populus, multoq; Lyæo,  
Totâ nocte dieq; Aperit nam dolia quisq;  
Omnia, degustatq; haustu spumosa frequenti  
Musta, sacer quæ post Martinus vina vocari  
Efficit. Ergo canunt illum, laudantq; bibendo  
Fortiter ansatis pateris, amplisq; culullis.  
Quin etiam ludi profunt hæc festa magistris.  
Circumeunt etenim sumpto grege quisq; canoro,  
Non ita Martini laudes festumq; canentes,  
Anserem vt assatum ridendo carmine iactant.  
Cuius nonnunquam partem, nummosue vicissim,  
Accipiunt, celebrantq; hoc festum musicè & ipsi.

Verùm mos iste compotandi hoc festo die infelicissimè cessit Christianis in Syria tempore belli  
sacri. Nam quum circa annum 1179. Germani Ioppen tenerent firmo presidio, & nec minis nec  
promissis adduci potuissent, vt vrbē Barbaris traderent, tandē quum Germani ad S. Marti-  
ni festum pro more lauius cœnarent, poculisq; coronatis certarent, vinoq; & somno sepulci in-  
stratis sternerent, ita vt & vigiles portarum custodiam negligenter, proditor quidam Syrus hac  
occasione obseruatâ hosti portam vnâ aperuit. Barbaris ergo ex improviso irruentibus omnes  
Christiani ad vnum occisi sunt, vrbis etiam in aream solo æquata, fundamentis murorum vbiq;  
euulsis, vt narrat Panthaleon lib. 2. de Gestis Ioannitarum. Videntur autem Christiani mo-  
rem hunc ab Ethnicis didicisse. Nam, vt Arnobius lib. 7. contra gentes indicat, Vindemia  
Æsculapij festum fuit, quod celebrârunt vindemiatores post vinum expressum. Hanc consue-  
tudinem veteres abrogare cupientes, in eius locum S. Martini festum, in eaq; compotationes  
istas, Ethnicorum simillimas, instituerunt. Apud Athenienses quoq; vndecimâ die Antheste-  
rionis, qui Martio nostro vt plurimum respondet, Pithægiam festum celebrârunt, in quo dolia  
primùm relinebant, & vina noua gustabant: vnde & Πιθηγία, quasi πῖθη ἀνοίγειν dicitur: vt  
Plutarchus refert lib. 3. Sympos. & ad has compotationes non amicos solum, sed etiam seruos,  
mercenarios, clientes & rusticam turbam vocat int. De hoc ita etiam cecinit Mantuanus lib.  
11. Fastorum:

Hæc est læta dies: ista populusq; patresq;  
Luce cados relinunt, & defecata per omnes  
Vina ferunt mensas: ac libera verba loquuntur.  
Talis apud veteres olim sacrata Lyæo  
Lux erat à priscis vocitata Pithægia Graijs  
Quòd signata dies aperiret dolia festus.

Moris etiam est plurimis in locis, vt ad diem Martini census debitaq; soluantur. Conie-  
cturam meam, vnde hic mos originem traxerit, recitabo, quanquam non ignorem coniecturas

Die S. Martini  
census debita-  
que soluantur



DE ORIGINE FESTORVM

veritate occultâ bonas, eâdem patefactâ ridiculas plerumq; esse. Clodoveus Magnus paulò ante prælium cum Visigothis commissum, equum suum D. Martino vouerat, eâ tamen conditione, ut eum centum aureis redimere sibi liceret, quibus missis, nuntiatur ei equum procedere nolle: missis igitur adhuc centum, tuncq; processit. At Clodoveus, S. Martinus, ait, Bonus est in Consilio, sed carus in negotio. Mirum viq; videbatur Regi Sanctos cœlites auri tam cupidos esse, quod tamen, dum in terris agerent, contempserint, & pro nihilo duxerint. Non cogitauit optimus & piissimus Rex, hoc viuentium coruorum aucupium esse, non Sanctorum mortuorum. Nauclerus Gener. 17. & Stumpsius in Chron. lib. 3. cap. 60. Quoniam igitur pecunia tam auidus, eiusq; tam rigidus exactor visus fuit Martinus, ob eam causam à veteribus exactiones & solationes censuum & debitorum eius diei festo destinatas reor. Hæc tamen nolim cuiquam esse præiudicij loco, sed solum dicta, ut alij acutius & diligentius rem vestigent. si modò tanti æstimabunt. Audientes igitur aliquando rustici hoc die cantare Responsorium de B. Martino, quod est, Martinus Abrahæ simulatus excipitur, & c. cum indignatione dixerunt, & adhuc dicunt, Martinus ist' aber hie: in suum damnum commutantes nomen iusti Abrahæ, in vernaculum Aber hie, quòd citius quàm vellent appropinquet.

Dies S. Martini  
criticus est.

Dies etiam hic à plebe criticus censetur. De quo Mantuanus eodem loco sic canit:

Sol hodiè si clarus obit, denuntiat acrem  
Atq; molestam hyemem. Si nubilus, aëra mitem  
Prædicat hybernum. Dant hæc prognostica natís  
Pastores outum, cùm seria fantur ad ignem.

XII. CHVNIBERTVS filius Grallonis Ducis Lotharingia, Coloniensis fuit Episcopus temporibus Heraclij, Constantini & Constantis Imperatorum. Mortuus est pridie Idus Nouemb.

XIII. ASCHASIVS Hispanus, quum Arrij doctrinæ adharere nollet, à Genserico rege primò proscripuit, deinde in exilium actus, demùm atrocissimis supplicijs cruciatus moritur Idibus Nou. Adon in Martyrologio.

XIII. VENERANDVS apud Trecastrinam ciuitatem passus est sub Aureliano Imperatore, 18. Calend. Decembris. Pet. de Nat. lib. 10. cap. 60.

XV. LEOPOLDVS Austriae Marchio, cognomento Pius, ob liberalitatem in sacrificulos & monachos, ab Innocentio octauo Friderici tertij Imperatoris precibus inter Sanctos refertur circa annos Christi 1488. quum mortuus esset anno 1136. Panuinius in Appendice ad Platinam;

DE S. OTHMARO eiusq; festo.

XVI. OTHMARVM primum Sangallensis cœnobij abbatem, Solomon Constantiensis Episcopus in numerum Diuorum retulit anno Domini 864. eiusq; festum per totum suum Episcopatû celebrare præcepit quotannis 16. Nouemb. annis à morte eius 139. authore Ibone monacho Sangallensi in Othmari vita apud Surium tom. 6. In Legenda eius indicatur quòd lagenam habuerit, quæ nunquã euacuat a sit quantumcunq; pauperibus ex ea distribuerit. Unde prouerbium apud Germanos ortum, ut si quis habeat vas aliquod, diutius quàm sperabatur, copiam eius rei quæ in eo continetur. subministrans, dicant, Es ist S. Othmars legelen: & huius rei in Othmari festo præcipuè quoq; fit mentio. Vualafrius Abbas Augiensis in Vita Othmari apud Suriû tom. 6. hoc miraculum aliter recitat. In translatione, inquit, corporis S. Othmari quû ex nimia remigandi instantia fessi, adueniente refectionis hora, ad recuperandas alimento corporeo vires, consedissent, tandemq; felici conuiuio intermisceri potus solatia cômouerent, vnus ministrorû intulit, nil ibi iam potuû superesse, præter quòd in Flascone paruo seruabatur, vnde vix vniciq; quidpiam ad gustandum potiùs, quàm ad bibendû præberi potuisset. Illi verò ex paruo vase cunctis qui aderant distribui iusserunt. Et mirum in modum cœpit in eodẽ vase

scule



seculo ita liquoris haustus crescere, vt continuâ effusione nihil minui videretur, quoad vsq; bibentes poculorum copiâ vincerentur. *Aeditus* verò in *Chronico* suo dicit, post mortem *Othmari* lagenam eius sæpius à monachis exhaustam nunquam defecisse. Apud *Ethnicos* quoq; fuerunt *λαγνοφορίων* *Lagenophoriorum* sacra, quæ à *Ptolemaeo* primùm, multarum aliarum quoque ceremoniarum ad *Bacchi* cultum pertinentium inuentore, instituta, & ab *Alexandrinis* culta atq; celebrata fuerunt, vt *Athenæus* *Plutarchi* testimonio comprobatur. Idem author scribit lib. 1. in loco quodam, qui octo stadijs ab *Elia* distat, incolas in *Bacchanalibus* solitos fuisse tres lebetes vacuos præsentibus externis recludere, quos iterum aperientes vini plenos inuenerint.

**ANIANVS** *Aurelianensis* fuit *Episcopus* tempore *Martiani* & *Valentiniani* Imperatorum, decessitq; ex hac vita 15. Cal. Decemb.

XVII.

**GELASIVS** Primus *Pontifex Romanus* *Manichæorum* libros combussit: hymnos, præfationes, gradualia, collectas & orationes scripsit: libros apocryphos ab authenticis discreuit, ac bigamos ad sacerdotium admisit: clericorum quoq; ordinationes quater in anno fieri præcepit. *Precum clausulas*, Verè dignum, ac, Te igitur, *Missæ* adiecit: seq; ac successores suos à nemine iudicandos asseruit. Mortuus est anno Domini 497. 14. Cal. Decemb. *Pet. de Nat. lib. 10. cap. 77.*

XVIII.

**ELISABETHA** *Andree Regis Vngariæ* filia, vxor verò *Ludouici Hassiæ et Thuringiæ Landgrauij* fuit, femina sanctissima: mortua est anno Dom. 1231. 13. Cal. Decembris. *Petrus de Natalibus lib. 10. cap. 79.* Eo die festum eius celebrandum *Gregorius IX.* præcepit, vt *Hermannus Schædel* ætate 6. *Bergomensis* libro 13. *Sabellicus Enne. 9. libro 6. referunt.* De hoc *Cranzius* libro 7. cap. 48. *Metropol. ita* scribit: *Beata Elisabeth* in *Marpurg* canonizata extollitur, præsentem Imperatorem & multis Principibus, anno Christi 1236. Tanta ibi erat hominum multitudo, quantam se nemo vnquam meminerat vnâ conspexisse. *Oblatio auri & argenti sine fine* pro miraculis quæ crescebant circa *Domina* illam. *Trithemius* verò in *Hirsaugiensi Chronico* ita scripsit: Anno Domini 1236. *Calend. Ma.* *Sancta Elisabeth* in *Marpurg* per *Archiepiscopos Moguntinum & Treuirensis*, & *Episcopum Hildesheim.* *Commissarios Apostolicos*, de tumba subterranea leuata fuit, in præsentia *Friderici Imperatoris*, & multorum Principum, *Episcoporum, Abbatum, Comitum, Prælatorum, nobilium ac ignobilium,* quorum omnium numerus ad duodecies centena millia fuerat æstimatus. *Imperator* primùm lapidem de sarcophago leuauit, & productum ex thesauris suis coronam auream *S. capiti S. viduæ reuerenter imposuit:* Corpus autem eius ad tumbam auream reconditum est. *Refert idem Iacobus Montanus Spirensis in eius vita apud Surium tom. 6.*

XIX.

**EUGENIVS** apud *Lugetiam Parrisorum* passus est. Quum enim esset *S. Dionysij eius urbis Episcopi* discipulus, ab eo *Toletanus Pontifex* ordinatur: quo in munere quum sese strenuè gessisset in conuertendis *Ethnicis*, desiderio videndi magistrum *Lugetiam* redire contendit: non procul autem ab urbe comprehensus à paganis interficitur 7. *Calend. Nouemb. Petrus de Natalibus lib. 10. cap. 62.* In vulgatis verò *Calendarijs* dies passionis eius est. 12. *Calend. Decemb.*

XX.

PRÆSENTATIONIS *Beatæ Mariæ*  
virginis festum.

XXI.

**C**onstantinopoli Præsentationis *Beatæ Mariæ* festum in *Nouembri* celebratum est. Cur hoc festum celebratum, circa annos Christi 730. *Metaphrastes* tom. 5. de *Vitis Patrum* indicat. Et vt in *Concione Germani Constantinopolitani Episcopi* narratur, celebratum fuit in memoriam eius, quòd *Maria* ex matre sua *Anna sterili* nata, triennis absq; ductu ascenderit per quindecim gradus templi, & quòd à *Zacharia* propheta, quum nouo ac inaudito hætenus exemplo *Deo dicata* es-

Bb 3



DE ORIGINE FESTORVM

set, in Sanctum Sanctorum abducta sit, ibiq, ad secundam vsq, aetatem manserit, ac tum forte à sacerdotibus missa, Iosepho commendata sit. Extat apud Surium tom. 6. de Vitis Sanctorum eiusdem argumenti Oratio Gregorij Nicomediae Episcopi. Sed hac nullo idoneo testimonio antiquitatis probari possunt. Ipse quoq, Iansenius in Psal. 119. quae de quindecim gradibus dicuntur, planè incerta esse annotauit.

Festum hoc ab initio Constantinop. tantum celebratum, deinde alibi quoq, 16.

Non legitur autem apud probatos historicos, quòd alibi quoq, à Christianis hæc festiuitas celebrata fuerit. Ac videtur ab idololatriâ in regia illa vrbe instituta paulò ante Nicanam 2. Synodum. Progressu verò temporis idololatriâ crescente in Gallias quoq, transijt hæc festa dies temporibus Caroli 5. Gallorum Regis anno Domini 1375. de qua re extare dicitur eiusdem epistola ad Nicolaum Antistodorensem Episcopum, quam citat Molanus in Addit. ad Vuarum. Inde in alijs etiam Ecclesijs celebrari cepit, non quidem mandato aliquo, sed ex consuetudine. Intelligitur hoc ex Bulla Pauli secundi, quæ extat in Lombardica historia cap. 84. in qua scribitur, Vuilhelmum Saxoniae Ducem à Pio secundo petiisse, vt festum Præsentationis Mariæ, quod annis singulis in terris ac dominijs suis 21. Nouemb. de consuetudine celebraretur, etiam ex speciali sedis Apostolicæ decreto & statuto dictâ die obseruetur: & Pontificem quidem eius petitioni annuisse, sed morte præuentum decretum non publicasse. Paulus igitur Papa id confirmauit & publicauit, 1464. anno, Cal 16. Octob. Pœnitentibus etiam & confessis, qui die prædictâ in singulis Ecclesijs, monasterijs & alijs locis Ecclesiasticis, in quibus officium Beatae virginis celebrari contigerit, diuinis interfuerint, vel in vigilia eius festi ieiunârint, annuatim centum dies de iniunctis eis pœnitentijs relaxauit. Extant ibidem etiam literæ Adolphi Moguntini Archiepiscopi, anno 1468. datæ, penultimâ Aug. in quibus mandat, vt festum Præsentationis Mariæ, quod singulis annis 21. Nouemb. celebraretur de consuetudine, deinceps annuatim perpetuis temporibus per omnes suas dioceses solenniter celebraretur, cum propria historia de eodem festo, vel vbi ea non habeatur, historia de eiusdem Natiuitate recipiatur. Platina institutionem huius festi ex peculiari Sedis Apostolicæ mandato Sixto 4. adscribit in Vita eius, circa annos Christi 1475.

Casar Baronius tom. 1. Annal. Ecclesiast. Præsentationis & purificationis festiuitatem eandem esse dicit, quam maiores etiam Occursum nuncupârunt. fol. 57. In Notat. verò ad Martyrologium Rom pag. 738. hæc scribit: Scimus antiquitus Præsentationis solennitatem eam esse appellatam, quâ Dei Genetrix S. Simeoni infantem Iesum in templo obtulit, vt antiqua Ritualia, & alia vetusta ecclesiarum monumenta significant, & ipsa insuper oratio Missæ eius diei indicat.

XXII.

COECILIA nobilissimi generis Romæ habuit parentes. De ea multa rugantur Iac. de Virgine, Pet. de Natalibus, & alij quibus Lectori molestus esse nolo. Mantuanus lib. 11. Fasti de eius cruciatibus, quos propter Christum pertulit, sic canit:

Almachium virgo ferrum flammâq, minantem  
Irridebat, vti cautes Marpesia ventos.  
Nupta vtrum fratremq, viri conuertit, & ambos  
Misit ad Urbanum, docuit seruare pudorem,  
Dedere se Christo, cultumq, negare Deorum.  
Feruentes derisit aquas, lucebat in illo  
Mortifero & bullas extrâ faciente lauacro:  
Romanæq, loquens ad circumstantia gentis  
Agmina, camnabat Martem, Phœbumq, Iouemq,  
Et Saturnigenas alios quos Roma putabat.  
Esse Deos: potuit Christum suadere Latinis  
Fœmina, & à veteri laruarumq, auertere cultu.  
Non timuit gladios, sed merso in guttura ferro

Es



Et per pulmones vsq; ad nuda inguina misso  
 Inuulgabat adhuc Christum, &c. *Et mox:*  
 Deniq; compositis rebus Christiq; suisq;  
 Ad superos victa fugit virguncula Roma.  
 Hanc decimi mensis decimo vetus ante Calendas  
 Mos celebrat. Romæ matres delubra frequentant  
 Transtiberina manu faculas & vota ferentes.

*Quidam Vuilhelmus Paderbornensis ecclesie in Saxonia Episcopus constituit cum suo Ca-  
 pitulo, vt dies Cæcilia Dominico aquaretur, ob victoriam, quâ hoc die potitus furrat. Cranzius  
 lib. 11. cap. 16. Metrop.*

CLEMENS I. Romanus & in patria Episcopus, religionem Christianam plurimum pro-  
 mouit, fuit enim doctissimus. A Traiano Imp. ad marmora secunda in exilium propter Christum  
 pulsus, & anchorâ ad collum eius appensâ in mare tandem præcipitatus est Anno Domini 102.  
 In Epistolis decretalibus multa extant leges quas illi affingunt, de puerorum Confirmatione,  
 Missa, Vestibus, Papisticis sacris & alijs, quæ tamen cum ratione illorum temporum non con-  
 gruunt.

CHRYSOGONVS Roman. Aquileiam vinctus ductus, iussu Diocletiani Imp. quod  
 dijs sacrificare nollet, decollatus est 8. Cal. Dec. Pet. de Nat. lib. 10. cap. 101.

## DE S. CATHARINA.

CATHARINA fuit virgo Alexandrina, Costi Regis filia, & ab ineunte ætate in Phi-  
 losophiæ studijs erudita, tandem verò ad cognitionem & fidem Christi conuersa. Cum  
 Alexandria sauitiam immanem exerceret Maxentius in omnes qui sacrificare idolis recusa-  
 bant, & Catharina propterea tyrannum reprehenderet, ea de causa in carcerem ipsa quæ con-  
 iecta est, in quo cum quinquaginta Philosophis acutissimis, quos Maxentius vnaquaque occi-  
 suerat & ad eam miserat, disputauit, vicit, & ad Christianam religionem conuertit, vna cum  
 coniuge Imperatoris Faustina: qui etiam ad vnum omnes propterea iussu Maxentij trucidari  
 esse dicuntur. Catharina verò cum neq; minis neq; promissis flexa & à sententia sua abduci  
 potuisset, rotis, ex ferris ferreis, gladijs & clavis acutissimis confectis, excruciatum, sed frustra  
 nam rotæ ab angelò confractæ sunt & disiectæ, vt adstantibus Ethnicis plus quàm Catharinæ  
 nocerent, & quatuor millia interficerent. Tandem verò quum ceruicem animo obfirmato car-  
 nifici præbuisset, auditâ prius vocis. Veni, dilecta mea, ecce tibi beatitudinis ianua ape-  
 ritur, his verò qui passionem tuam celebrauerint, opem de cœlis promitto: obrun-  
 ta a dicitur, & cadauer eius ab angelis in montem Sinai asportatum 7. Calend. Decemb. anno  
 Christi 310. Est hæc simplex narratio de Catharina eiusque martyrio ex Legendis eius:  
 nam putidissima mendacia, & aniles nenas ac fabulas ex Petri de Natalibus libro decimo,  
 capite centesimo quinto. Iacobi de Voragine Legenda capite centesimo sexagesimo septimo, in-  
 tegras, referre pudet sanè pigetq;. Nam multa huic simplici narrationi insunt, quæ totam ita  
 suspectam faciunt, vt pro fabula & figmento non immeritò à plurimis habeatur, proque idolo  
 ad instar Ethnicæ Palladis conficta Catharina videatur.

Primò, qui Legendam eius conscripserunt, non consentiunt in patria. Quidam eam Ale-  
 xandrinam faciunt patriâ, & hæc sententia Gretschero Iesuitæ etiam probatur, quia pluribus  
 probatur, & ipsi etiam ecclesie Romanae. Alij Salamina Cypri ciuitate Catharinam in lucem pro-  
 genitam fuisse affirmant. Ad hoc Gretscherus dicit: Ex hac de patria Catharinæ au-  
 ctorum dissensione, quis sanæ mentis colligat, Catharinam prorsus commenta-  
 tiam fuisse? Quis de patria Homeri septem nobilissimas vrbes magnâ contentione  
 quondam digladiatas nescit? Num propterea Homerus nunq; fuit in rerū vniuersæ

XXIII.

XXIII.

De S. Cathari-  
na fabula.Mendacia quæ  
insunt narratio-  
ni de S. Cathari-  
na.  
Lib. 2. de l. e.  
reg. cap. 2.



DE ORIGINE FESTORVM

litate: *R*-spondeo, *H*omerū in terris floruisse, non tantū auctores probatissimi, qui eius tempore vixerint, sed etiā scripta eius luculenter testantur. Nullus autem elasticus auctor *C*atharina vel verbo meminit, qui temporibus illis, quibus passa dicitur, vel diu post vixerit. Diuersitas igitur hæc recentiorum auctorum de patria eius, non immeritò Legendam eius suspectam facit, & *C*atharinam fictitiam arguit. Ita de *M*elchisedeco & *A*postolis, quos porro obijcit *I*esuita, ex sacris literis & eorum historia certò constat eos vixisse quondam, de *C*atharina ex nullis antiquis auctoribus id constat, vel probari potest: sed de hoc paulò post plura. Pro paribus igitur sumit *I*esuita quæ sunt imparia & dissimilia.

*S*ecundò, patre *R*ege *C*osto *C*atharinam propugnatam pleriq̃ testantur. Quis autem inter omnes historicos *R*egis *C*osti meminit? aut ubi nam ille regnavit obsecro? *N*on *A*lexandria. Fateatur hoc *G*retscherus quoq̃, sic inquit: *C*ostus sine vlla dubitatione nec *C*ypri, nec *A*lexandriae regnū administrauit, cum eā etate tam *C*ypri, quā *A*gyptum totam Imperator *O*rientis, qui tum *M*aximinus erat, summa cum potestate tenuerit. *H*æc *G*retscherus. *V*nde etiam *P*ius 5. in *B*reuiario *R*omano correcto, hanc circumstantiam de *R*ege *C*osto castigauit, & *M*artyrologium *R*om eius quoq̃ non meminit, quia insulsiitas eius commentum arguit; nec enim vllus fuit vnquam rex *C*ostus magis quàm rex *D*agnus, à quo *C*hristophorus captus & martyrio affectus dicitur. *M*entiuntur ergo *P*etrus in *C*atalogo & *I*acobus de *V*oragine in *L*egenda *C*atharinae, ubi referunt, eam *M*axentio dixisse, Ego sum *R*egis *C*osti filia, in purpura nata, &c. *I*stas tamen *I*esuita, si non regno, & genere & sanguine *R*ex fuit *C*ostus. *H*æc *G*retscherus confidenter quidem dicit, sed ex nullo prorsus auctore probat; & tamen ex hoc putidiss. mo fundamento infert, *C*atharinam regio stemmate cretam dici posse: *E*o prorsus modo, quo *D*. *V*irginem regali ex pro genie ortam canimus, cum auos, & proauos non vocabulo tantum, sed re & functione *R*eges habuerit, &c. *R*espondeo, *B*. *M*ariam ex regia progenie ortam esse, ex sacris literis haud difficulter probari posse: *C*atharinam autem regali stemmate cretam esse, *G*retschero probandum est, non verisimilibus rationibus quod longā narratione facere conatur, eoque principium petit; sed certis & indubitatis auctoritatibus & testimonijs.

*T*ertio, passa dicitur *C*atharina sub *M*axentio *I*mp. *A*tqui *M*axentius in *O*ccidente regnavit, *M*aximinus autem in *O*riente. *Q*uæ igitur potestas *M*axentio fuit in *A*lexandrinis? *R*espondent *B*aronius & *G*retscherus, vitio librarij, vel aliorum mendum in nomen irrepisse, & *M*aximinum pro *M*axentio substitui debere. *R*espondeo, si vnus vel alter auctor *M*axentij nomen posuissent, acquiesceremus istis: sed quia omnes *M*axentij nomen habent, assentiri non possumus. *A*c *B*aronius quidem primus in *M*artyrologio *R*om. *M*axentium expunxit, & in locum eius substituit *M*aximinum, pro more istorum hominum, & *I*esuitarum imprimis, qui expungunt, eradunt, fingunt, refingunt, addunt, demunt, mutant & immutant quiduis pro libidine, modo errores suos pigmentis & fuce aliquo ad decipiendum illinere queant. *A*ddit *G*retscherus, proclive fuisse nomen *M*axentij pro nomine *M*aximini supponere, quia nomina non admodum dissimilia sint. *I*mo nomina sunt dissimillima, ut nullo præiudicio fascinatvs *L*ector fateri cogitur. *A*ttexit his *I*esuita declamationem prolixam satis, in qua comparat inter se *M*axentij & *M*aximini tyrannidem ac sanctitiam, quæ tamen ad rem nihil prorsus facit; non enim quaeritur de tyrannide, sed de nomine, & rei gesta veritate, fuerunt enim alij quoq̃ tyranni, sed nec pro *M*axentio, nec pro *M*aximino in historia, ad fraudem inducendum, substituendi. *E*t tamen impudens *I*esuita aude dicens, hanc sententiam, non tantum esse probabilem, sed planè certam ac veram.

*Q*uartò, nec *E*usebius, qui illis temporibus, quibus passa dicitur *C*atharina, & quidem in *P*alæstina non procul ab *A*gypto vixit, eius vel verbo quidem aliquo mentionem facit. *I*d cura autè potissimum habuit, ut illustrium *M*artyrum res gestas literis consignaret. *E*t in hunc usum proculdubio, si verum est quod *D*urandus refert in *R*ationali, *C*onstantinus *M*. vnusquis in prouincijs, petente id *E*usebio *C*æsariensi *E*piscopo, nomina sanctorum *M*artyrum, & tempora



Tempora, modumque passionis eorum diligentissime conquirit, & literis accurate mandata Eusebio transmisit. Quomodo igitur fieri potuisset, ut illustrissimum Catharinae martyrium Eusebium lateret, aut cognitum memoriae non mandaret? praesertim cum multarum virginum & martyrum, & quidem Dorothae Alexandrinae, tam honorificam mentionem fecerit, quarum agones cum Catharina certamine comparati, non adeo magni & commemorabiles, sed potius ludus iocusque praeter illo videri possent. Non igitur dicimus, Eusebium omnium Martyrum, sed maximè illustrium & nobilium, qualis iuxta Pontificios Catharina fuit, Acta cognovisse, & literis mandasse.

Ad hoc dicit primò Gresscherus, Nullius ponderis esse argumentum. b auctoritate negativè ductum. Respondeo, non solus Eusebius, sed nullus prorsus veterum Classicorum & probatorum auctorum, qui circa illa tempora, vel paulò post vixerunt, de Catharina aliquid vel per quàm exiguum scribunt. Quis hoc factum crederet ab ipsis, si tam illustre martyrium passa fuisset, quum alia multò leuiora & ignobiliora literis consignarint? Nec etiam Aldelmus, qui circa annos 700. floruit, eius in libris de Virginibus meminit.

Deinde producit Gresscherus testes de veritate huius Legendae gravissimos, Bedam, Vsuardum, Adonem, Rabanum Maurum, Euthymium, Simeonem Metaphrastem, Paulum Eremitam, Menologium Graecorum & Rituales eorundem libros, Consensum Ecclesiae tam Graecae quàm Latinae, & Scriptores peregrinationum Hierosolymitanarum. Respondeo cum doctissimo Daniele Chamiero, Nos hos testes non recipere. Quid enim? An eos quis fide dignos auctores nominet, & testes authenticos, qui rem narrant multis ante se gestam seculis, sine omni teste & auctore? Nos quarimus, & postulamus ut probeur, fueritne unquam ea Catharina Regis Costi filia, quae Maxentium corripuerit Christianos torquentem Alexandria? disputari: ne cum quinquaginta viris omnium Ethnicorum doctissimis, ab Imperatore accersitis, eosque adegerit, ut dicerent, ô Imperator, nisi tu firmioribus argumentis religionem Ethnicam confirmes, nos Christiani sumus: quae Maxentij uxorem, triduo post iterum ad eadem, conuerterit: quae cum rotis dilanianda esset, ad eius preces eas rotas Angelus adeo vehementi concussisset impetu, ut Gentilium 4000. interficerentur, & tandem decollata vitam finierit, audita prius e caelis voce, veni, dilecti mei, &c. Hanc, inquam, Catharinam nos quarimus, utrum figmentum sit, an re vera exstiterit. Hoc ut probeur Gresscherus, debet ex aliquo classico auctore nobis ostendere, fuisse Maxentiū Alexandriae: fuisse aliquem Costum ibi regem. Debet docere, ex toto orbe Maxentiū per literas euocasse eruditissimos philosophos, ut eos opponeret vni mulierculae: debet denique idoneis et fide dignis testibus probare, Maxentij coniugem Christianam fuisse, à Maxentio marito gladio percussam, mammis prius auulsis: nam haec omnia pro veris non tantum in Petri Catalogo, Iacobi de Voragine Lombardica historia & alibi, sed etiam in Breuiario Romano narrantur. Gresscherus igitur proferat aliquid ex Maxentij seculo, quo haec, quae in Legendis pro certis referuntur, aut omnia, aut singula confirmantur. Proferat, si potest, aliquem, vel historicum, vel alium quemcunque, ex primo, aut secundo, aut etiam tertio post Maxentium seculo. En tanto tempore incognita prorsus fuit Catharina hominibus. Quod enim ad illos attinet quos paulò ante nominauit, eorum qui antiquissimus est, extra quartum seculum est ab ea re gesta, si est gesta, nonnulli etiam extra octauum, aut decimum, aut vndecimum. Catharina passa dicitur, ut ab initio indicauimus, anno Christi trecentesimo decimo. Beda, quem primum testem producit Iesuita, qui Catharinae mentionem facit, circa annum Domini septingentesimum tricesimum claruit. Vsuardus coetaneus Caroli M. fuit. Adone nominat quidem Catharinam. Rabanus Maurus circa annum octingentesimum quinquagesimum sextum floruit. Simeon Metaphrastes, quem Gresscherus antiquum auctorem facit, trivialis Constantinopoli ludimagister fuit, et vixit circa annos Domini mille trecentos quinquaginta, ducentis sexaginta non amplius ab hinc annis. Paulus eremita, Baronio quoque teste Tom. 10. circa annos noningentos quinquaginta sex vixit. Quod ad Menologia & Rituales libros Graecorum pertinet, ijs nihil mouemur, quia non admodum vetusti sunt, & demum post introductam in Orientem idololatriam conscripti.



An Eusebius  
mentionem fa-  
ciat Catharinæ

Pag 319.

*Sed reuertamur ad Eusebium, de quo diximus, quod nullam prorsus Catharinæ mentionem in sua historia faciat. Ad hoc dicit Gretscherus: Quid, si quis neget, Eusebium in Ecclesiastica historia S. Catharinæ præclarissimum certamen omisisset? Hoc negato, quo se vertet Illyricus cum suo Cosmidromio, et Cassander cum suo Florario? Respondeo, à Baronio Cardinale & historico non semper & ubiq; fide digno, itemq; à Gretschero mendaci Iesuita se verterent & prouocarent ad ipsum Eusebium, qui ne verbo quidem mentionem Catharinæ facit.*

*Instat, Sunt, inquit, qui non absq; verisimilitudinis specie arbitrentur, Christianam illam, cuius in fide & pudicitia constantiam Eusebius mirabiliter lib. 8. hist. Eccles. c. 27. celebrat, aliam non esse, quàm ipsam S. Catharinam. Respondeo, in rebus dubijs non verisimilibus, sed certis & indubitatjs rationibus agendum esse. Sed audiamus Eusebium. Sola, inquit, mulier quædam Christiana, inter alias à tyranno adulterij labe turpificatas ex Alexandrinis mulieribus nobilissima splendidissimaq; Maximini animum libidine furentem, & lasciuientem intemperantiâ, magnitudine quam altissimi animi deuicit: quæ quanquam alijs in rebus, vt opibus, generis splendore, & exquisitâ doctrinâ insignis fuit: tamen ista omnia præ pudicitia posthabuit. Istam quidem Maximinus, licet sæpè orâisset, vti ipsius cupiditati obsequeretur; eaq; denegâisset, scq; mori paratam ostenderet; tamen interficere non potuit (quippe libido potius quàm iracundia, mentis suæ tenebat imperium) sed illam fugâ multatam, omnibus facultatibus spoliavit. Innumerabiles etiam altæ Christianæ, quoniam stupri minas, quibus prouinciarum Præfecti eas terrere conabantur, ferre non poterant, omnia cruciamentorum, distorsionum, & mortiferi supplicij genera libenter subierunt: atq; hæ sanè permagnâ admiratione dignæ sunt.*

*De hoc ipso Baronius quoq; tom. 3. Annal. pag 307. Quod spectat, inquit, ad clarissimam natalibus, diuitijs opulentissimam, florentissimamq; pulchritudine, & scientijs disertissimam foeminâ illam Alexandrinam, quam deperijt Maximinus; hanc fuisse famâ illam in Ecclesia celeberrimam, nomine Catharinam ( seu potius Hecatherinam ) dictam, vt credamus, inducimur; cuius Eusebius ( quem contigit complures alios Ægypti martyres insignes omninò prætermisisset ) primi certaminis tantummodo nobilem victoriam attigit, cum opibus omnibus spoliari libentissimè passa est, ne illibate integritatis dispendium pateretur. Haud enim putandum, Maximini libidinis faces fuisse possessione diuitiarum illius extinctas, & qui pollebat rerum imperio, insequi desisset abreptam fugâ, ab anhelantibus faucibus prædam tam ardentè amatam, ac cupidissimè conquistam. Nec retardat fidem nostram, quod Ruffinus hanc ipsam nominat Dorotheam. Nam quod Hecaterinæ ab Hecate nomen deriuatum esse videtur, id illi fuisse inditum apparet, cum adhuc gentilis esset; factam autem Christianam ( vt de multis accidit, mutasse nomen, ac dictam esse Dorotheam, sed priore nomine magis notam. Verùm vnde Ruffinus eiusmodi nomen acceperit, nescimus: certè non ab Eusebio, apud quem nulla est de eo mentio. Et quid mirum, si Eusebius cætera ipsius certamina ignorauit: cum eius, quam illustrissimam prærogatiuis egregijs prædicet, tamen videatur nomen, quod non exprimit, sicut aliorum, ignorasse? Dignum planè est existimare, eam, quam disertissimâ sciret, per gentiles philosophos, quibus vrbs Alexandrina abundare solebat, Maximinum conatum esse à Christiana religione diuellere, ipsamq; eos omnes scientiâ, qua egregiè imbuta erat, tum etiam diuinitus inspiratâ sibi scientiâ superasse. Quod autem fugâ euasisse dicitur, credimus ipsam montes Arabiæ petisisset: consueuerant enim profugæ Christiani Alexandrini in persecutione mōtes Arabiæ adire, eamq; fido comitatu Christianorum conscendisse verticem Sinæ montis: sed &, quod Thessalonicensibus quoq; foeminis hac eadem persecutione euenisse, alibi dictum est, perquisitam de-  
nuò*



quò , Inueniãtque atque tormentis exagitatam , martyrio coronatam fuisset : eoque corpus , vt tradunt , diuinitus translatum , vbi latebras naãta fuisset in fuga.

Hac quidem omnia Baronius satis audacter & confidenter. Quia enim nusquam in omni antiquitate ne vestigium quidem aliquod Catharinae reperit, putauitq; grauitèr Papistas et errasse, & etiam nunc errare, si quæ nulla existisset, eam duplici festo colerent, & in Litanij nomina tum inuocarent, quòd morienti illi Deus promississet, fore, vt quicunq; agerent memoriam passionis eius, & nomen eius, in quacunq; afflictione inuocarent, exaudirentur: cuius è ceruice, cum caput ei præcidere tur pro sanguine lac emanasse perhibent, quod in reliquijs Romæ adhuc hodiè asseruatur: quam deniq; in Missa mediatricem Dei hominumq; faciunt, ac eius patrocinio se liberari confidunt, & Deum, qui per angelos in summitate montis Sinai corpus eius mirabiliter collocauit, orant, vt eius meritis & deprecatione ad montem, qui Christus est, peruenire valeant: vt inquam Baronius fulcrum aliquod superstitioni aliàs callapsuræ supponat, castam illam matronam, de qua Eusebius & Ruffinus scribunt, vult Catharinam fuisse, & non exilio multatam, sed ex fuga retractam (contra mentem & verba Eusebij) martyrio coronatam esse ait. Nihil autem vel vnicò verbo probat: sed tantum dicit, Dignum planè est existimare: credimus: videtur: &c. Cum igitur incerta pro certis narret, nihilq; probet, eadem facilitate reiicitur, quàm profertur. Deinde eius sententia non congruit cum Legendis Petri de Natalibus, Iacobi de Voragine & aliorum. Hi enim dicunt, Maxentium vndiquaque philosophos accersuisse, qui cum Catharina disputarent: Baronius autem putat, Alexandria tantum euocatos fuisse, quod philosophis vrbs illa abundaret. Iacobus de Voragine quoque ineptissimè imperitissimeq; arbitratur, Catharinam sic dictam esse à Cata quod significet Vniuersum, & Ruina: quasi vniuersalis ruina: totum enim diaboli ædificium in ea corruisse: vel dictam fuisse Catharinam quasi catenulã; ipsam enim per bona opera sibi catenam fecisse, per quam ad cælum ascenderit: Baronius autem dictam putat fuisse Catharinam quasi Hecaterina *αἰκατεπίνα*, ab Hecate: quam tamen etymologiam nec ipse Gretscherus simpliciter probat, quòd maior etymo fides conciliaretur, si pro *αἰκατεπίνα* scriberetur *ἑκατεπίνα*: Si verò ab Hecate deriuatur nomen, ne quidem *ἑκατεπίνα*, sed *ἑκατεπίνα* scribendum esset. Præterea nullus Legendarum auctor dicit, Hecaterinam seu Catharinam ante conuersionem vocatam fuisse hanc Costi fictitij filiam, post conuersionem autem Dorotheam: sed Baronius hoc ex suo cerebro fingit & fabula huic assuit. Item, Catharina virgo fuisse dicitur, altera verò ab Eusebio femina & mulier vocatur. Adhuc diuersæ causæ narrantur à Legendarum auctoribus martyrij Catharinae, & ab Eusebio femina Alexandrina, quam Ruffinus Dorotheam appellat. Illius enim causa fuit reprehensio tyranni ob immanem sauitiam erga Christianos: huius verò, turpissimarum libidinum recusatio. Apud Eusebium denique & Ruffinum nulla profus aut philosophi conuersi, aut Faustina Augusta, aut rosa, aut mortis, aut in montem Sinai euectionis, mentio existat.

Sed adscribam totius fabula huius eruditissimam refutationem doctissimi viri Ioannis Reinoldi Angli libro 1. cap. 5. de Romana Idololatria. Baronius, inquit, castam illam feminam, quam à Maximino in exilium actam memorat Eusebius, Catharinam vult fuisse. Hoc autem quo maiore probabilitatis specie persuadeat, quod Eusebius ait, illam à Maximino multatam esse fugã, (*φυγῆν ἑκ τῆς πόλεως*) vt Christophorus vertit: id est (vt Musculus voce idem significante reddidit) exilio: Baronius sic exponit, tanquam Eusebius dixisset, illam Maximino inuito & inscio, fugã lapsam: atq; hinc infert, haud putandum esse, Maximinum, qui pollebat rerum imperio, insequi desisse abreptam fugã, sed requisitam inuentamq; martyrio coronasse. Quàm in Eusebij deprauatione peccasset excusabilius, si ipsius verba ex versione Ruffini, qui locum hunc de fuga peruertit, recitasset. Sed cum recitaret

Baronius in sua sententia dissentit ab alijs omnibus.

Ioannis Reinoldi Angli refutatio fabulæ de Catharina.



DE ORIGINE FESTORVM

ex Christophorsoni versione, quam fideliozem esse ostenderat tomo 2. anno 238. vt & Canus de Locis Theol. lib. 11. c. 5. Musculiac in ipsis verbis quæ recitat, habeatur. Maximinum illam fugâ multâsse; & quidem reddidit ratione, cur illam non interfecerit, quoniam libido plus apud eum valens quam iracundia non permisit; insigni vel perfidiâ lapsus sit oportet, vel inconsiderantiâ, qui, quam Eusebius à Maximino negat interfici potuisse, atq; in exilium Iccireo actam ait: eam suâ sponte, nō Maximini iussu, fugisse ait ex Eusebio, & à Maximino propterea perquisitam occisamq; esse. Nec contentus istâ Eusebij distortionem, etiam ad Ruffini plagam declinandam, Catharinæ nomen ridiculè commutat in Hecaterinæ. Nam quia nomen foeminae, omissum ab Eusebio, Dorotheam fuisse tradit Ruffinus; quod ab Alexandrinis fortasse didicerat, quum in Ægypto moraretur: Baronius Hecaterinam olim potius dictam, quam Catharinam esse asserit: & Quod Hecaterinæ nomen, inquit, ab Hecate deriuatum videtur, id illi fuisse indicum apparet, quum adhuc Gentilis esset, factam autem Christianam ( vt de multis accidit ) mutâsse nomen, & dictam esse Dorotheam, sed priore nomine magis notam. Æcatherinam quidem in antiquis codicibus & Græco Menologio dictam Baronius ante obseruauerat in Notat. ad Martyrol. Rom. Quod inde factum suspicor, quia Græcus quispiam, quum reperisset scriptum, α. Καθαρίνη, id est, ἁγία Καθαρίνη, putauit esse α. Χαθαρίνη: non dissimulans error ac nostrorum Criticorum quidam ex Auli Gellij nomine fecerunt Agelliam. Et quæ iam diu fuit Græcorum inscitia, pronuntiationisq; prisca deprauatio, hinc facile nasci potuit non solum Æcatherina, sed etiam Ecaterina. Verum Hecatherinam olim potius dictam, nouum est Baronij, nullâ vel leuissimâ cuiusquam libri aut librarij umbrâ nixum somnium. Nec verò, si qua dicta fuisset Hecaterina, nomen accepisset ab Hecate deriuatum, quod licet pō. coarguit: sed à voce Hecateros, vt potuerit soror aut filia eius esse, de quo Plutarchus refert in Apophteg. Philippum Macedonem, quum è duobus fratribus, quorum alter ἑκατέρωθεν appellatus est Αμφότερον, id est, Alteruter, hunc videret fatuum, illum prudentem, dixit ἑκατέρωθεν, id est, ἀμφότερον, id est, vterq; Αμφότερον autem ἑκατέρωθεν, id est, neuter. Postremo, vt fingamus Hecaterinam ab Hecate nuncupatam, cur ei Christianis facta nomen aliud indandum magis fuit, quam Apollo Act. 18. quem Apollinem vocat Bellarminus de Baptismo c. 7. quam Dionysio, Act. 17. quam Mercurio, Rom. 16. quam Artemæ, Tit. 3. Zenæ, Tit. 3. Tycheo Act. 20. quam Satyro Ambrosij fratri; Martino, Baccho, Aphrodisio? Aut quid hoc verisimilius in illa factum esse Alexandria, quam ibidem in Apollonia, Mercuria, Dionysia &c. Atque si priori Hecaterinæ nomine magis erat nota; vnde inaudiuit Ruffinus de Dorothea? (de Hecatherina verò nec Ruffinus, nec alius quisquam veterum. Omnino, vt Cicero Sex. Roscij accusatorem affatus est; Quum hoc modo accusas, Eruci, nonne hoc palam dicis? ego, quid acceperim, scio; quid dicam, nescio: ita mihi videtur Baronius, quum hoc modo defendit fabulam Catharinæ hoc palam profiteri, se scire, qualem causam suscipiendam suscepit; neque quem colorem obducatur. Præsertim quum adijciat, minimè mirum esse, si Eusebius cetera eius certamina ignorârit, cuius videatur nomen ignorâsse. Namq; ita mirum esset si Eusebius, eodem tempore viuens, in Palæstina Ægypto proxima, tam diligens mirabilium, quæ martyribus Deus fecisset, indagator, nomen, rotam, mortem, angelicam, qualis nulli cuiquam vnquam contigit, curam & custodiam tam illustris martyris Alexandria ignoscisset: vt non solum delectus à Tridentina Synodo Sess. 25. Breuiarij reformatoribus: sed etiam Pio v. confecti operis approbatori, minus absurdum visum sit historiam totam, quamuis impudentissimo mendacio, at necessario, quia eam certi auctoris esse oportuit, ad pristinae consuetudinis speciem retinendam, Eusebio attribuere.

Nempe homines docti animaduertent, alioqui neminem reperiri in testimonio, quo probaretur Catharina vlla vnquam fuisse; nedum corpus eius ab angelis in montem Sinai transuectum. Etenim ducentis, posteaquam res gesta esse fertur, annis, leguntur apud Procopium de ædific. Iustiniani libro 5. monachi seâ & templum

plum



plum à Iustiniano exstructum ibi habuisse: sed de Catharina quicquam accepisse, nec Iustinianus, nec monachi leguntur. Ac licet Monachorum illic commorantium domicilium hodiè vocetur *Monasterium S. Catharinae*, eorumque plurimum inter sit, ut *Legenda Cathariniana* vera censeatur: tamen quod ipsorum traditione proditur à Bernhardo Breidenb. in peregrinat. sua & descriptione montis Sinai, *Catharinae corpus, Alexandria in verticem montis Sinai ab angelis translatum, ibi per recentios annos sub angelicis excubijs iacuisse, donec scilicet reuelatum fuit cuidam Abbati, ut corpus sacrum inde collens ad monasterium ubi iam esse transferret, satis clarè arguit, Catharinam diu post Iustinianum in monte Sinai non conspectam, nec quicquam nisi somnium & inanem, ut Synodus Carthaginensis v. can. 14. appellat, reuelationem, pro primo ac præcipuo rei teste haberi. Itaque Baronius hoc, quod de mirabili Catharinæ mortuæ per angelos ex Ægypto in Arabiam transfuactione imprimis celebratur, nullo authore confirmat quam incerto, ut tradunt. Neque singularem viuxæ victoriã, de quinquaginta philosophis reportatam, aliunde probat ex ingenio suo, dicens; Dignum planè est existimare, &c. Augustam verò ad fidem Christianam conuersam, Maxentiæ conjugem, quam Faustina vocat Breuiarium Romæ reformatum, quatuorque rotas Legendariorum, quas pictores & P. p. in vnam redegerunt, silentio tranlit, cum hac nota, subtextu mentioni philosophorum & angelicæ transfuactionis in montem Sinai: *Quæ quum doleamus ab Eusebio prætermissa, magis angimur, ab incerto authore, quo fusiis, eò minus fideliter quam par erat, Acta eiusdem nobilissima martyris fuisse conscripta; præstat namque, in rebus gestis martyrum aliorumque Sanctorum, multa desiderari, quam omni ex parte nutantia plurima cumulari. Et tamen Hieronymus Orosius non solum talia omni ex parte nutantia, de rotis quatuor, & Augustæ, rebusque absurdioribus in sua Catharinæ laude intexit, sed etiam euidenter & indubitate falsa, putat, Maxentium continuisse orbem terrarum dominatū oppressum, non modo Occidentem: & quum Alexandria esset (quod quando fuit?) edictum proposuisse, ut omnes Alexandriam, religionis procuranda gratiã conuenirent; & Catharina patrem in Ægypto principatum (is nimirum erat rex Costus) tenuisse. Quæ ipsa Romæ item excusa sunt in typographia Georgij Ferrarij; & quid aliquanto post tempore, anno videlicet 1592. quam Baronius anno 1586. istas phaleratis verbis & concinnis exornatis, fabulas ex parte redarguerat: idem ab eisdem, videlicet Patre Antonio Vicegerente, & Fratre Bartholomæo S. Palati Magistro, approbata: à quibus Possenini selecta Bibliotheca. Vnde adhuc rursus luculentius patet commenticiam esse illam Catharinam, quam Pontificij colunt Alexandrinam virginem, nobilitate regiã, Maxentiæ furore, conuersione quinquaginta philosophorum, & Augustæ, rotæ seu rotarum quatuor miraculo, martyrij coronã, angelicã denique in Arabiam transfuactione celebrem.**

*Has ob causas multi etiam Pontificiorum hanc de Catharina narrationem, ut fabulosam & ficticiam reiecerunt. Ex quorum numero est Gobelinus Decanus in Bilefeld, Florarius, Georgius Cassander & alij.*

*Quæ cum ita sint, rectius fecisset Baronius, si hanc narrationem seu picturam de Catharina ad symbola quoque retulisset, quod de Christophoro & Georgio fecit: Ut Catharina sanctam Ecclesiam repræsenteret, in terris, velut Ægypto, degentem: Regni filiam, à sapientibus & potentibus oppugnatam; victricem tamen; ex afflictionibus multis liberatam, ab angelis denique euectam in cælum, quum morte consummatur. Sed impediuit eum, ne hoc faceret, Breuiarium Rom. à Pio V. reformatum: ubi, castigatã vnã circumstantiã, cuius insulitas commentum arguebat, de stirpe Regis Costi, reliquum fabula expoliticum pro vera historia oberuditur.*

CONRADVS Comes de Alcorf ex illustri Guelforum genere natus, Noringero Episcopo Constantiensi, cuius domesticã consuetudine & institutione fideli, à teneris annis familiariter vsus fuerat, successit. Omne patrimonium, quod habuit amplissimum, in ædificiorum plen-

XXVI.

C6



DE ORIGINE FESTORVM

dorem expendit. *Varia enim templa, pauperū etiam & ad loca sancta peregrinantū domicilia, de suo extruxit. Ex terra Sancta, certā vice reuersus, sepulchrum Domini in Constantiensi ade, quod Hierosolymitani illius formam ad amūssim exprimeret, adornari fecit, Bruschio & Schedelio testibus. Siccis eum pedibus in lacu Aconio ambulasse Nauclerus & Schedelius nungantur. Episcopatum rexit 42. annis. Mortuus est anno Christi 976. vel iuxta Lombardicam historiam 966. 6. Cal. Decemb.*

**XXVII.** **MAXIMVS** in vico proprio, cui *Decomero* nomen, est natus & in lucem editus à Christianis parentibus. *Lirinense monasterium ingressus ita se gessit ibi, vt S. Honorato abbati mortuo succederet, indeq; ad Rhegiensem Episcopatum vocaretur, in qua functione mortuus est 5. Cal. Dec.*

**XXVIII.**

DE ADVENTV.

Festi huius origo.

**M**aximus Taurinensis Episcopus homiliam habet, in Aduentu Domini: vnde apparet, circa annum Domini 450. quo tempore Maximus ille claruit, in vsu hoc festum fuisse. Quando autem cœperit celebrari incertum est, ipso quoque Eckio teste, qui homiliā secundā de Aduentu, de hoc nihil certi constare fatetur: credendum igitur esse, inquit, hoc festum ex ipsa Apostolorum institutione promanasse. Egregia sanè argumentatio. Quasi verò credere opus habeamus, omnia ea, de quibus ratio nulla reddi potest, quod originem eorum atinet, ab Apostolis instituta esse. Habet hoc fortasse ex Durando, qui lib. 6. cap. 2. refert, sed sine omni authore, Diuum Petrum instituisse tres septimanas integras ante Natale Christi venerari, in commemorationem Aduentus eius.

Festi huius nomen vade?

Habet autem nomen ab Aduentu Domini in carnem. Etsi enim hoc die Christus homo factus non sit, institutum tamen est hoc festum, vt toto hoc tempore, quod est ab hoc die ad Natalem Domini vsque, præparentur Christianorum animi ad sobriam vitam, piāq; meditationem Natiuitatis Christi. Vnde etiam mos ortus est & consuetudo in Papatu, vt tribus diebus Iouis, proximè Natalem Christi præcedentibus, pueri & puella noctu discurrant & ostia pulsant, sic natiuitatem Domini hominibus in memoriam reuocare volentes. De hac nescio quā Christiana consuetudine Naogeorgus lib. 4. Regni Papistici sic canit:

Das bochsten vor Wienacht vade?

Hebdomadas tris ante diem quā natus Iesus  
Creditur, atq; die Iouis, & pueri atq; puellæ  
Discurrunt, pulsantq; palàm ostia cuncta domatim;  
Aduentum Domini clamantes, forsitan haud dum  
Nati, ac oprantes felicem habitantibus annum.  
Inde nuces capiunt, pira, nummos, poma, placentas:  
Quisq; lubens tribuit. Tres illæ nancq; putantur  
Noctes infastæ. Satanæ nocumenta timentur,  
Sagarumq; artes, odiumq; immane, Papistis.

Superstitio hac est planè Ethnica. Apud Romanos enim Lemuria celebrata fuisse, suo loco diximus, tribus quoq; noctibus, ad placandos manes, eosq; ex ædibus abigendos. Vide nostrum librum de origine Festorum Ethnicorum fol. 104. postremæ editionis, vbi inter cætera quoq; ex Ouidio indicauimus, non licuisse toto Lemuriorum tempore nuptias celebrare, quod infastæ haberentur: idq; etiam in religionem Christianam translatum esse, ex Ilerdensi synodo constat, in qua decretum fuit, ne ab Aduentu Domini vsq; ad Epiphaniam nuptia celebrentur. 33. q. 4. Non oportet. Legitur etiam in Decreto Iuonis lib. 6.

Das losen vor Wienacht.

Observatur porro hoc tempore alia quoq; profana & impia consuetudo à Christianis, de qua Naogeorgus eodem loco sic etiam canit:

Illis diuinant etiam inquiruntq; diebus  
Aptæ connubio iam lasciuæq; puellæ

Nomine



Nomine de sponsi, quicumq; est ille futurus.  
 Quattuor accipiunt capas, vel quinq; vel octo,  
 Atq; induunt certum nomen, præ alijsq; cupitum  
 Cuiq; dein propter fornacem ex ordine ponunt.  
 Et quæ prima suum protrudit capula germen,  
 Illius haud dubiè nomen quoq; sponsus habebit.  
 Inquirunt etiam sponsi moresq; animumq;  
 Sol postquam occiduis cœlum terrasq; reliquit.  
 Namq; struem lignorum adeunt tum, perq; tenebras  
 Fortuito inde sudem casu quæq; extrahit vnam:  
 Quæ fuerit si recta, & nullis horrida nodis,  
 Commodus ac comis speratur ritè maritus:  
 Sin verò praua, & nodis incommoda duris,  
 Improbulum ac prauum sperant obtingere sponsum.  
 Ista ferunt & alunt scelerati impunè Papistæ,  
 Quòd fidei ignorent veræ fructumq; scopumq;  
 Et quiduis malint indoctam ludere plebem,  
 Quàm verum nosse, atq; Deo sua credere tantùm.

*De numero verò & ordine Dominicarum Aduentus, orta est post annum Christi millesimum inter nonnullos contentio & disceptatio. Quidam enim, si Natalis Domini in secundam incidere feriam, quinq; numerabant, alij verò quattuor: & hi iustantur se autoritate Gregorij Magni, qui in libro Sacramentorum seu Missali, quattuor tantùm Dominicarum Aduentus mentionem facit: illi verò nitebantur Lexiconario Hieronymi presbyteri, vbi quinque recensentur Dominice Aduentus, & ea quæ Gregorio est quarta, nuncupatur prima. Berno autem in epistola ad Aribonem Archiepiscopum Gregorij sententiam retinendam testimonijs & rationibus probat. Verùm neq; secundum Gregorium quattuor semper sunt ab Aduentu vsque Natalem Christi hebdomada, nisi septimo quoq; anno: sed fit, vt interdum vna tantùm dies computetur pro tota hebdomada, quando nimirum Natalis Domini in feriam secundam incidit: quandoq; duo, tres, si Natalis in tertiam, quartam incidit, & sic deinceps. De quo eleganter Mantuanus lib. 12. Fast. sic canit:*

Numerus Dominicarum Aduentus.

Tempus id Aduentum dicunt modò quattuor vsq;  
 Tendit in hebdomadas, modò tris: sed semper oportet  
 His tribus hebdomadis partem superaddere quartæ,  
 Ad sex vsq; dies, quod sexto implebitur anno.  
 Septimus hebdomadam cum iam compleuerit annus  
 Ad tres hebdomades lucemq; reuertitur vnam.  
 Hæc via perpetuum varians decurrit in orbem.  
 Meta dies Natalis erit: mutabile verò  
 Principium quandoq; opus est intrare Nouembrem,  
 Atq; dies auferre aliquot: quandoq; December  
 Sufficit. Hæc autem fluit inconstantia ab ipso  
 Natali, quem fert modò Sol, modò Cynthia & astra  
 Cætera, quæ septem nomen fecere diebus.  
 Cùm solenne Dei Titan Natale reportat  
 Maximus Aduentus: cum Luna, breuissimus exit  
 Mars & Atlandiades, & Iupiter, & Venus addunt  
 Vnam quisq; diem: dat lux Saturnia sextam:  
 Cuius apud Solymam manet obseruantia gentem.

*Agitur autem in Dominica prima Aduentus de ingressu Messie in urbem Hierosolymam. Secundâ, de aduentu eiusdem ad iudicium extremum. Tertiâ, de aduentu eius ad mini-*



DE ORIGINE FESTORVM

sterium, cuius praecursor fuit Ioannes. Quartâ Dominicâ agitur de preparatione ad Christi aduentum, iuxta doctrinam Propheta: Parate viam Domini.

XXIX.

SATVRNINVS presbyter cum alijs 366. passi sunt 17. Calend. Nouembr. iuxta Petrum de Natalibus libro 11. capite ultimo. In vulgatis verò Calendarijs ponitur ad 3. Calend. Decemb.

XXX.

ANDREAS natus est in Bethsaida vico Galilæa, patre Ionâ: frater fuit Simonis Petri, professione piscator, à qua ad Apostolatam vocatus est, Matth. 4. Accepto Spiritu sancto in Scythia, iuxta Eusebium lib. 3. cap. 1. vel secundum Nicephorum, in Cappadocia, Galatia, Bithynia & Scythia Euangelium docuit & propagauit. Sub Imperatore Vespasiano anno Christi 80. in crucem actus est ab Aegeo Edessenorum praefecto, in Achaia vrbe Patris. Anno 206 Constantij, Christi verò 359. translatae sunt eius reliquiae Constantinopolim, & collocatae in magno SS. Apostolorum templo: ex quo tempore credibile est memoriam eius solenniter celebratam. Theod. Lector lib. 2. Collectan. & Platina. Huic Apostolo Gregorius Magnus adeo fuit addictus, vt primum eius fecerit Officium. Belet in Ration. cap. 164.

De ritu qui in Papatu obseruatur in D. Andrae festo sic Naogeorgus libro 4. Regis Pasticis canit:

Andrae amatores vulgò turbæq; procorum  
Dona ferunt, creduntq; illius numine dextro,  
Praestigijsq; alijs tacita sub nocte peractis  
Spem rectam fore, seq; frui re posse cupitâ.

DECEMBER.

FESTA ET MEMORIE SANCTORVM quæ  
mense DECEMBRI à Christianis  
celebrantur.

I.

**F**LIGIUS Lemouicensis aurifaber, tandem fit Episcopus Viromanduensis seu Nouiomensis, & mortuus est anno aetatis 80. Calend. Decemb. Petrus de Natal. lib. 1. cap. 27.

II.

CANDIDVS Ecclesiasticus scriptor claruit tempore Seueri Imp. Meminit eius Eusebius lib. 5. cap. 27.

III.

CASSIANVS ex Ethnico Christianus factus Martyrium propterea passus est in ciuitate Tingitana metropoli Mauritaniae, 3. Non. Decemb. Petrus de Nat. lib. 1. cap. 21. ex Martyrologio Adonis.

IV.

BARBARA patrem habuit nobilem quidem virum, sed Ethnicis superstitionibus maxime deditum, à quibus Barbara, Christiana facta, vehementer abhorruit. Ob formae elegantiam turri eam inclusit pater ne à quoquam videri posset. Cum verò nullo modo à proposito dimoueretur puella, crudelissime eam tractat pater: tandem eam Praefidi prouinciae Martiano tradidit. Is eam quæ frustra blanditijs emollire se cernebat, nudatam neruis bubulis grauissime cedit: dehinc ferreis vngulis dilaceratae faces accensas admouet: tum & caput malleolis percutit, ac postremo vbera proscindit, & gladio eam feriri iubet. Martyrij & cadis minister fuit parens eius, qui & mox fulmine de caelo percussus fuit. Passa est Nicomedia sub Imper. Maximiano, pro quo alij ponunt Maximinum, prid. Non. Decemb. Pet. de Nat. lib. 1. cap. 25. & Surius ex Petro Galensinio. Sunt tamen qui eam in Tuscia, & rursus qui Heliopoli passam dicant.

EDMUNDVS Anglus, quem alij Osimundum vocant, hoc ipso quoque die colitur. Procurata fuit eius canonizatio vsq; ad tempora Gregorij IX. sed morte Gregorij impedita fuit. Idem



Idem tentatum fuit sub diuersis Romanis Pontificibus. Demum per Calixtum III. fuit opus consummatum, & ascriptus solenniter Catalogo Deorum Pontificiorum anno Domini 1457. & ordinatum de eo fieri officium, sicut de Confessore Pontifice, pridie Non. Dec. quo die migravit ad suos Patres. Antoninus tit. 24. cap. 12. Sabellicus Enne. 10. lib. 6.

SABINA passa est Abella vrbe Hispania sub Datiano Praside. In equuleo adeo fuit ex-  
 tensa primo, ut omnes compages membrorum eius soluerentur. Deinde caput eius lapidibus sup-  
 positum vsque ad excussorem cerebri validissimis uestibus fuit contusum, atque ita martyri-  
 um suum compleuit 6. Calend. Nouembr. ut Petrus de Natalibus ex Adone refert libro 9.  
 cap. 114. In vulgari autem Calendarij memoria eius festum ponitur ad Non. Dec.

V.

## DE SANCTO NICOLAO.

VI.

NICOLAUS natus est Patara vrbe Lycia, & ex Laico factus ob pietatem Episcopus  
 Myrensis, moriuusq; est anno Christi 343. 8. Idus Decemb.

Mos est plurimis in locis, ut in vigilia Sancti Nicolai parentes pueris ac puellis clam mu-  
 nuscula varij generis dent, illis opinantibus, S. Nicolaum cum suis famulis hinc inde per oppi-  
 da ac vicos discurrere, per clausas fenestras ingredi, & dona ipsis distribuere. Originem duxit hic  
 mos ex fabella, quae S. Nicolao affingitur, quod dotem dederit tribus filiabus egeni cuiusdam  
 ciuis, ipsas ob egestatem prostituere volentis, hoc modo: Coniecit crumenam pecuniã refertam  
 clam, noctu, per fenestram in cubiculum patris earum, vnde honeste eas elocare potuit. Extat  
 historia prolixè descripta apud Antoninum parte 2. tit. 9. cap. 3. §. 5. Vincentium in speculo hi-  
 stor. lib. 14. cap. 68. Ioannem Iustinianum Cretensem in Sermone de hoc Sancto: sed uia, ut me-  
 ram fabulam esse quicuis facile intelligat. Antoninus enim haud obscure asserit, hæc accidisse  
 Patara ante Episcopatum: Iustinianus autem videtur innuere, hæc accidisse quum iam Epi-  
 scopus fuisset electus: quin etiam dubitat, verum ne sit an non, quod Antoninus & alij confiden-  
 ter affirmant, pauperem hunc hominem de prostituendis filiabus cogitasse, ut sibi victum inde  
 parare possit. Vnde de charitate S. Nicolai, inquit, constat, ita de inuito consilio, aut et-  
 tiam de cogitatione tanti sceleris, in medio à me relinquetur. Neq; enim ego mi-  
 hi id sumam, ut vel negare aulam, quod iam diu est receptum: vel prorsus affirma-  
 re, quod adeo est enorme, ut labore à fide. Solet etiam Sanctus Nicolaus à peri-  
 clitantibus in mari aut quavis alta aqua, inuocari. Huic idolomania fabula originem dedit,  
 quae extat apud Vincentium libro 14. capite 70. & Mantuanum libro 12. Faistorum vbi sic ca-  
 nit:

Ritus in hoc  
festo.

## Cum turbine nautæ

Deprensi Cilices magno clamore vocarent  
 Nicolei viventis opem, descendere quidam  
 Cœlituum visus sancti sub imagine Patris:  
 Qui freta depulso fecit placidissima vento.

Alia fabula, quae simplices in eundem errorem induxit, extat quoq; apud Vincentium libro eod-  
 dem cap. 76. de puero cum aureo vase in mare submerso, sed à Nicolao patri restituito.

Quidam Prior historiam S. Nicolai in sua Ecclesia legi noluit, quae res tamen ei malè ces-  
 sit, ut Durandus nugatur lib. 7. cap. 39. Rational. Cum in quadam, inquit, Ecclesia, quæ  
 dicitur Crux, subiecta monasterio Beatæ Mariæ de Charitate, nondum historia  
 Sancti Nicolai cantaretur, fratres Priorem eius loci, ut eam sibi cantare liceret, in-  
 stanter rogârunt: ille verò hoc præcisè negauit, incongruū fore dicens, pristinum  
 morem nouitatibus immutare. Illis verò instantibus indignatus respondit: Rece-  
 dite à me, quia noua cantica, imò ioculatoria quædam in mea ecclesia non canta-  
 buntur. Adueniente autem eiusdem Sancti festiuitate, quum fratres omnes cum  
 quædam animi tristitia se in lectum recepissent, ecce B. Nicolaus (non verus, sed  
 vnus ex fratribus aut monachis istis) Priori visibiliter terribilis apparuit: quem ele-



DE ORIGINE FESTORVM

cto extrahens per capillos, dormitorij pavimento allisit & incipiens Antiphonam, ô pastor æterne, per singulas vocum differentias virgis, quas in manu tenebat, gra- uissimos ictus super dorsum illius ingeminans, per ordinem morosè cantando An- tiphonam ipsam ad finem vsque perduxit. Omnibus ergo clamoribus illis excita- tis, semiuuius ad lectum deportatur, qui tandem ad se rediens, dixit: Ite, & histo- riam nouam S. Nicolai decantate.

VII.

AGATHON martyr Alexandria sub Decio Imp. passus est. Is quum esset miles, & pro- hiberet quosdam gentiles illudentes cadaueribus martyrum, clamor repente totius vulgi aduer- sus eum extollitur. Oblatusq; iudici, quum in confessione Christi persisteret, capite damnatus est. 7. Idus Decemb. vt Pet. de Nat. lib. 1. cap. 37. ex Adone refert.

VIII.

CONCEPTIONIS B. MARIE FESTVM.

Festus huius antiquitas.

Conceptionis B. Mariæ festum recens esse Bellarminus Iesuita quoque fateri cogitur, sa- mo 1. Disputationum colum. 2271. vbi dicit, D. Bernhardi tempore cœpisse, qui cla- ruit circa annum Domini 1120. Anselmus autem Cantuariensis Archiepiscopus ad paulò al- tiorem originem refert, in epistola ad coepiscopos suos cunctosq; orthodoxos, quæ extat apud La- cobum de Voragine in Legenda aurea, seu Lombardica historia, cap. 188. in qua de Origine & prima institutione huius festi sic scribit: Conceptio venerandæ Dei genitricis & perpetuæ virginis Mariæ, dilectissimi fratres, quemadmodum per multorum signorum experimenta in Anglia & Francia, cæterisque conclimatibus celebranda sit olim declarata, me narrante audiat dilectio vestra. Tempore namq; illo, quo diuinæ pla- cuit pietati, Anglorum gentem de malis suis corrigere, suæq; seruitutis officijs ar- ctius adstringere, gloriosissimo Normannorum Duci Guilhelmo eandem patriam debellando subegit. Et regi eorum Haraldo nomine, impio & tyranno, cleriq; per- secutori, & honoris ecclesiastici subuersori, reddidit in bello pro meritis talionem, Quo casu, Guilhelmus factus Dei virtute & industriâ suâ Anglorum Rex, totius ecclesiasticæ dignitatis honores in melius reformauit. Audientes autem Daci An- gliam subiectam esse Normannis, grauius indignati se suo quasi hæreditario iure priuari, arma præparant, classem aptant vt eos adeuntes à data sibi diuinitus pa- tria expellant. Hoc comperto, Guilhelmus Rex prudentissimus Helsingum quen- dam religiosum abbatem Ràmensensis cœnobij ad Daciam dirigit, vt inquirat ve- ritatem huius rei. Hoc regis negotiū strenuè ille persequitur. Quo fideliter per- acto, ad Angliam reuertí cupiens mare ingreditur, & iam maximam partem ma- ris prospero cursu transierat, quum subito densis surgentibus vndique ventis, hor- rida tempestas cælum commouit & vndas. Fatigatis igitur nautis, nec vltra va- lentibus obniti, fractis remis, funibus ruptis, cadentibus velis, spes salutis amitti- tur: Cumq; animarum curam creatori suo clamoribus commendarent, & bea- tissimam Dei genitricem Mariam deuotè inuocarent, subito quendam veneran- dæ habitudinis virum Pontificali infulâ decoratum, quasi inter vndas nauis pro- ximum viderunt. Qui aduocans ad se Helsingum abbatem, his verbis cœpit com- pellare eum. Vis, inquit, periculum euadere? vis ad patriam sanus ire? Cumq; il- le cum fletu in toto corde se desiderare id solum responderet: tunc ille, Scias, in- quit, me ad te Domina nostra Dei genitrice Maria, ad quam dulciter reclamasti di- rectum: & si dictis meis obtemperare volueris sanus cum comitibus imminens eu- ades periculum maris. Spondet ille illicò se ei in omnibus obtemperaturum, si hoc euaderet periculum. Promitte, inquit, mihi & Deo, quòd diem Conceptionis & creationis matris Christi celebrabis, & celebrandum prædicabis. At ille, ecquis, inquit, mihi dies hoc festo erit celebrandus? Sexto, ait, Idus Decemb. hoc festum tenebis. Et quo, inquit abbas, officio vtemur in ecclesiastico obsequio, Omne, inquit, officium quod dicitur in Natiuitate eius, dicetur in Conceptione, excepto



excepto quòd nomen Natiuitatis mutabitur in nomen Conceptionis. His dictis ille disparuit: & citius dictu sedatâ tempestate, abbas cum suis incolumis concesso flatu applicuit Anglicis littoribus: & quæ viderat & audierat quibus potuit notificauit. Sciatim autem illud festum in Ramienfi cœnobio solenniter celebrari. & ipse quoad vixit deuotis obsequijs solenniter celebrauit. *Facta sunt hæc, si vera dicuntur, anno Christi 1068. Nam, vt Polydorus Vergilius in fine libri octauæ Anglicæ historiae restatur, casus est Haraldus Angliæ rex à Gulielmo Normanno anno Domini 1067. pridie Idus Octobris, & ipse Angliæ regno positus est.*

*Sed insunt huic narrationi multa, quæ non immeritò fidem huius epistolæ eleuant, vt vix credatur ab Anselmo scripta. Primo, rei huius gestæ ne verbulo quidem meminisse Polydorus, diligentissimus Anglicarum rerum scriptor. Deinde, quæ de Halardo referuntur, quòd fuerit impius, tyrannus, cleri persecutor & honoris ecclesiastici subuersor, falsissima sunt, si Polydoro credere voluerimus: nam lib. 8. dicit, Haraldum, ad promerendam suorum beneuolentiam, usq; liberalitate, neq; clementiâ, nec comitate vtendi vllam occasionem omisisse: vectigalia aut aboleuisse, aut minuisse: militibus stipendia, ministris mercedem adauxisse. De Gulielmo autem Normanno, quem fictus ille Anselmus tantum non ad cælum extollit, scribit libro nono, quòd durè cœperit in Anglos dominari, arbitrans posse se facilius ita eos in officio continere, ideoque plurimis optimatibus ac priuatis ciuibus bona cum honoribus adempta Normannis distribuisse, noua quotidie vectigalia imposuisse, nobilitatem nullo numero habuisse, ita vt vniuersi perniciem per hoc machinari visus fuerit. His alijsq; de causis Baronius etiam in Notat. ad Martyrolg. Rom. pag. 772. sic scribit: Anselmus de Conceptione Virginis Commentarium scripsisse fertur: sed an eius sit à multis meritò ducitur in controuersiam, cum habeat multa quæ eidem authori repugnent, teste Ioan. de Turro Cren. de conceptione Virginis p. 6. c. 3. par. 12. c. 9. & 10.*

*Ignorauit etiam hoc scriptum Anselmi Petrus de Natalibus, qui lib. primo Catalogi Sanctorum capite decimo tertio, primam institutionem huius festi ipsi Anselmo adscribit. tum etiam, quæ fictus Anselmus Helsino in mari accidisse refert, ea omnia Anselmo euenisse scribit. Scriptura autem diuersa, & fidem sibi inuicem derogantes, nihil firmitatis habent: & duæ orationes pugnantes continentes, vera simul esse non possunt. l. scriptura, c. de fid. instrum. Huius, inquit, P. de Nat. celebrationis festi principiū fuit B. Anselmus Prior monasterij Beccensis, postmodum Cantuariensis Episcopus, propter tale miraculum, quod ei apparuit. Dum ipse monasterij Prior, pro quibusdam vrgentibus ad partes Britannia nauigasset, dispositisq; agendis repatriaret, contigit tempestate nimia exortâ, & intumescente procella nauem periclitari. Et dum cuncti in discrimine nimio positi, omniq; spe humanâ deserti diuinum adiutorium, & B. Virginis flagitarent, potissimè autem Prior Anselmus, qui beatæ Dei genetricis fuerat singularis deuotus, subito conspiciunt quendam mirabili claritate fulgentem, Pontificali habitu decoratū super vndas maris versus nauē ambulando venire. Qui proximus naui Anselmum vocat, eumq; alloquitur, vt si periculum maris euadere cupiat, & in patriam saluus redire, eidem promittat coram Deo, quòd festum Conceptionis Mariæ, annis singulis solenniter celebraret, & celebrandū quibuscunq; poterit suaderet. Et quum ille de die festi & officio fiendo interrogasset? Respondit, quòd 6. Id. Decemb. festum illud celebrari debeat, quo die beata virgo concepta sit, & quòd idem officium, quo ecclesia vtitur in eius Natiuitate, in hoc festo dicendum sit, mutato solo nomine Natiuitatis in nomen Conceptionis. Et quum Prior de nomine nunciij interrogasset, respondit, se esse Nicolaum Episcopum à beata Dei genetrice pro tali reuelatione & eorum liberatione transmissum. Mox Anselmus iussa promisit, & voto interposito confirmauit, statimq; sedata est tempestas, & flante vento prospero ad propria redierunt. Et sic ab eodem Anselmo prius in monasterio suo, & deinde in ecclesia Cantuariensi, cui præfuit, dictum festum celebrari cœpit. Prior autē fuit monasterij Beccen. ante annū Dom. 1080. quos abbas factus*



DE ORIGINE FESTORVM

est, & anno salutis 1094. Episcopus creatus fuit, ut Dodechinus refert. Ex hoc verò tempore pluribus quoq; in Ecclesijs alijs hæc consuetudo inoleuit, ut festum Conceptionis B. Mariæ virginis 6. Idus Decemb. & in Calendarijs ascriberetur, & solenni officio celebraretur, non quidem ex generali ecclesiæ institutione, sed ex speciali quorundam deuotione, ut Petrus de Natalibus dicto loco testatur. Vnde & in Oxoniensi synodo, anno Domini 1222. celebrata, sancitum fuit, Conceptionis festum nemini ut necessarium imponendum. Ex quibus omnibus intelligitur hoc festum primò in Anglia celebrari cœptum, & postea in Gallias introductum, non tamen sine controuersia: Accessit demum Ecclesiæ Rom. approbatio, nouissimeq; Concilium Tridentinum, & Pius 5. Papa id seruandum esse decreuerunt.

Festum hoc ini-  
tuo institutum  
non propter  
immaculatam  
Conceptionem  
Mariæ.

Observandum verò, festum hoc à principio institutum non fuisse ob conceptionem immaculatam B. Mariæ virginis, quod ex Petro de Natalibus clarè intelligitur, qui dicit, celebrari cœpisse ob sanctificationem eius in utero: quia verò tempus sanctificationis huius fuerit ignotum, sub nomine & vocabulo Conceptionis institutum festum de tali sanctificatione. Bellarminus quoq; fatetur tom. 1. Disput. col. 2270. fundamentum huius festi præcipuum non fuisse conceptionem immaculatam, sed simpliciter conceptionem matris Dei futuræ: qualiscunq; enim fuerit illa cœceptio, eo ipso quòd cœceptio sit matris Dei, singulare gaudium afferre mundo eius memoriam, tunc enim primùm habuimus pignus certum redemptionis, præsertim cum non sine miraculo ex matre sterili concepta fuerit: ideoq; etiam illos celebrasse, ait Bellarminus, hoc festum progressu temporis, qui putarint virginem in peccato conceptam.

1.  
Occasio dispu-  
tandi de con-  
ceptione B. Ma-  
riæ.  
Progressus hu-  
ius disputatio-  
nis.

Hæc verò res superstitiosis hominibus mox ansam & occasionem præbuit, disputandi de Conceptione beatae virginis, qualis illa fuerit, purane an impura? Magister sententiarum, Petrus Lombardus, qui claruit anno Christi 1160. arrepta occasione ex Augustini verbis, ut Kemnitius indicat parte 1. Examinis Tridentini Concilij, incepit sine verbo Dei disputare, fieri potuisse, cum Maria ex Spiritu sancto conciperet Christum, quòd & ipsa simul tota ab omni peccato, etiam ab ipso fomite munitata, & penitus liberata fuerit. Qui verò Lombardum sequuti sunt, non contenti fuerunt illâ opinione, sed longius progressi, cœperunt disputare, Mariam cum primùm in peccato originali concepta fuisset, postea in utero sanctificatam, sine peccato natam fuisse. Ec cum nullo Scripturæ testimonio hoc probari posset, apocrypha historia Natiuitatis Mariæ, quæ nunc in Proteuangelio Iacobi extat, primò tanquam opinio non omninò improbanda proposita, postea verò tanquam canonica veritas approbata fuit.

2.

Cumq; iam in duabus de Mariæ virgine quæstionibus, extra scripturæ limites excessum fuisset, in Scholis quidam longius progressi, disputare cœperunt, Mariam virginem etiam conceptam fuisse sine peccato originali: quam sententiam primus publicè defendit Scotus Minorita, qui celebris fuit circa annum Domini millesimū, trecentessimū decimū. Vnde intelligit Lector, quid tandem consequatur, quando primùm, specie aliquâ bonæ intentionis à Scripturæ testimonijs paululùm disceditur: illud nimirum, quod Dialecticorum regula docet, ut vno inconuenienti dato, multa alia sequantur. Fuerunt tamen plurimi, qui Scoto eiusque sectatoribus non in Scholis tantùm, sed etiam coràm populo contradicerent, resq; magnis contentionibus acta fuit vsque ad Basiliense Concilium anno Christi millesimo, quadragesimo, trigesimo nono celebratum, quod hanc quæstionem deciderit. Nam Sessione trigesima sexta manifestè docet, Mariam nunquam subiacuisse originali peccato, nulliq; de cætero licitum esse debere, in contrariam partem predicare vel docere: festum etiam in memoriam purissimæ eius Conceptionis posthac ab omnibus ecclesijs sanctè celebrandum decreuit, multis additis indulgentijs. Verba Concilij hæc sunt. Hactenus difficilis quæstio in diuersis partibus, & coram hac sancta synodo super Conceptione gloriosæ virginis Mariæ matris, & exordio sanctificationis eius facta est, quibusdam dicentibus, ipsam virginem & eius animam per aliquot tempus, aut instans temporis subiacuisse actualiter originali peccato: alijs autem è conuerso dicentibus, à principio creationis suæ, Deum ipsam diligendo, gratiam eidem contulisse, per quam à macula originali illam beatissimam personam

Doctrina de  
immaculata  
conceptione  
B. Mariæ con-  
firmatur.

personam



personam liberans & præserruans, sublimiori sanctificationis genere redemit, cum fundaret illam altissimus ipse, & ipsam fabricaret filius Dei patris, ut esset mater eius in terris. Nos verò diligenter inspectis auctoritatibus & rationibus, quæ iam à pluribus annis in publicis relationibus ex parte vtriusq; doctrinæ coram hac sancta Synodo allegatæ sunt, alijsq; etiam plurimis super hac re visis, & maturâ consideratione penitatis, doctrinam illam, differentem gloriosam virginem Dei generatricem Mariam, præueniente & operante diuini numinis gratiâ singulari, nunquam actualiter subiacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpa, sanctamq; & immaculatam, tanquam piam & consonam cultui Ecclesiastico, fidei catholicæ, rectæ rationi & sacra Scripturæ, ab omnibus catholicis approbandam fore, tenendam & amplectendam, definimus & declaramus, nulliq; de cætero licitum esse in contrarium prædicare & docere. Renouantes interea institutionem de celebranda sancta eius Conceptione, quæ tam per Romanam, quàm per alias Ecclesias 6. Idus Decemb antiquâ & laudabili consuetudine celebratur, statuimus & ordinamus, eandem celebritatem præfatâ die in omnibus Ecclesijs, monasterijs & conuentibus Christianæ religionis, sub nomine Conceptionis festiuis laudibus colendum esse, cunctisq; fidelibus verè pœnitentibus & confessis, eâ die Missarum solennijs centum, primis autem vel secundis vespers totidem, sermoni verò verbi diuini de ea festiuitate interessentibus 150. dies, concessione perpetuis temporibus duratura, de iniunctis sibi pœnitentijs hæc sancta Synodus elargitur.

Anno Domini 1466. Sixtus 4. decretum edidit, quod extat in Extrauagantibus lib. 5. de Reliquijs & vener. Sanct. in quo constituit festum de mira conceptione B. Mariæ, cum peculiari officio, quod composuit Leonardus Nagarolus Italus, in eoq; docet, sine peccato originali Mariam conceptam, ab omnibus fidelibus celebrandum esse, additis ijsdem indulgentijs, quas consequuntur homines in Corporis Christi solennitate. Rursus verò anno 1483. in alio decreto vtrinq; sententiam liberam relinquit, & excommunicat tam eos, qui docent, omnes illos, qui asserant, Dei genericem absq; originalis peccati macula fuisse conceptam hæreticos esse: quàm illos qui audeant dicere, contrariam opinionem tenentes, mortaliter peccare: idq; propterea, quod à sancta Romana ecclesia hæc nondum sit decisa. Hanc constitutionem Sixti obseruandam esse, Synodus quoq; Tridentina decreuit Sessione quinta.

Sed dum excommunicant eos, qui docent, Mariam in peccato originali conceptam, certè damnant, PRIMO, verbum Dei, quod ab originalis peccati macula solum excipit Seruato-rem nostrum Iesum Christum Deum & hominem. Paulus enim dicit 2. Cor. 5. Eum qui peccatum non nouerat, &c. Hebr. 7. Talis decebat ut nobis esset Pontifex, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus. Respondet Bellarminus tom. 3. col. 333. Scripturam hoc quidè dicere, non tamen addere, id soli Christo conuenire. Respondeo, cum Scriptura testatur, Christum à Spiritu sancto conceptum, & hoc quidem de nullo alio dicat, satis testatur id soli Christo conuenire, & non alteri. Ita cum de solo Christo dicit, quod sit impollutus & SEGREGATVS à peccatoribus, non obscure significat, id soli illi, non alteri competere. Et Bernhardus in Serm. de Sanct. Baptista aperte testatur, SOLVM Christum, qui peccatum non fecit, hinc excipi. De reliquis generaliter dicit Paulus sine omni exceptione Rom. 5. In omnes homines mors transijt, in quo omnes peccauerunt. Item, per vnus delictum propagatum est malum in omnes ad condemnationem. Cap. 3. dicit, Omnes peccato sunt obnoxij, sicut scriptum est, Non est iustus, ne vnus quidem. Non est qui intelligat. Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt. Non est qui exerceat bonum, non est vsq; ad vnum, &c. Ad hæc & similia loca Scriptura respondet Bellarminus, Verè hæc etiam de Maria dici potuisse, nisi à Deo gratiâ suâ præuenta fuisset. Et hoc subinde repetit, non autem probat; & quia negatur à nostris principium petit.

SECUNDO, damnant etiam omnes sanctos Patres, qui iam inde ab Apostolorum ætate, idem quod verbum Dei, docuerunt, vsq; ad Scholasticorum tempora: nempe, Omnes homines,

Omnes homines in peccato concipi, Christo solo excepto.



DE ORIGINE FESTORVM

præter solum Christum, in peccatis concipi, & peccatores esse. Author Sermonis de Circumcisione Christi, qui apud Cyprianum extat, peccatum originale dicit, de primis parentibus in totam humani generis successionem defluxisse. Origenes homilia 10. in Num. & homilia 12. in Iosue, Sancti, inquit, non sunt sine peccato. Cyprianus Serm. de Tentatione Christi: Fuere, ait, & ante Christum viri insignes, & Prophetæ & Sacerdotes, sed in peccato concepti & nati, nec originali nec personali caruerunt delicto: & inuenta est in omnibus vel ignorantia, vel insufficientia, &c. Rursus Origenes homil. 8. in Leuit. legem ait de immunditia puerperarum ostendere, quod quæcunq; anima in carne nascitur, iniquitatis & peccati sorde polluitur: & neminem mundum esse à sorde, nec si vnus diei sit vita eius. Idem docet homilia 3. in Num. Lactantius lib. 6. contra Gentes cap. 13. Nemo, ait, sine delicto esse potest, quandiu indumento carnis ornatus est. Basilius in Serm. de Pœnitentia, Nemo hominum sine peccato est. Gregorius Nazianzenus in epistola consolatoria de patre tacente: Cognoscimus, quod penitens nil peccare, supra hominis sit vires, ac Dei solius. In Oratione infamatrice 2. in Iulianum: penitens à peccato liberum esse, Deus supra humanam naturam ordinauit. Ambrosius lib. 1. cap. 2. Quis est qui mundum cor à peccatorum habeat colluione: aut non delinquat in lingua sua? In Apologia David cap. 6. Non inuenitur quisquam illibatus à culpa. In Comment. in Lucam lib. 2. Solus per omnia ex natis de foemina Sanctus dominus Iesus, qui terrenæ contagia corruptelæ, immaculati partus nouitate, non sensit. Augustinus de fide ad Petrum cap. 23. Firmissime tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci, impietati subditum, mortisq; subiectum, & ob hoc naturâ filium iræ nasci. De nuptijs & concupiscentia: Ideò Christus non de concubitu nasci voluit, vt hinc etiam doceret, omnem qui de concubitu nascitur, carnem esse peccati, quandoquidem sola, quæ non inde nata est, non fuit caro peccati. De perfectione iustitiæ: Quisquis esse vel fuisse in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat excepto vno mediatore Dei & hominum, quibus necessaria non fuisset remissio peccatorum, contrarius est Scripturæ, vbi Apostolus ait: Per vnum hominem peccatum intrauit, &c. Et contra Iulianum lib. 5. cap. 9. dicit, qui aliter sentiat hæreticum esse: cum enim dixisset, Si absq; dubio caro Christi non est caro peccati, sed similis carni peccati, quid restat vt intelligamus, nisi ea excepta, omnem reliquam humanam carnem esse peccati: mox subiicit, Quisquis hoc negat detestandus hæreticus inuenitur. De ecclesiasticis dogmatibus cap. 86. ait: Nullus sanctus & iustus caret peccato. De Genesi ad Literam capite 18. Corpus Christi quamuis ex carne foeminae assumptum est, quæ de illa carnis peccati propagine concepta fuerat: tamen quia non sic in ea conceptum est, quomodo fuerat illa concepta, nec ipsa erat caro peccati, &c. Theodoret. inquit quæst. 9. in Num. Cum hominum natura mutationi sit obnoxia, ab omnibus immunem esse peccatis est impossibile. Beda libro 3. in Marcum cap. 9. ait: Confiteatur Catholicus, quia nemo immunis à noxa primæ præuaricationis nascitur. Albinus lib. 5. in Ioannem, cap. 9. Omnes homines, præter illum solum, qui ex virgine natus est, originali peccato cæci, id est, cum peccato nati sunt. Rabanus lib. 9. in Ecclesiasticum, cap. 2. Omnis homo ex viri semine & mulieris natus, cum peccato nascitur. Remigius in Psalm. 98. Nullus est ita sanctus, vt omninò careat peccato.

TERTIO, damnant etiam Doctores qui post hæc tempora claruerunt, & magnam Scholasticorum partem, qui neminem quantumuis sanctissimum ab originali peccato exceperunt. Bernhardus in Serm. de excellent. & sanctitate B. Ioan. Baptista: Quicunq; de massa præuaricante mundum ingredimur, longam restem originalis peccati nobiscum trahimus: SOLVS ille qui peccatum non fecit, excipitur, &c. Serm. 78. super cantica: Sine quo generalis velamine confusionis nemo filiorum hominum intrauit hanc vitam,

tam,



ram, VNO sanè excepto, qui ingreditur sine maculâ. *Thomas in librum Job, capite 6.* Certum est, quod ex conditione fragilitatis humanæ nullus homo est immunis à peccato, quantumcunq; iustus appareat. *Et prima secunda, quæstione 81. articulo tertio.* Secundum fidem catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines præter SOLVM Christum ex Adamo deriuati, peccatum originale ex Adamo contrahant: alioquin non omnes redemptione indigerent. *Albertus super 2. Sent. distin. 30.* Originale peccatum est in omnibus lege concupiscentiæ ab Adam progenitis: Fuit igitur *Alberti* adhuc ætate ignota opinio, Mariam sine peccato originali conceptam esse. Atque hæc in genere testimonia sufficiant, omnes homines, præter SOLVM Christum, in peccato concipi & nasci.

QVARTO decreto Sixti 4. & Tridentini Concilij damnantur tam veteres, quam recentiores Doctores, qui in specie testantur, B. Mariam Virginem in peccato conceptam esse. *Augustinus contra Iulianum lib. 5. cap. 9. dicit, Mariæ corpus, quamuis ex propagatione mali venerit, tamen eam non traiecit in corpus, quod non inde concepit. Anselmus Cantuariensis Episcopus, quem Petrus de Natalibus authorem festi Conceptionis B. Virginis facit, lib. 2. Cur Deus homo. c. 16. disertè sic scribit: primùm quero, qualiter de massa peccatrice, & humano genere, quod totum infectum erat peccato, hominem sine peccato, quasi azymum de fermento, Deus assumpsit? Nam licet ipsa hominis eiusdem conceptio sit munda, & absq; carnalis delectationis peccato; virgo tamen ipsa, vnde assumptus est, est in iniquitatibus concepta, & in peccatis concepit eam mater eius: & cum originali peccato nata est: quia & ipse in Adam peccauit, in quo omnes peccauerunt. At postquam constat, hominem illum esse Deum, & peccatorum reconciliatorem: dubium non est, eum omninò sine peccato esse: non autem esse, non valet, nisi absque peccato peccatrice sit assumptus. D. Bernhardus epistolâ 74. ad Canonicos Lugdunenses prolixè probat, B. Mariam non esse conceptam absque peccato. Inter alia dicit, Mariam Christo equiparari posse, si modo absque peccato concepta esset. Gratianus etiam disc. 3. c. præmonendum. dicit, & Ioannes Balech in suo Rationali cap. 146. Mariam in peccato conceptam. Et hanc communiorẽ fuisse sententiam testantur, Bonauentura in 3. dist. 3. quæst. 1. & Thomas 3. par. q. 27. art. 2. Antoninus par. 1. tit. 8. c. 2. Nicol. Lyra super Luc. 1. Ioan. de Turrecremata de Consec. disc. 4. c. Firmisimè. q. 3. num. 11. fatetur, se centum authores pro hac sententia collegisse, in libro de Veritate Conceptionis B. Mariae. Oppugnârunt etiam contrariam opinionem Prædicatores seu Dominicani ferè omnes, & publicè docuerunt, Omnes asserentes, B. Mariam absque Originali macula conceptam, hæreticos esse, vt intelligitur ex Sixti 4. decreto. Deniq; Melchior Canus Episcopus Canarien. et primariæ Cathedræ in Academia Salmanticensi olim Præfectus Prædicatorij Ordinis, in locis Theolog. lib. 7. c. 1. hæc scribit: B. Virginem fuisse à peccato liberam, è sacris literis, iuxta germanum literæ sensum, nusquam habetur: quin imò lex generalis in ijs traditur, quæ ex Adæ carnali scilicet propagatione creatos, sine vlla exceptione complectitur. Nec verò dici potest, Apostolorum tempore id in Ecclesiam descendisse: nam constat PRISCOS Scriptores id non à maioribus suis accepisse. Imò Sancti OMNES, qui in huius rei mentionem incidunt VNO ore asseuerârunt, B. Virginem in peccato originali conceptam fuisse. Gratianus etiam disc. 3. c. promanandum dicit. Festum Conceptionis celebrandum non esse, sicut in multis locis fiat, quia B. Virgo in peccatis concepta fuerit, vt ceteri.*

Iesuitæ quoq; in hoc articulo non consentiunt. *Suarez in Thom. parte 3. q. 27. art. 1. & 2. disertè affirmat, B. Mariam sine omni peccato conceptam esse. Est hoc, inquit, priuilegiũ B. Virginis speciale, in prima suâ Conceptione immunè à peccato fuisse. Antiqui Patres pauca de hoc priuilegio loquuti sunt, tum quia Spiritus S. Ecclesiã paulatim instruit, tum etiã quia illi in alijs grauioribus mysterijs explicandis distinebantur. Postquã verò ante 500. annos veritas hæc cœpit clariùs doceri, ita incendit fidei-*



DE ORIGINE FESTORVM

um animos, creuitq; paulatim eius fides, vt iam ferè omnium consensione recepta sit: & præsertim ab hinc ducentis annis Ecclesiastici Scriptores omnes, vniuersa Academia, huic sententiæ subscripserunt, adeò vt in Academijs nulli ad Doctoratûs gradum aditus patebat, qui prius, sub iuramento, non promiserit nunquam se veritatem hanc oppugnaturum. *Hæc ille. Vbi obseruandum quod dicit, ante quingentos annos veritatem hanc cœpisse clarius doceri. Si orthodoxi eodem argumento vtuntur, videlicet, veritatem ante centum annos cœpisse clarius doceri, quàm Scholasticorum temporibus factû sit, id prorsus exhibent. Addit, Ab hinc ducentis annis Ecclesiasticos Scriptores omnes huic sententiæ subscripsisse. Non subscripserunt autem Dominicani seu Prædicatores Monachi, sed & viuâ voce publicè pro suggestu, & scriptis hanc doctrinam oppugnârunt. Si verum est quod dicit Iesuita, Dominicani non erunt pro Ecclesiasticis Scrip- toribus habendi. Dicit porrò, ab hinc ducentis annis neminem Doctoratûs gradum consequutum esse, qui non iuramento promiserit, se hanc veritatem non oppug- naturum. Atqui Sixtus 4. Papa in decreto, quod incipit, Graue nimis, de Reliquijs & Ve- ner. Sanct. in Extrauag. disertis verbis pronunciat, nondum esse quæstionem istam, de Conceptione B. Virginis, ab Ecclesia Rom. & Apostolica sede definitam; & idè penam excommunicationis in eos statuit, qui alterutram sententiam damnare audent. Edita est autem constitutio hac anno 1483. Demq; dicit, Patres antiquos pauca de hoc B. Vir- ginis Priuilegio loquutus, imò paucos illud tenuisse, quia paulatim creuerit eius fides. Paulò post verò conatur Iesuita omnium Patrum auctoritate hanc doctrinam con- firmare.*

*Iesuitarum alij asserere non audent, Mariam sine Originali peccato conceptam, sed tamen dicunt, HOC PIE CREDI.*

*Bellarminus sibi ipsi contradicit, nam modò ait, modò negat Mariam in peccato originali conceptam esse. Primò dicit tom. 3. col. 324. D. non haberi apud Papistas pro re certa & explorata, ac fide catholicâ tenendâ, B. Virginem sine peccato fuisse conceptam. Secundò, hanc opinionem non esse vllò modò hæreticam, vel erroneam iudican- dam. Tertiò, non esse etiam temerariam, sed piam admodum, & probabilem, atq; adeò contrariâ sententiâ longè probabiliorem. Rursus sententiam suam explicans co- lum. 333. Inter Catholicos, inquit, conuenit B. Virginem per Christi sanguinem verè fuisse redemptam, & quod Apostolus ait, Christus pro omnibus mortuus est 2. Cor. 5. sine vllâ exceptione esse accipiendum. At si B. Virgo neq; actu, neq; po- tentiâ, neq; in se, neq; in parente suo peccauit, quomodo quæso redempta dici po- test? Si verò B. Virgo non fuit libera à peccato primi parentis, quatenus in lum- bis eius erat, profectò prima eius conceptio similis fuit conceptioni aliorum. Ni- mirum originem habuit ex corrupta natura, eiq; ex vi generationis debebatur, vt peccatû contraheret, cum primùm ad eam anima rationalis accederet. Sine pec- cati autem originalis macula fuisse existimamus animam B. Virginis, in ipso eti- am primo instanti suæ creationis, & infusionis in corpus, ita vt nunquam persona illa actu existens peccatum habuerit. Atq; hoc solum est in quo B. Virgo differt à cæteris, qui per gratiam Dei, Christi q; passionis meritum à peccato originali liberati fuerunt, quòd alij communiter liberati sint post natiuitatem, sed post ani- mationem, ipsa sola in ipso instanti animationis. Hæc quidem Iesuita audacter dicit, sed nullo testimonio vel S. Scripturæ vel antiquitatis probat: solum dicit EXISTIMAVS, vnde apparet, eum hoc ex suo cerebro finxisse, ideoq; meriò repudiatur.*

Festum de Con-  
ceptione Ma-  
riæ improbatû

*Quemadmodum verò sententia, de immaculata Mariæ conceptione veneranda antiquita- ti fuit incognita, & postea, cum in lucem prodisset, à vlerisq; doctoribus impugnata, ita etiam fe- stum ipsum, licet ab initio non propter puram conceptionem diuæ virginis, sed propter conceptio- nem eius simpliciter institutum esset, iam inde à prima sua origine improbatum fuit. D. Bern- hardus epist. 174. ad Canticos Lugdunenses, dicit, errorem & superstitionem sapere hoc festum*



festum, quia in eo vel peccatum honoretur, sine quo conceptio ista non fuerit, vel falsa inducatur sanctitas: grauius etiam reprehendit eos, quod festum de Conceptione hac introduxerint. Pothon etiam Prumiensis presbyter, qui claruit circa annos Christi 1150. libro 3. de Statu domus Dei: Miramur, ait, satis, quid visum fuerit hoc tempore quibusdam monasterijs, mutare colorem optimum, nouas quasdam inducendo celebritates. Nunquid Patribus doctiores aut deuotiores sumus? Superbamente praesumimus, quicquid ipsorum in talibus prudentia praeteriuit. Neque vero nos in huiusmodi aliquid inuenire possumus, quod illorum quieuerit diligentiam praeteriisse. Quae igitur ratio haec festa celebranda nobis induxit? Festum videlicet Trinitatis & Transfigurationis Domini. Additur his à quibusdam, quod magis ABSVRDVM videtur, festum quoque CONCEPTIONIS S. Mariae. In Oxoniensi quoque Synodo anno 1222. celebrata, omnia festa Mariae, praeter Conceptionis, de necessitate seruari mandatur. Ioannes Beletb quoque in suo Rationali c. 146. dicit: Festum Conceptionis aliqui interdum celebrarunt & adhuc fortasse celebrant: sed authenticum & approbatum non est. Imò prohibendum potius videtur: In peccato namque concepta fuit.

Rationes pro purissima Mariae Conceptione & ad eas responsio.

Argumenta autem, quibus probare conati sunt purissimam ab omni labe conceptionem D. Mariae, haec sunt. Primum, potuisse Deum hoc efficere. Atque huc pertinent, quae tomo 3. col. 330. adfert Bellarminus, eaque his verbis concludit: Habemus igitur, inquit, Deum potuisse Virginem Mariam ab omni peccato liberam conseruare, & sanctam ac iustam in ipsa creatione efficere. Respondeo, à potentia ad esse non valere consequentiam.

Instat Iesuita, Voluisse autem hoc Deum, satis probabiliter demonstrari posse Thomae rationibus. Respondeo, in ijs quae Verbo Dei manifestè repugnant & contraria sunt, probabiles rationes non esse recipiendas, quum absurdissima quaeque & falsissima etiam probabilibus rationibus defendi seu fucari queant. Expressum igitur verbum Dei requirimus: hoc verò se non posse adferre in hac causa, disertè fatetur col. 326. l. D.

Rationes eius probabiles, quas ex Scriptura praefert, haec sunt. 1. Vt primus Adam, ex terra nondum maledicta, purus creatus est: sic secundum, nempe Christum, oportuit ex matre omnis maledictionis experte, purum nasci, quia ille huius imaginem gessit. 2. Eva in statu innocentiae fuit typus Mariae. Ergo hac sine peccato esse debuit, sicut illa tunc sine peccato fuit. 3. Cantic. 2. & 4. c. vocatur Maria immaculata, tota pulchra, hortus conclusus, &c. Ergo sine peccato concepta fuit. Respondeo, sunt haec allegoricae expositiones, verbi Dei fundamento destituta. Dogmata autem ex locis Scripturae proprijs, non ex allegoricis detorsionibus extruenda & probanda sunt. Adhuc quae à Iesuita ex Canticis Solomonis citantur, non de Maria Virgine, sed de Ecclesia intelligenda sunt.

Secundum argumentum Bellarmini sunt testimonia quae profert ex Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Sedulio, Sophronio, Damasceno, Idiota, Petro Damiano, Brunone, Anselmo, &c. Respondeo primò, Patres sibiipsis in hac causa non constare, sed variè ac dubiè de illa loqui, ac proinde nihil certi ex illis probari posse. Deinde quidam non probant cuius causam à Iesuita citantur. Tertiò, Patres oppono Patribus, quorum multi contrarium docuerunt, ut paulò ante vidimus.

Tertiò obijciunt alij, Cum Christus non venerit ad soluendum, sed potius implendum legem; in lege autem praeeperit honorare parentes, idè credendum, ipsum etiam matrem in hoc potissimum honorasse. Respondet Petrus de Natalibus: Honorauit eam in quantum fuit conueniens, non tamen tantum, quòd ipse ex hoc exhonoraret seipsum. Dicere autem, quòd virgo Maria esset aequalis in gratia humanitati Christi, esset ignominia ipsi Christo. Obijcitur etiam Augustinus, qui in lib. de Natura & gratia cap. 36. dicit: De sancta virgine Maria, propter honorem Domini, nullam prorsus, quum de peccatis agitur, habere volo quaestionem. Inde enim scimus, quòd ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere aut parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. Quia verò manifestè dicit, Mariae gratiam collatam ad vincendum peccatum, intelligitur, quòd non sentiat Mariam sine peccato conceptam fuisse, alioquin non opus habuisset gratiam, qua vinceret peccatum.

D d



DE ORIGINE FESTORVM

tum. Et quæ Augustini hac de re fuerit sententia superius satis intelleximus.

- IX. IOACHIMVS pater fuit Mariæ matris Domini, quam ex Anna coniuge conceperat.
- X. MELTIADES Papa & successor Eusebij, constituit, die Dominicâ & quintâ feriâ ieiunium non celebrandum, propter Ethnicos iisdem diebus ieiunantes. Martyrio coronatus est 4. Idus Decemb.
- XI. DAMASVS Hispanus in quadam contentione Episcopus Rom. factus, & de adulterio grauitè accusatus, Liberij facta damnauit, templa adificauit & redditibus auxit, Missa Confessionem addidit, Psalmorum cansiones instituit: mysterium enim iniquitatis sese eo tempore nonnihil exerece capit. Vitas etiam suorum prædecessorum Episcoporum Rom. eorumq. statuta, non sine mendacijs conscripsit, atq. tandem anno Domini 384. obiit, in pace Odo genarius, 3. Idus Decemb. Baleus.
- XII. EPIMACHVS martyr apud Alexandriam passus est. Is cum longo tempore in vinculis fuisset, & diuersis confectus supplicijs in fide perstiteret, igne tandem comburi iubetur, pridie Idus Decemb. Pet. de Natal. lib. 1. cap. 62. ex Adonis Martyrologio.
- XIII. IODOCVS filius fuit Rechaëli regis Britonum. Reliquit autem seculum & eremiticam vitam elegit, in qua & mortuus est Idibus Decemb. Florentinus abbas apud Surium tom. 7. & Pet. de Nat. lib. 1. cap. 65.
- LVCIA virgo Syracusana, desponsa fuit iuueni nobilissimo: sed incensa confessione & martyrio Agathæ, persuasit matri, vt quam dotem sibi datura esset, pauperibus largiretur. Id verò agerrimè ferens sponsus accusauit eam Christianismi apud iudicem Paschasium. Is ergo comprehendi Luciam, & nisi idolis sacrificare vellet ad lupanar rapi iussit: sed quum loco moueri non posset, varijs affecta cruciatibus spiritum tandem emisit, Idibus Decemb. circa annos Domini 310. Pet. de Nat. lib. 1. cap. 64.
- OTTILIA filia fuit Adaltrici siue Atchici, & Berthsuindis seu Bersindæ, sed cæca nata, ob eam causam occidi iubetur à patre. Mater verò a suffugit longissimè cum filia, eiq. ab Erhardo Bauariæ Episcopo visus restituitur. Reuocata autem à fratre is propterea ita castigatur à patre, vt paulò post moreretur. Facti verò huius cum peniteret eum, ingreditur monasterium sanctimonialium, quod iam antea in honorem B. Mariæ in summitate montis Hohenburg maximo sumptu construxerat, idque tandem filia tradidit, in qua abbatissa 130. Nonnarum facta moritur in pace. Iacobus de Voragine Legenda 199. vbi prodigiosa mendacia huic narrationi aspergit.
- XIII. NICASIVS Remensis Episcopus, occupatâ vrbe à Vuandalis, in ipso templi limine trucidatur ab hoste cum sorore Eutropia. Pet. de Natal. lib. 1. cap. 69. Hoc die si quis nomen Nicasijs inscribat postibus conclauium, eius vi mures inde abigi supersticiosi homines arbitrantur, sed mysterium me lateet.
- XV. ABRAHAM Patriarcha fuit veteris Testamenti, cunctis fidelibus ex historia notus.
- XVI. ADELHEID patrem habuit Mengegorem Comitem, matrem Gerbergam. Hæc eorum filia Colonia Agrippina monasticum vitæ institutum complexa est in cænobio Monacharum sub Regula D. Hieronymi. Extructo autem à parentibus Vilecensi cænobio ab ijs eo vocatur, in quo multis Nonnis sub Benedicti Regula præficitur. Tandem etiam inde Coloniam ab Heriberto archiepiscopo vocatur & in sororis suæ Bertrada locum surrogatur, vbi & moritur. Surius tom. 7.
- XVII. LAZARVS ille redinius, Mariæ & Marthæ frater, Hierosolymis fugiens ob persecutionem Iudæorum, cum sororibus & alijs Massiliam appulisse, eiusq. vrbs Episcopus factus narratur, vbi & in pace quieuit, 16. Cal. Ian. Pet. de Nat. lib. 1. cap. 72.
- XVIII. RVFVS ex numero discipulorum fuit, per quos primitiua Ecclesia in Iudæis & Græcis fundata est. Passus est Philippis vrbe Macedonia 15. Cal. Ian. Meminit eius martyrij Polycarpus in epistola ad Philippenses, hortaturq. fideles, vt sequantur vestigia martyris in constantia.
- XIX. NEMESIVS primò Emiliano Proconsuli Egypti per calumniam quasi latro delatus, sed



sed ab eo crimine purgatus & absolutus est. Deinde ab eodem iudice tanquam Christianus comprehensus, geminatis supplicijs excruciat, cum latronibus igne combustus est, 14. Cal. Ian. vt Pet. de Nat. ex Adone refert lib. 1. cap. 77.

AMMON pro tribunali stans, quum quidam Christianus à iudice tortus in supplicijs trepidaret, & iam penè ad negationem desisteret, ad constantiam illum hortabatur, plebs autem idcirco frendens manus illi iniicit, & occidit, 13. Cal. Ian. Pet. de Natalibus lib. 1. cap. 78. ex Adone.

THOMAS fuit vnus ex Apostolis Christi, qui & Didymus dictus est. Quibus autem parentibus sit natus, & quomodo conuersus ac vocatus, nihil extat. Post ascensionem Christi in caelos in Parthiam abiit: inde ad Medos, Persas, Hyrcanos, Baetras & Indos profectus est, & vbiq; Euangelium Iesu Christi docuit. Fictitius Abdias in suo libro indicat, lanceis Thomam transuerberatum esse. Alij gladio eum percussum esse scribunt, Hieronymus dicit, eum dominisse in Calatrina vrbe India. Edessam Mesopotamiae reliquias Thomae esse translatas anno Domini 230. Alexandrini Imp. permissu, Ruffinus libro secundo Ecclesiasticae historiae, cap. 2. affirmat; & Socrates lib. 4. cap. 18. scribit, Martyrium Thomae esse in ea vrbe. Hieronymus Oforius autem Episcopus Siluensis Lusitaniae lib. 3. rerum Indicarum, testatur, Indos, nuper ad Christum conuersos, testari, corpus S. Thomae, à quo Euangelium acceperint, penes se esse.

CHIRIDONIVS quum ad sacrificia idolorum primò blanditijs inuitaretur, deinde iniurijs, comminationibus & tormentis cogeretur, & nihilominus sacrificare eis nollet, gladio per viscera transuerberatus occubuit Alexandria, 11. Calend. Ianuar. Petrus de Natalibus lib. 1. cap. 82.

DAGOBERTVS cognomento Magnus Francorum Rex 11. Francia omnes Iudeos eiecit baptismum suscipere nolentes. Cum Sclauonibus Paganis feliciter pugnavit, & Vascones rebellantes compescuit. Mirum eius studium fuit in ampliandis & propagandis Papisticis superstitionibus. Rheacum oppidum, cum omnibus suis redditibus & facultatibus, Argentineni Ecclesiae donauit. Fundauit & dotauit munificentissimè Vuiffenburgense & Theologice caenobii. Extruxit etiam magnificentissimum S. Dionysij Lutetiae Parisiorum caenobium, atque ad id exornandum ex Pictonibus rebellibus sacrorum locorum nobilia ornamenta edasperrari curauit, vt id vnum dicitur: templo eius aureum tectum obduxit: annuos proventus, 200. millia solidorum, ad sacerdotum victum ordinauit, & elemosynas pro pauperibus. Tempora quoque plurima per vniuersum regnum suum è fundamentis adificauit. Hinc post mortem eius à sacerdotibus inter Deos relatus, & diuinis honoribus affectus fuit: Gaguinus, Regino, Amilius, Tillius & alij.

ADAM & EVA qui fuerint ex historia sacra notissimum est.

DE NATALI DOMINI AC SERVATORIS  
NOSTRI IESU CHRISTI.

FEstum hoc à veteribus variè appellatum fuit. Basilus in Sermone De humana Christi generatione Θεοφανία appellauit: ait enim, Theophaniam hoc nostrum festum nominamus, in quo mundi salutarem concelebramus diem Domini natalem. Significat autem Θεοφάνια seu Θεοφάνια Dei apparitionem. Gregorius Nazianzenus in Oratione Natalem Christi, vrater Theophaniam, etiam Γενέθλια τῆ σωτῆρος & Natales Seruatoris, & Επιφάνια Aduentum seu Apparitionem vocat: & rationem istorum nominum affert: dicit enim sic appellari, ὅτι ἐφάνη θεὸς ἀνθρώποις διὰ ἡρώσιως, id est, quòd apparuit Deus hominibus per natiuitatem. Inscriptio Orationis secundae Nazianzeni. In Sancta Epiphaniarum lumina, indicat, etiam Luminarium diem idem festum appellatum fuisse, fortè propter lumina vbiq; accensa in vigilijs quae ante hoc festum celebrata sunt, vt indicant homiliae

D d 2

XX.

XXI.

XXII.

XXIII.

XXIII.

XXV.

Festi huius nomina.



DE ORIGINE FESTORVM

Maximi Taurinensis, & Gregorij Turonensis. Chrysostomus in Oratione de Philogonia, festam hoc Metropolitim reliquorum omnium festorum vocat. Beda lib 4. cap. 19. Natalem Domini, sicut & Pascha & Pentecosten Maiora solennia nominat. Germani hoc festum vocant Weihenacht/hoc est, Sanctam noctem, propter Christum in illa natum. Siqui maiores nostri Weihen sacrare dicebant. Unde in precatione Dominica antiquis rythmis expressa, Weihen sey namo theiner / Sanctificatum sit nomen tuum: & Kyrchweihen / templi consecratio. De hoc etiam Matthaus Dresserus in libello de Festis ita scribit. Germani, aut hoc festum vocant Weihenacht / veteri consuetudine Germanorum & Gallorum, qui temporis spacia non dierum, sed noctium appellatione efferunt. Dicitur autem Weihenacht dno te uveid ay: id est, ab initiando seu consecrando, quod illa nocte per sacrosanctam Christi natiuitatem omnes initiati sumus sacris Christi, Deoq; in æternum consecrati. Veteres Germani in idolomania Ethnica vocarunt. Weinnachten, à vino, quod alius alium bono vino id temporis donarit.

Papa in nocte Natiuitatis Domini consecrat ensam, quem postea donat alicui Principi in signum infinita potentia Pontificia collata, iuxta illud scilicet, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, &c.

Festi huius origo.

Quando verò & à quo hoc festum institutum sit, certò sciri non potest. Mentionem eius facit primò, quod equidem sciam, Theophilus, qui circa Commodi & Seueri Imp. tempora vixit. in Paschali epistola, quemadmodum mox indicabimus. Deinde historia persecutionis Maximi Imp. qui in ipso Natalis Domini die, Nicomedia Christianos, festiuitatem celebrantes succenso templo concremauit, vt Nicephorus refert libro septimo, capite sexto. Idem author lib. 17. c. 28. de Natiuitate Christi toto orbe celebranda sic scribit: Iustintanus tum primum Seruatoris exceptionem toto orbe terrarum festo die honorari instituit, sicut Iustinus de Sancta Christi Natiuitate fecit.

Non vno eodemque etiam die à principio obseruata est hæc solennitas ab omnibus Christianis.

Festum hoc ab initio non eodem die celebratum.

Celebrata fuit à nonnullis 25. die Decembris, iam inde ab antiquissimis temporibus. Inrelligitur hoc ex Theophilo Casarea Palestina Episcopo, qui docet, Gallus diem vnum anniuerfarij, qui fuit 8. Calend. Aprilium, in Celebratione Paschatis obseruasse, idque hac ratione defendisse: Sicut Domini Natalem, quocunque die 8. Calend. Ianuarij venerit, ita & 8. Calend. Aprilis, quando resurrectio accidit, Christi debemus Pascha celebrare. Ex Cassiani verò argumento Epistolarum Theophili, libris Paschalibus præfixo, apparet, Egyptios Natiuitatem Domini & Baptismum eiusdem, eodem die, quem Epiphaniam appellat, celebrasse: quod etiam Hugo in cap. 1. Matthai de Armonijs restatur.

Christum non natum 25. Decembris.

Recepta est autem posterioribus seculis in omnibus Occiduis ecclesijs eorum consuetudo, qui festum hoc 25. die Decembris celebrarunt, quod tunc natum esse Dominum crederent. Sed hanc sententiam firmis rationibus improbari posse Henricus Vuolphius libro 1. Chronol. docet. Inter quas, inquit, non postrema est Censuræ ille à Romano Imp. toti orbi imperatus, & à Cyrenio præside Syriæ tempore Natiuitatis Dom. actus. Non enim res tanti momenti ac toti orbi cõmunis tam incommodo tempore suscepta videtur. Erat omnibus cum familijs suis in patriam terram proficiscendū, vt ibi censerentur vnde oriundi essent. Itineribus autē longinquis obstabant frigora, & pluuię hyemales, & quòd in irriguis illis & calidis regionibus (quæ non ita glacie durantur, vt nos sitæ septentrionales) qualis Palestina fuit, itinera hyberno tempore non sunt peruia. Quamobrē Deus in lege nullas festiuitates hoc tempore celebrare iussit. Deinde prudentes Magistratus, qualis certè Augustus fuit, nō in media hyeme, quam fruges iam bona ex parte consumptæ sunt, sed in autumno, quum primū in horrea colliguntur, census agere solent. Alia etiam ratio à pastoribus sumi potest, qui nocturno tempore pauerunt greges suos quum Christus nasceretur. At constat oues frigora



frigoris impatientissimas esse, & proinde mense Decembri hæc, quæ Lucas narrat, non accidisse. Unde etiam Hesiodus lib. 2. Operum de hoc mense ita canit:

Μεῖς γὰρ χαλεπώτατος ἔστι  
Χεῖματι: χαλεπὸς θεοβάτης, χαλεπὸς δ' ἀνθρώποις.

Hoc est:

Mensis enim difficillimus hic

Hybernus: difficilis ouibus, difficilisq; hominibus.

Et ob hanc causam oues hoc tempore plerumq; intra tecta vel stabula pasci Columella docet lib. 7. cap. 3. & Vergilius lib. 3. Georgicorum.

Ad hæc ex antiquissimis iisdemq; probatissimis Ecclesiasticis Doctoribus nihil certi haberi posse de mense & die Natiuitatis Domini, Clementis Alexandrini locus satis declarat, qui lib. 1. Strom. sic habet. Sunt qui curiosius Natiuitati Domini non annum solum, sed etiam diem addunt, quem dicunt anni 28. Augusti 25. mensis Pachon fuisse. Basilidis autem sectatores eius quoq; Baptismi diem celebrant præcedentem noctem lectionibus transigentes. Dicunt autem esse 15. annum Tiberij, mensis Tybi 15. diem: quidam autem eiusdem mensis diem 11. Et mox: Sunt, ait, qui 14. vel 15. Pharamuti natum dicant.

Hinc intelligimus Clementis Alex. tempore, hoc est, circa annos Domini 195. tres sententias de Natali Christi fuisse: prima eorum, qui 25. die Pachon; secunda & tertia qui 14. vel 15. natum dixerunt, id est, iuxta nonnullorum computationem ad Iulianum annum, 14. Maij 3. & 4. Aprilis. Epiphanius verò, qui ducentis annis posterior Clemente fuit, Natiuitatem Domini 11. diei mensis Tybi, id est, 5. Ianuarij adscribit, tom. 1. lib. 2. vbi sic ait: Reuera Natiuitas Christi certa contigit vndecimâ die mensis Tybi. Middelburgensis autem cap. 4. lib. 19. de die Passionis Domini agens, vult Natalem eiusdem fuisse diem æquinoctij vernalis, qui fuerit anno Natiuitatis Dominicæ 8. Cal. April. quæmadmodum per obseruationes Ptolemæi & scripta aliorum Astrologorum demonstrari possit. Ratione autem tali vitur: Si venit Iesus in mundum, vt saluum faceret eum Adami peccato contaminatum, & in melius ipsum reformaret, debuit resumere omnia illa tempora, quæ in prima mundi creatione, per Deum Patrem assumpta, Adami peccato inquinata fuerunt: nam idem modus esse debuit reformationis mundi, qui fuit primæ eius creationis. Mundus autem creatus est in æquinoctio vernali. Congruebat ergo pro instauratione mundi eadem hæc tempora præuaricatione primi parentis contaminata, à Christo purificanda resumit. Sed valde est infirma hæc ratio, & multa habet vitia, quæ Lector facile videt. Ad hæc si homines illos, qui seculo Domini admodum vicini fuerunt, Natalis Domini latuit, quid obsecro credas Epiphanio? quid Middelburgensi? quid etiam ijs, qui vigesimo quinto Decembris natum Dominum contendunt.

Sunt tamen hodie qui rationibus non contemnendis probare conantur, Christum in Autumno natum fuisse: ex quorum numero est Matthæus Beroaldus, qui ad hanc rem probandam citat verba Danielis nono capite. In dimidio hebdomadæ cessare faciet sacrificium & oblationem. Loquitur hic Propheta de vltima hebdomada, quam, quia desinit in mense Nisan, quo passus est Dominus, si diuidas in duas partes æquales, medietatem suam in anni quarti mense Tisri habere deprehendes. Aboluit autem Dominus sacrificium & oblationem, primò prædicatione suâ, quam à Baptismo inchoauit, & in passione compleuit. Cæpit autem prædicare Christus, cum primùm triginta annos compleuisset vel assequutus esset, vt Luc. 3. scribitur, cum triginta annorum esse inciperet. Non incipit esse anniculus, qui primùm natus est, nec post sex menses aut plures, sed cum dies natalitius anno sequenti reuertitur. Cum autem Dominus triginta annorum esse inceperit in medio hebdomadæ vltimæ, & hebdomadarum initium sit mensis Nisan seu vernum tempus, in quod desinunt: sequitur circa autumnum natum esse Dominum, in quem medium hebdomadæ incidit. Henricus Vuolphius in Chronologia id ipsum duabus alijs probat rationibus. Primam sumit ab vmbrijs legalibus. Notum est enim, vt vmbra Dominus iisdem ferè diebus festis implevit & abrogarit, quibus olim celebratæ fuerunt.

De tempore & die Natalis Christi diuersæ sententiæ. Clementis Alexandrinus.

Tres sententiæ de die Natalis Domini.

Epiphanius.

Middelburgensis.

Matthæus Beroaldus.

Henricus Vuolphius.



DE ORIGINE FESTORVM

In festo Paschatis nostrum Pascha factus est per passionem suam. In festo Pentecostes legitur Spiritus illam nouam nobis dedit. Nullus autem mensis plura festa continuit quam septembris, quae omnia Christum adumbrarunt. Omnino ergo hoc mense in carne natus videtur. Alteram rationem ducit ab aera. Numerant Iudaei ad aera Christianam, id est, ad annum quo natus est Christus 3760. At is annus, ut ex aetate Domini, & ex Cyelo lunari colligi potest, fuit annus primus Christi, & annus 3761. annus nati Christi secundus. Vnde colligitur, annum primum Christi in anno ter millesimo septingentesimo sexagesimo completum, & in principio eius Dominum natum esse.

Natalis Domini cur in Decembri institutus.

Similitudo inter Natalem Domini & Saturnalia Rom.

Arbitror autem eos qui primo festum hoc mense Decembri celebrandum instituerunt, non id propterea fecisse, quod tunc natum esse Dominum crederent, sed ut Saturnaliorum silentiam, quae Romae hoc ipso tempore celebrabatur, in hoc festum commutarent: hac enim occasione plurima in veteri Ecclesia festa instituta fuisse supra indicauimus. Innuat hoc non obcurus Paulus Iouius libro 38. h. stor. ubi dicit, Vastum Mediolani veterum Saturnaliorum more Natalitia Dei Christi celebrasse. In hanc etiam sententiam me adducit similis utriusque festi, & plurima quae inter se habent communia. Primo namque & Graeci & Romani veteres Saturnalia lautissimis latissimisque epulationibus celebrarunt, quando non solum serui a dominis conuiujs excipiebantur, sed etiam amici atque familiares muticabant, hoc est, mutuae inter sese caenas epulationesque agitabant. Idem vero a Christianis in Christi Natali olim factitatum quoque, innuere videtur grauis illa adhortatio Gregorij Nanzianzeni in praefata illa Oratione sua in Natalem Domini, ubi inquit: Hanc festiuitatem celebremus non Paegyrico, sed diuino; non mundano, sed supermundano modo. Nequaquam fores coronemus (obserua quibus ritibus celebratum sit hoc festum olim) non choros instauramus, non compita viarum exornemus, non oculos pascamus, non auditum oblectemus, non odoratum effoeminemus, non gustui lenocinemur, non tactui obsequamur, non vestimentis teneris ac fluidis, ex quibus id quod pulcherrimum, plane est inutile, molliter induamur, non gemmarum splendoribus, non aurifugoribus, non colorum fucis naturalem mentientibus pulchritudinem, & propter imaginem reptis: non commestationibus & ebrietatibus, quibus cubilia & libidinem scimus esse coniunctam. Addit: non thoros altos, veluti delicias concinnantes sternamus, non vini fragrantiam, coquorum commenta, vnguentorum sumptus honoremus. Clarius Luitprandus indicat conuiuia celebrata esse, in ea quae secundum carnem est Christi Natiuitate, apud Constantinopolitanos, libro sexto, capite tertio & quarto. Refert enim, tunc nouendecim mensas apponi, in quibus Imperator pariter & conuiuia non sedendo, sed recumbendo epulentur, nec argenteis, sed tantum aureis vasis ministrari. Quin ludos eo tempore publice exhibitos, idem indicat notato loco, ubi etiam vnum ob admirationem describit. Huc pertinet etiam publica vel solennis compotatio, siue collatio, quam Pontifices Rom. in prima aula Palatii hoc die vel in vespere eius celebrare solent, quae describitur lib. 2. Ceremonialis Rom. ecclesiae. Hodie quoque hunc diem plurimi Christianorum diurnis nocturnisque compotationibus, comestationibusque peragunt, ita ut non Christi Natalia, sed Bacchanalia potius, atque Lupercalia agere videantur, & merito nox illa, cuius memoria celebratur ob Christum in illa natum, Weihenacht, hoc est, sancta, vernacula nostra lingua appellata, potius Weinnacht, hoc est, vini nox, Epicureorum illorum respectu, sit dicenda. Secundo in Saturnal. ex aequo omnium iure domini seruos suos lautissimis conuiujs excipiebant, ipsi seruorum officio in ministrando fungebantur, ac seruis impune licebat quicquid liberet loqui, ut refert Iustinus ex Trogo, Macrobius libro 1. & Athenaeus libro 14. Hic mos etiam in festo Natiuitatis Christi a multis obseruatus est. Durandus enim in Rationali libro sexto, capite octuagesimo sexto indicat, in quibusdam locis Praelatos cum suis Clericis in Natali ludere, vel in domibus Episcopalibus, vel in claustris: ita ut etiam descendant ad ludum pila, vel etiam ad choreas & cantus. Eundem quoque Saturnaliorum veterum more, quo serui dominis imperabant, et epulis opiparis ab illis excipiebantur, apud Anglos suos obseruare, Polydorus Vergilius

Vergilius



*Vergilius testatur. Est & illud: inquit, b Ethnicis profectum, quod nunc per Domi-  
nica Natalitia nostri ministri potestatem in dominos habent, atq; vnus eorum  
dominus creatur, cui cuncti familiares, lasciuientes simul, parent, vnâ cum ipsis  
dominis & patribus familiarum. In Saxonia quoq; mori olim fuit hac nocte saltare &  
cantare, qui tamen mos Othero cuidâ laico cum quindecim viris & fœminis tribus malè cessit:  
quum enim Sacerdos Rupereus mandaret eis per ædituum, vt ab huiusmodi leuitate in nocte  
tam sancta desisterent, illiq; præcipienti non obtemperarent, commotus ille stans ad altare di-  
xi: Faciat Deus omnipotens, vt per annû totû sic saltantes manere vos oporteat.  
Et per totius anni spatium saltârunt sine intermissione die ac nocte, Trithemio auctore in  
Chron. Hirsaug. Tertio, in Saturnalibus munera sibi vtrò citroq; mittebant, quæ Tertullia-  
nus in libro de Persecutione Saturnalia vocat, Hieronymus autem Saturnalium spor-  
tulas. Similiter Christiani à Natali Christi vsq; ad Calendas Ianuarias sibi inuicem munera,  
quæ strenas vocamus, mittunt. Dant etiam in vigilia huius festi parentes suis liberis varia do-  
na: crepundia, cistellas, vestes, equos, vehicula, poma, pyra, nuces, melicerides, & id genus alia:  
additur etiam plerunq; virga, vt metu castigationis facilius se regi patiantur. Dantur autem  
hæc eis nomine Christi, quem arbitrantur alij per regulas & fenestras clausas ingredi: alij cum  
angelorum comitatu solenniter singulas domos obire opinantur. Quarto, vno eodemq; mense  
Ethnici Saturnalia & Opalia, in honorem Saturni & Opis eius vxoris celebrârunt. Hunc ri-  
tum in Natalitijs Christi Concilium Basiliense confirmauit, quando Sessione 36. præcepit, vt  
ante Natalem Domini Conceptionis festum matris eius virginis Mariæ, in omni-  
bus ecclesijs, monasterijs & conuentibus Christianæ religionis 6. Idus Decemb.  
festiuis laudibus colatur.*

## S. STEPHANI FESTVM.

XXVI.

**S**tephanus Diaconus fuit Hierosolymitanæ ecclesiæ, in hoc ordinatus, vt bona communiã  
distribueret, eaq; viduis & pauperibus rectè distribueret. Refutauit magno zelo erroneas opi-  
niones de Messia, affirmans Iesum Christum Nazarenum verum esse Messiam à Prophetis  
promissum. Accusatus igitur blasphemie, & damnatus, lapidibus obrutus est 3. Non. Augusti,  
& corpus eius inuentum posterioribus seculis 7. Calend. Ianuarij. Sed festa hæc sunt commuta-  
ta, vt dies passionis eius solennius celebraretur, quàm inuentionis. Petrus. de Natalibus lib. 2.  
cap. 4.

Festo hoc quisq; caballos  
In campo exercet cursu, saltuq; volucris.  
Dum fluat è toto fessorum corpore sudor,  
Adq; fabros ductis mandant pertundere venam.  
Scilicet hoc prod. esse ferunt, hac luce peractum,  
Ne morbis vllis illo tententur in anno:  
Cornipedum Stephanus ceu curam gesserit vnquam  
vt Na. georgius canit.

## S. IOANNIS Apostoli &amp; Euangelistæ festum.

XXVII.

**I**oannes Apostolus & Euangelista, natus est patre Zebedæo, & matre Salome. Vocatus  
Iacobi à Christo, quum Piscatori intentus esset, sequutus est illum, ab eoq; plurimum ama-  
tus. Cum post ascensionem Christi Apostoli ad prædicandum Euangelium in orbis varias di-  
gredierentur regiones, Asiam Ioanni obtigisse, Eusebius libro 3. capite 1. refert, quamuis toto il-  
lo tempore, quo Paulus Asiam peragravit, non fiat alicubi Ioannis mentio. Ephesi tanquam pa-  
storem eum consedisse, nonnulli affirmant, quod tamen incertum quoq; est. Illud constat, Pau-  
lum huic ecclesiæ Timotheum præfecisse. Fortè igitur in extrema senectâ, post Timothei mor-  
tem, sè se consulit, quum prius passim per Asiam Euangelium annunciasset. Irænaus lib. 3. cap. 35

D d 4



DE ORIGINE FESTORVM

Paulum quidem fundasse ecclesiam Ephesinam, sed Ioannem ibi permansisse vsque ad Traiani tempora. Certamina illi graua fuisse cum Ebione & Cerintho, contra quos etiam suum Euangelium scripsit, historia indicant. In Pathmo eum fuisse, ibiq; visiones illas vidisse, quas liber Apocalypseoos complectitur, cap. 1. eiusdem libri ipsemet testatur. Quod autem Tertullianus narrat, in vas oleo calefacto plenum Ioannem immissum, incertissimum est: adeo ut quidam de loco ambigant, Ephesi ne an Romae factum sit. De Ioannis obitu similiter nihil certi habetur. Hieronymus simpliciter dicit, mortuum eum post ascensionem Christi anno 68. Ephesi, & iuxta urbem illam sepultum esse, anno aetatis 89. iuxta Isidorum. Monachorum vero Legendae nugantur, Ioannem viuum in sepulchrum, quod iusserat a suis preparari, ingressum fuisse, & mandasse, ut se terrae obruerent: quo facto, mox inde & splendorem insignem, & manna prodixit. Sepulchrum etiam hoc narrant, paratum fuisse Ephesi in Basilica, quam ipso adhuc viuo, in eius nomine ibi extruxerint. Sed quis somnium hoc monachorum esse non intelligat? quum post Constantini Magni demum tempora, templa in memoriam Diuorum mortuorum sumptuose aedificarent: ex Nicephori etiam lib. 17. cap. 31. intelligitur, templum hoc a Iustiano Imp. demum extructum fuisse. Obiisse autem eum aiunt illo ipso die, quo ante multos annos Ioannes Baptista, & ideo eo die festum eius celebrari deberet: sed translatum est ad tertium diem Natalis Domini. Si roges, cur Euangelista Baptista debuerit cedere? fabulae simillimam narrabit tibi historiam Durandus lib. 7. cap. 43. Ration. Cum duo Magistri, inquit, quorum vnus Baptistam, alter Euangelistam praeferebat, solennem ad hoc indixissent disputationem, & ambo inuestigassent sollicitè authoritates & rationes, quibus suum Ioannem praeferre possent, quilibet Sanctorum amulatori suo apparuit, dicens: Bene concordēs sumus in caelis: de nobis non disputetis in terris. Alij volunt hoc factum, quod illa die dedicata sit et Basilica Ephesi: alij, quod hac die redierint de Pathmo: Durandus ibidem.

Festum hoc religiosissime celebratur à Genuensibus, quod hoc die Philippi Mediolanensium Ducis iugum excussissent, & libertatem recuperassent, anno Christi 1436. ut Bracellus indicat lib. 4. belli Hispanici.

Moris fuit apud veteres Germanos, adhuc in Ethnica idololatria constitutos, initio Ianuarij vinum honorarium distribuere, ut recordarentur Iani, hoc est, Noachi Patriarchae, vitium satoris, & amoris beneuolentiaq; mutuae documenta sic ederent. Inde verò S. Ioannis Haustus, S. Johans truncus, originem traxisse videtur, quem posterioribus seculis S. Ioannis benedictionem, S. Johans segen nominarunt.

INNOCENTVM DIES.

Festum hoc nomen habet ab infantibus masculis, quos, inaudita crudelitate & immanitate, Herodes Rex ad vnum omnes bimulos & maioris aetatis, quotquot erant in vrbe & circa Bethleem, partim in cunis vagientes, partim à matrum vberibus aut manibus auulsos, ante ora & oculos parentum trucidare & iugulare mandauit, post abitum Magorum, & fugam Christi in Aegyptum. Cum enim ex Magis natum regem Iudaeorum intellexisset, & quadam ex Phariseis de regni sui mutatione cognouisset, ne regno vix pacato excideret, promiscua caede in omnes infantes Bethleemiticos seuijt (quod in vrbe illa nasciturum Messiam Micheas propheta praedixisset) inter quos & Herodis filius fuit sperans fieri non posse, quin inter istos etiam occideretur Rex ille, quae tamen spes illum fefellit. Huius lanienae truculentissimae ut pueri Christianorum recordentur, & simul discant odium, persecutionem, crucem, exilium, & gestatemq; statim cum nato Christo incipere, virgines caedi solent in aurora huius diei adhuc in leaetulis iacentes à parentibus suis. Hunc diem Ludouicus 11. Gallorum Rex tam sanctè & religiosè coluit, ut in illo nemo quidquam ad eum de negotijs deferre auderet, & mali ominis esse putaret, si quis vlla de re graui & seria cum ipso loqueretur: ijs etiam, qui hunc ipsius morem non ignorassent, si quando interpellassent, valde irascebatur, Cominaeo authore.

Haec verò etia festi Stephani, Ioannis Euangelista & Innocentum puerorum Hugo in cap. 2. Matt. ordinata à priscis fuisse dicit secundum maiorem & minorem dignitatem. Quia

quid



enim dignius sit esse martyre actu & voluntate, quam voluntate solum, ideo antecedere festum B. Stephani, festum B. Ioannis Euangelistae. Quia etiam plus sit esse martyrem voluntate, quam actu & non voluntate ideo praecedere festum Ioannis festum Innocentium.

THOMAS Becketus, ex parentibus supersticiosi natus, quum petulantia iuuenili, effrena naq; lasciuia adolescentiam suam transegisset, factus est primo sub Archiepiscopo Theobaldo, Archidiaconus Cantuaria: postea summus regni Cancellarius, ac tandem Archiepiscopus, primas totius Angliae, & Apostolicus legatus. Ex eo tempore maiestatem regis minuire cepit & Antichristo subijcere, unde Balauus eum proditorem regis & regni totius nominat. Noluit a magistratu puniri sacerdotes & clericos ob homicidia, latrocinia, furta, adulteria, stupra & similia horrenda facta: ipse contra, fulmine excommunicationis, quam ecclesiasticam censuram vocant, erga nonnullos regis amicos truculentissime sauiit, & propterea ab ijs casus est, anno Domini 1171. aetatis suae 53. 4. Calend. Ianuar. Petrus autem de Natalibus refert eum interfectum anno 1156. sub Friderico 1. Ac refert Balauus ex Dialogorum lib. 8. cap. 69. Caesarij monachi, anno 1220. Parisijs in disputatione Magistrorum, Rogerum quendam Normannum publice defendisse, hunc Thomam morte & damnatione aeterna dignum esse. Quia vero fidelem operam nauarat in promouendo, amplificandoq; Antichristi regno, ideo ab Alexandro III. canonizatur, & Anglis praesertim, in perpetuum triumphum signum aduersus regem, praecipitur, ut natalis eius dies ab omnibus ageretur festus. Sigeberti Continuator. Balauus Centuria 3. cap. 100. & Cent. 3. in Appendice capitis 4. In tanta veneratione a Papistis habitus fuit, ut in derogationem sacrosancti sanguinis filij Dei, per summam blasphemiam, in quadam precatuncula sic Deum orant: Tu per Thomae sanguinem, quem pro te impendit, Fac nos Christe scandere, quod Thomas ascendit; Balao eodem loco teste.

DAVID, cuius festum hoc die celebratur, non Rex & Propheta ille sanctissimus Veteris Testamenti, sed Menapiensis, Britannus, Xanthi, Cerebicae Prouinciae adulteri, ex Melania Vestali virgine filius, et duodecim monasteriorum conditor fuit. Mortuus est anno Christi 580. sed demum canonizatus a Calixto 11. Hunc detestanda libidinis ac prohibiti adulterij filium iactant, Ioanni sanctissimo Zachariae filio, in gratuitis Dei donis aequalem fuisse: suorum monialium incestui tantum tribuentes foedissimi Celibatus patroni. Dicunt insuper, quod fuerit a patribus prophetatus, ab angelo praenunciatus, in vtero materno sanctificatus, a Spiritu sancto in columbae specie edoctus, et quod angelum semper habuerit familiarem, atq; in itineribus comitem. Sed in his omnibus, & quod Bathoniae thermas perpetuo calore donauerit, egregie sibi mentitur iniquitas. Balauus Centuria 1. cap. 55.

SYLVESTER Episcopus Romanus constituitur in Meliadii locum. Per multa eius fuerunt instituta & decreta, de Chrismate consecrando, ordinibus dandis, pueris confirmandis, templis ornandis, altaribus tegendis, missatoribus constituendis, vngendis, vestiendis: hostijsq; deificandis, adorandis, seruandis. Item de Dalmaticis, cappis, corporalibus, albis, mitris, pallijs, pannis, peplis, sindonibus, sacrificijs, ceremonijs, asylis, extremis vnctionibus, alijsq; ritibus non solum Iudaicis, sed etiam Ethnicis. Quae omnia si vera sunt iam tum mysterium iniquitatis aperte agere cepit. Mortuus est tandem anno 334. Petrus de Natalibus lib. 2. cap. 22. falso annotat annum 390. Prid. Cal. Ianuar.

XXIX

XXX

XXXI



# APPENDIX AD FESTA CHRISTIANORVM.

## DE ENCÆNIIS.

Encænia vnde dicta.

Dedicandi consuetudo.

Encænia quid hodie.

Encæniorum origo.

**E**NCÆNIORVM nomen Græcum est, ab innouando deductum, quod res innouantur vel ex prophanò vsu, vel ad eum vsum, in quem primitus erant instituta, reducuntur. Latini Dedicaciones & Consecraciones vocant, quod res ab vsu hominum prophanò eximerentur, & D<sup>o</sup>, vsibusq; sacris dedicarentur. Sic autem apud veteres templa, altaria, statuas, vasa & instrumenta sacra, sacerdotes ac Leuitas, vestes, donaria, domus etiam priuatas & publicas innouari, consecrari & dedicari consueuisse legimus: quin mœnia quoq; vrbis Hierosolymæ apud Nehemiam dedicata dicuntur, quando sacerdotes & populus de eo gratias agebant D<sup>o</sup>, quod opè eius restaurata vrbis esset: tum orabant vt sibi restituta ciuitatis ac libertatis fructus tranquilla pacataq; concederetur. Posterioribus autem seculis, quando templa consecrarentur inter Christianos, mos & consuetudo, seu potius festiuitas illa peculiari ter Encæniorum nomine appellabatur, vt olim Saturnalia et Bacchanalia, quibus festa ipsa ex primuntur. Vnde nos Germani ea vocamus Kirchweih, vel corruptè Kirweh aut Kirweh, quo significamus, festa hæc, de quibus hætenus in præcedentibus egimus, originem sumpsisse à templorum dedicationibus, in quibus populus frequentius concurrere solebat ad audiendum verbum Dei. Testatur autem historia Ecclesiastica, huiusmodi Dedicaciones templorum Apostolica & vera primitiua Ecclesia per annos trecentos incognitas fuisse. A Constantino Magno demum pace reddita Ecclesiæ, templa vel de nouo extructa, vel hinc inde idolis seruentia meliori vsui consecrare ceperunt, certâ die ad id indictâ & constitutâ. Sic Athanasius de Alexandro Alexandrino Episcopo refert, in Apologia ad Constantium, eum absolutis templorum operibus, Encænia & Dedicaciones per conuentus celebrasse. Eusebius etiam libro nono, capite decimo historia Ecclesiastica et libro quarto de Vita Constantini scribit, hunc Imperatorem Hierosolymam profectum, templum admodum sumptuosum & magnificum Christo extruxisse, ornauisseq; anathematis præciosis, auro inquam, argento & gemmis: euocasseq; illos Episcopos, qui Tyris Concilio congregati tum fuerint, vt ad ipsum dedicandum venirent. Atq; hoc fuit caput initiumq; Encæniorum seu Dedicacionum templorum apud Christianos. Quamuis autem Sozomenus libro secundo, capite vigesimo sexto, & Nicephorus libro octauo, capite quinquagesimo referant, hunc diem, quo templum hoc Saluatoris consecratum est, quique fuit decimus quartus mensis Septembris, ab eo tempore in Ecclesia Hierosolymitana quotannis publicè ab omnibus festum & celeberrimum agitatum fuisse, nondum tamen in alijs Ecclesijs solennes & annuæ saria fuerunt, sed mos hic posterioribus demum temporibus irraspsit, ex Hierosolymitana Ecclesia consuetudine. Gratianus quidem Distinctione prima de Consecrat. cap. Solennitates, indicat, Felicem primum Episcopum Romanum circa annos Christi 177, decreuisse, vt solennitates Dedicacionum per singulos annos celebrentur: refert etiam Cranzius libro 1. cap. 1. Metrop. fortè à Gratiano deceptus. Quis enim credat, in tam diris illorum temporum persecutionibus, hoc Christianis licuisse? Antoninus igitur tit. 9. cap. 2. & Balaeus in Vita Pontificum hoc Felici tertio tribuunt, qui claruit circa annos Christi 525. Hermannus Gigas autem & N. Doardus in Annoeal. ad Durandi librum Diuinorum Officiorum Felici 1111. Confirmauit hunc morem Gregorius M. vt est videre de Consecrat. dist. 1. cap. Solennitates.

Encæniorum vsus & forma.

De origine diximus, videamus porrò quis fuerit olim, quique hodie sic vsus & forma huiusmodi Encæniorum & Dedicacionum. In primis igitur hoc seruatum fuit in veterum Dedicacionibus, vt templum vni & vero Deo consecrarent. Sic enim Constantinus Magnus Templum illud magnificum Hierosolymis SALVATORI mundi dedicauit. Deinde ad huiusmodi



huiusmodi dedicationes Sacerdotes ex diuersis locis vnà cum populo vicino conueniebant. Eusebius lib 9. cap. 10. Nimirum, vt publicâ congratulatione sese mutuò hortarentur, seq̃ eiusdem Ecclesie membra, eiusdem item fidei & spiri:us consortes esse testarentur. Tertio, in his festiuitatibus admonebatur populus de promissionibus diuinis, de vera inuocatione, legebatur etiam verbum Dei. Sub Constantino M. Euangelium inferebatur in templa, audiebantur conciones ex verbo Dei, vt esse videre apud Eusebium citato loco, & Athanasium in Apologia ad Constantium Imperatorem. Gregorius Nazianzenus etiam in Concione de vsu Enceniorum habita declarat, auditoribus cogitandum esse de innouatione hominis Christiani, de qua David Psalmo 51. & Paulus Ephes. 4. & Coloss 3. loquuntur. Quarto, Psalmi canebantur, quibus Deo gratias agebant: Eusebius lib. 9. cap. 10. Sic Alexander Alexandrinus, Athanasio teste, Encenia & Dedicationes per conuentus, laudes & gratias Deo canentes, celebravit. Quinto, huiusmodi festiuitates conuiujs, commestationibus & magnâ lætitiâ peragebantur, quod Eusebius testatur libro 9. cap. 10. inquit: Festiuitates à nostris frequenissimè gerebantur cum omni lætitiâ & exultatione, per vrbes & loca singula Ecclesiarum Dedicationibus celebratis. Mos hic non tam inde natus videtur, vt congratularentur sibi fideles de religionis exercendâ redditis locis post immanissimas persecutiones, quàm quòd vetustiores Christiani Memorias martyrum & Natalitia Sanctorum conuiujs & summâ lætitiâ celebrârunt: primò quidem, vt saturarent egenos & pauperes: deinde vero vt ipsi genio indulgerent, & sic Martyribus de ipsorum felicitate quasi gratularentur. Huiusmodi epularum ad Memorias martyrum meminit Augustinus lib 8. de Cuiusmodi Dei, cap. ultimo: & in 6. Confessionum, vt supra in Martyrum Memorij indicauimus. Ex Origine quoq̃ libro 3. in Ioelē colligitur, Christianos suo tempore ad defunctorum Memorias cibos aliaq̃ donaria contulisse. Author est etiam Pontius Paulinus, qui claruit circa annos Domini 420. populum, qui ad Natalem D. Felicis Nolam confluebat, epulari solitum in ade sacra: eamq̃ ob causam se parietes templi, picturis ex veteri Testamento desumptis, ornandos curasse, vt accumbentes in communi mensa spectandis illis occupati, temperantiùs conuiuium exigerent. Quod propterea refero pluribus, vt mos commestandi in Dedicationibus templorum, & Natalibus Diuorum antiquus esse cognoscatur. Hanc autem consuetudinem Ethnicam, sic enim Rhenanus illam nominat in Annotat. ad librum Tertulliani de Corona militis, etsi diu tolerauit Ecclesia, quòd opus esse putaret, multa Christianis indulgere, qui plerunque iam senes de Paganismo ad Christum conuertebantur, tamen eã Concilia nonnulla progressu temporis aperte damnârunt, & tollendam esse præceperunt. Rursus verò confirmauit hunc errorem, vt multa alia superstitiosa, Gregorius M. Quia enim Saxones in suis sacrificijs boues multos mactabant, iussit, vt in die Dedicationis, vel Natalitij Sanctorum martyrum, quorum illic reliquia ponerentur, tabernacula sibi circa templa de ramis arborum facerent ( vnde etiam Mercatus rerū vanalium in his solennitatibus circa templa originem traxisse puto ) & religiosi conuiujs festiuitates debitas celebrarent: vt esse videre in eius epistola ad Augustinum Saxonum Apostolum.

Etsi verò prima exercitia in huiusmodi Dedicationibus pleraq̃ si luxuriosa conuiuia & commestationes, Encenia item quotannis repetita excipias, pia & sancta fuerunt, debent enim a- Enceniorum  
abusus. ctionum omnium initia cum gratiarum actione & precibus fieri, quando constat sine Dei auspicijs nihil rectè aut feliciter fieri: dici tamē non potest, vt hæc omnia à superstitiosis hominibus progressu temporis immutata, & quàm non dissimulandi abusus in his festiuitatibus paulatim exorti sint. Primò enim, Pontifex Romanus potestatem dedicandi templa sibi soli vendicauit. Gelasius nanq̃ de Consecrat. distinct. 1. c. præcepta synodalia. decreuit, Ecclesiam sine Papæ authoritate recens extructam dedicari non posse. At in primitiua Ecclesia hæc potestas penes Sacerdotes solos non fuit. Ad dedicationem templi Hierosolymitani Constantinum Imperatorem Episcopos conuocasse Eusebius testatur, nec Syluestri vel alterius Papæ meminit. In veteri quoque Testamento Templum Solomon & populus simul consecrârunt: tertio Regum octauo. Id quum postea ab Ahaso rege pollutum esset, Ezechias aperuit, et sacer-



DE ORIGINE FESTORVM

dotibus, ut denuò perpurgarent ac consecrarent, imperauit. In libro Esdræ 6. cap. non summus Pontifex, licet Messia typum gereret, sed filij Israel & Sacerdotes vnà templum post Babyloniam captiuitatem extructum dedicasse dicuntur. Et quamuis credibile sit, ipsum in hac actione non postremas partes obtinuisse, tamen eius persona perinde ac reliquorum sacerdotum ipsius ordinis tantum nomine notatur. Quemadmodum igitur C. Iul. Cesar olim, quicquid Pontificibus, Tribunis, Dictatori potestatis & dignitatis in Romana Repub. fuit, id omne sibi vendicauit, ut ne quid ei ad summam deesset potentiam: sic Pontifices Rom. quicquid in sacris literis, in Ecclesia veteri, in aliarum gentium ritibus ac legibus vnquam fuit, quod quidem ipsis ad augendam potentiam pertinere videretur, id omne per fas & nefas attraxerunt.

Deinde, in veteri Ecclesia Dedications templorum fiebant, auditu verbi Dei, precibus et Psalmis. Hodie verò Basilicam consecrandā Pontifex ter circuit, eoq; effingit triplicem circuitum Christi, de cælo in mundum, de mundo ad limbum, de limbo ad cælum. II. Ter Pontifex ostium pulsans, ait, Attollite portas. III. Aquam aspergit. IV. In pavimento literarum characteres scribit in cineres ibi sparsos, ad crucis formam ductus literis à dextra sinistrorsum & contrà. V. In parietibus intus cruces pingit. VI. Luminaria ante cruces ponuntur. VII. Inungit cruces chrismate. Hæ verò ineptiæ omnes non solum carent præcepto Dei, sed etiam exemplo Apostolica & primitiua Ecclesiæ.

Tertiò primæ tantum cuiusque Ecclesiæ Dedications festiua erant: hodie verò sunt omnes anniuersaria.

Quartò, cum initio Tempora, Oratoria & Dominica domus dicerentur, ut quæ soli Domino Iesu Christo sacra essent, & publicis precibus, alijsq; diuini cultus exercitijs eidem dedicarentur, tandem in his Encanijs Sanctis mortuis dedicari cœperunt, & Diuorum Diuarumq; nominibus appellari. Peperit hic error mox alium, ut Dedications festa in Diuorum honorem instituerentur contra legem Dei, qui Sabbathæ & dies festos sibi soli sacros esse iubet. Nulla itaq; amplius habita fuit diuinorum beneficiorum recordatio, non gratiarum actio, sed conuersiones institutæ non minus ineptæ quàm superstitiosæ, de Diuorum laudibus & miraculis, quorum pleraq; aut à Monachis conficta, aut in alienum sensum detorta fuerunt. Vnde fit, ut hodie in huiusmodi festiuitatibus Deo nullus, sanctis verò maximus habeatur honos: Christi rara sit inuocatio, sanctorum contrà frequentissima & solennis maximè: detinetur populus non verbi diuini prædicatione, sed inani & plus quàm puerili spectaculo, boatu item sacrificulorum & cantu qui per Organa (ut vocant) & alia instrumenta musica fit & editur.

Hinc etiam natum, quòd in huiusmodi Encanijs Sanctorum reliquias circumgestare cœperunt, quòd Menas Constantinopolitanus Episcopus primus fecisse legitur: is enim Constantinopoli in Dedications templi Sanctissimorum Apostolorum die 29. Iunij reliquias Andreae & Lucae circumuehi curauit aureo curru circa annum Domini 550. ut Nicephorus lib. 17. cap. 26. Paulus Diaconus lib. 16: Rerum Rom. & Urspergensis referunt.

Accedit ad superstitionem hanc Quæstus: nam & vanales cum exponuntur Indulgentiæ: & pro Dedicationsibus istiusmodi magnam vim pecuniæ soluere cogitur misera plebecula. In agro Tigurino accidit, ut suffraganeus quidam totum cœmeterium lustraret: postea cum agricolæ interrogarent vbi sepeliendi essent infantes, qui absq; Baptismo decedunt, mox angulum quendam cœmeterij iussit non esse sacrum, vel prophanauit, sed neq; hoc gratis, denuò enim pecunias ei numerari oportuit. Quando etiam templum consecratum cæde, libidine aut excommunicato ibi sepulto prophanatum est, iterum illud oportet reconciliare, & Episcopo numerare pecunias, alioquin Missa in illo non celebrantur, sed ostia illius clauduntur, & Dei cultus intermittitur. Talis quidam Episcopus in agro Tigurino olim accepta pecuniâ, duo templa consecrauit, sacerdote verò quodam eum Simoniacum esse dicente, quòd dona spiritus venderet, ille respondit, se non pacisci cum rusticis, ut Simon fecit cum Petro, sed ne hoc scelus incurrat, se ipsis disertè præcipere, ut tantum sibi pro illa lustratione numerent.

Accessit etiam Mercatus, ut circa templa, nec non in templis & cœmeterijs forum rerum vanalium



Vanaliam videas. Deniq; nullo vnquam tempore luxu, crapulâ, ebrietate, libidine, fortatione, lasciuia, saltatione, aleâ & infinitis alijs sceleribus peccatur, quàm hoc ipso, quando Dei beneficia publicè debebant celebrari in primis. Quæ certè magis Bacchi quoddam festum à Manadibus celebrandum, quàm piam Christianismi antiquitatem spirant.

Adscribam autem ex Thomæ Naogeorgi libro 4. Regni Papiſtici quàm turpia, obscœna & iccirco non ferenda, in huiusmodi Dedicacionum festis ac solennitatibus, passim fiant. Ita ergo canit:

Templi sacrați celebrantur festa quotannis,  
 Catholice nimis E turri suspenditur alta  
 Vexillum crucis, & recolenti gramine templi  
 Sternitur omne solum: ramisq; virentibus aræ  
 Suggestumq; nitet, sellæq; omnesq; columnæ  
 Panduntur tabulæ, idolorum arma, a pictæ,  
 Præcipuè verò fertis habituq; patronus  
 Excolitur diti, atq; sua respicendæ in ara,  
 Mensula Pontificum bullas, indutaq; multis  
 Sustinet signis, festum celebrantibus illud,  
 Concessa: idolum quoq; patroni ostia circa  
 Sustinet hæc eadem mendicans: quod quia mutum est,  
 Aut nondum populi linguam or. q; barbara nouit,  
 Assidet interpres quidam, cl. mansq; rogansq;  
 Intrans atq; egredientes, munera præstent  
 Patrono, & nummis redimant indulta Papparum.  
 Pastor pastores alios inuitat, & ipsa  
 Scorta iubet simul adduci, turbasq; nothorum.  
 Vndiq; conueniunt quoq; vicini, atq; remoti  
 Ruricola pars sponte sua, partimq; vocati.  
 Arma ferunt omnes, gladios, venabla, secures,  
 Bombardas, fustes ferratas atq; bipennes.  
 Adueniunt iuuenes culti, comptaq; puellæ.  
 Adsunt & mimi, mendicisq; atq; choraules  
 Institor exponit nitidas ex ordine merces.  
 Caupo disponit mensas, & pocul. profert  
 Omnia venturis: neutrum spes fallit auaræ.  
 Namq; ferè referunt summa ex hoc commoda festo,  
 Præcunctis alijs. Igitur post sacra peracta,  
 Aut ad cauponem properant, notosue sodales,  
 Explenturq; omnes lautè vinoq; cibisq;.  
 Octo solent septemq; interdum ponere missus,  
 Pontificumq; nihil veterum concedere cœnis,  
 Subl. ris tandem mensis consurgitur, & mox  
 Orchestram iuuenes adeunt a scaule vocato:  
 Qui postquam insonuit raucum, signumq; choreæ  
 Vtre dedit, veniunt illuc pueri atq; puellæ,  
 Longæq; senes, mediæq; ætate mariti.  
 Spectatum accedunt & anus, iuuenesq; maritæ,  
 Tum varij surgunt ludi, turpesq; choreæ  
 Amadidis, nec non rixæ pugnaq; cruentæ  
 Feruent, vt digiti, palmæ, calcantur & aures;



DE ORIGINE FESTORVM

Et capita & facies & braehia sanguine manent  
 Nonnunquam & cæsus mediâ linquatur arenâ.  
 Multi, quod placeat, cupidæ mercantur amicæ.  
 Multi cauponam repetunt, potantq; gregatim,  
 Inspido adiuncto cantu, clamoreq; summo.  
 Luduntq; interea chartis, rapidoq; fritillo.  
 In cauponam etiam est pastorem accersere moris,  
 Quo præsentem putant compleri deniq; ludum.  
 Is superat clamando omnes, calicesq; frequentes  
 Siccando, rex quidam est: vicinoq; vomenti.  
 Sine ipse apprehendit, nimium officiosus & æquus,  
 Et tenet, ima quoad stomachi fundamenta vertit,  
 Hinc est vicinis gratus, charusq; sodalis:  
 Cui si quando nocent Euanthica dona vicissim  
 Debilitantq; gradum, ne possit adire Penates  
 Ipse suos (quod non raro contingere notum)  
 Quadrupedem grati vice versâ in tecta redurunt:  
 Catholicum hunc seruat veneranda dicatio morem.

SANGVINIS Christi festum.

**L**eo tertius Papa sanguinem adulterinum, quem è crucifixo quodam ligneo fluxisse impo-  
 stores dixerant, ut statuarum idololatrias, dum adhuc essent in quaestione, confirmarent,  
 pro vero Christi sanguine haberi voluit. Et Mantuam profectus (ubi hucusq; seruatur, salu-  
 sator, adoratur) sic esse, suâ auctoritate approbavit, ac bullis confirmavit: addito illi quot an-  
 nis, in maximam Christi derogationem, solenni die festo. Ita tunc præualuit potestas tenebra-  
 rum. Vnde Baptista Mantuanus, eâdem etiam elusione olim deceptus, de eius ad Carolum sic  
 scribit itinere:

Dum mecum audito ficti rumore cruoris  
 Nuper adiuventi, gressum conuertit ad urbem,  
 Nomina cui fecit virgo Cadmeia Manto.  
 Et quæ purpureus sanguis faciebat in horas,  
 Mira opera intuitus: credi debere putauit,  
 Effusum nostra pro libertate cruorem.

Balarus Cent. Script. Brit. 2. fol. 107. in Vita Leonis.

PAZINACARVM FESTVM.

**P**arta de Scythis victoriâ, & insigni aditâ inter eos strage, Ioannes Imperator Constantino  
 politanus vota Deo persoluit, & inter rei gestæ monumentum, & grati animi testimonium  
 festum instituit, quod Pazinacarum dicitur.

SATVRNI diei festiuitas.

**I**N Scotia anno Salutis 1203. Vuilhelmus Rex primorum regni sui Concilium cogit, cui e-  
 tiam interfuit Pontificius legatus, in quo decretum est, ut SATVRNI dies ab hora XII.  
 meridiei sacer esset, neq; quisquam res profanas exerceeret, quomodo alij quoque diebus  
 festis



festis veterum id erat: idque campanæ pulsu p. pulo indicaretur, ac postea sacris rebus, ut diebus festis operam darent, concionibus interessent, Vesperas audirent, idque usque in diem lunæ facerent, constituta transgressoribus graui pænâ. Boetius lib. 13. de Scorn.

## DVPLEX MAIUS.

**B**onifacius octauus decreuit festa Apostolorum, Quatuor Euangelistarum, & Quatuor Doctorum, Gregorij, Augustini, Ambrosij & Hieronymi, sub honore festi duplicis per vniuersas orbis Ecclesias annis singulis celebrare & honorare. Extrâ de Reliq. & Vener. Sanct. Gloriosus, lib. 6. Decretalium. Appendix Martini Poloni, Stella, Fasciculus Temporum, Platina. Quia verò in Bulla de cessatione ab operibus nihil dicitur, Antoninus putat hoc non esse sub præcepto, tit. 20. cap. 8. §. 1. Genebrardus in Chronico suo vocat hoc festum Duplex Maius.

DE ANNO IUBILÆO IN LIBRO  
nostro de Templis egimus.

F I N I S.









303. 111

303. 111

303. 111

303. 111

zu 50 m

Ant. Ind. 50 k



